









ANNALES
REGUM HUNGARIAE

AB

ANNO CHRISTI CMXCVII AD ANNUM MDLXIV.

DEDUCTI

AC MAXIMAM PARTEM EX SCRIPTORIBUS COAEVIS, DIPLOMATIBUS, TABULIS PUBLICIS, ET ID GENUS LITTERARIIS INSTRUMENTIS

CONGESTI

OPERA ET STUDIO

GEORGII PRAY, S. J. SACERDOTIS.

PARS II.

COMPLECTENS RES GESTAS

A

CAROLO I. ROBERTO

AD

WLADISLAUM I.

MARIAE THERESIAE

AUGUSTAE

HONORIBUS DICATI

A

MICHAELE E COMITIBUS DE NÁDASD, PERPETUO TERRAE FOGARAS, INCLYTI COMITATUS COMAROMIENSIS SUPREMO AC PERPETUO COMITE,

NEC NON

S. C. ET R. A. M. CAMERARIO,

DUM IDEM

SUB AUGUSTISSIMIS AUSPICIIS, POSONII DURANTIBUS REGNI HUNGARIAE COMITIIS, EX HAUSTIS REGIO IN COLLEGIO THERESIANO DISCIPLINIS PHILOSOPHICIS, MATHEMATICIS, HISTORICIS,

TENTAMEN PUBLICUM

SUBIBIT

ANNO MDCCLXIV MENSE DIE

VINDOBONAE,

TYPIS JOANNIS THOMAE DE TRATTNER, CAES. REG. MAJ. AULAE, NEC NON INCLYTORUM INFERIORIS AUST. ORDINUM TYPOGRAPH. ET BIBLIOPOLAE

AUGUSTISSIMAE
INVICTISSIMAE AC GLORIOSISSIMAE
ROMANORUM IMPERATRICI.

MARIAE
THERESIAE

APOSTOLICAE HUNGARIAE

REGINAE,

NEC NON
BOHEMIAE. DALMATIAE. CROATIAE SERVIAE RASCIAE.
HALLICIAE. LODOMERIAE. CUMANIAE. BULGARIAE.
SCLAVONIAEQUE

REGINAE,

ARCHIDUCI AUSTRIAE,

DUCI

BURGUNDIAE. BRABANTIAE. MEDIOLANI. STIRIAE.
CARINTHIAE CARNIOLIAE. LUXEMBURGI.
WURTENBERGAE. UTRIUSQUE. SILESIAE.

PRINCIPI

SUEVIAE. ET TRANSILVANIAE.

MARCHIONI

S. R. I. BURGOVIAE. MORAVIAE. UTRIUSQUE LUSATIAE.

COMITI.

HABSPURGI. FLANDRIAE. TYROLIS. FERETIS.
KYBURGI. GORITIAE.

DOMINAE

MARCHIAE SCLAVONICAE. ET PORTUS NAONIS. &c. &c.

DOMINAE DOMINAE

CLEMENTISSIMAE.

AUGUSTISSIMA ROMANORUM
IMPERATRIX
APOSTOLICA HUNGARIAE
REGINA!

Ex quo in domum, quam a Sacratissimo TUO nomine THERESIANAM dici voluisti, studiorum causa cooptatus sum, id semper, ac in primis operam dedi, ut sapientissimæ destinationi TUÆ, qua bono publico TUARUM ditionum ceterus studebas, morem undequaque gererem, redderemque me haud indignum iis beneficiis, quæ Augusta prorsus munificentia abhinc, quam rerum in Hungaria potita eras, in meam familiam conferre liberaliter dignata es. Quæ quidem tametsi ad Patrem meum, Patruumque, quorum ille in politica, hic in militari republica, TIBI, TUOque judicio cum laude probabantur, præcipue attinent, non minimam tamen in me quoque partem derivatam esse intelligo, cum me a patris obitu Comaromensi provinciæ suprema potestate præfeceras, ac nuper admodum iis, qui TIBI a Cubiculis sunt, clementissime accensuisti. Magna hæc sunt, cum per sese, tum quod ea abs TE Augusta Domina, & in hac ætate accepi. Atque id cum sine exemplo propemodum sit, tum illud quoque in maximi beneficii loco mihi ponendum videtur, quod indicto nuper regni conventu, a publicis curis TE abstrahi tantisper pateris, ut illarum, quas sub potentissimo TUO auspicio condidici, scientiarum periculum palam facerem, quasi indicare volueris, non postremum ad rei publicæ utilitatem firmamentum a litteris repeti oportere.

Cujus benevolentiæ significatio tanto majorem a me gratiarum actionem flagitat, quanto ex rebus, quæ eam circumstant, magis est insolita. Nam dum TE Clementissima Domina cum Invictissimo Imperatore Conjuge, ac Serenissimo Romanorum Rege, Filio TUO

X urbs

urbs nec ambitu suo complectitur, tres AUGUSTOS, sin minus testes illius, cujus causa in lucem prodeo, certe arbitros rara felicitate adeptus sum. Quid, quod me ante ora, oculosque frequentissimorum totius regni Ordinum constitui volueris? quos cum nomino, quidquid Hungaria Avitici sanguinis illustre, Nobilitate clarum, conspicuum prudentia, gravitate subactum, & fide adversum TE intemeratum habet, appello. Qui dum mira voluntatum consensione de iis, quæ ad TUAM juxta ac regni incolumitatem attinent, in medium ex gentis nostræ ritu, graviterque consulunt, jam abhinc normam mihi præstituo, qualem me in Reges, regnumque aliquando esse oporteat. Quibus duobus Capitibus cum omnis publica felicitas comprehenditur, patere pro TUA Clementia, ut TIBI in primis Apostolica Hungariæ REGINA, tum regno TUO Apostolico, quidquid in me olim virium, fortunarumque futurum est, ad Majestatis TUÆ thronum, quem supplex, ac venerabundus accedo, dicatum, sacrumque esse perpetuo velis.

Clientum infimus,
MICHAEL COMES DE NÁDASD.

AD LECTOREM.

Nondum annus abiit, quod primam Annalium partem, quibus Hungariæ regum res gestas complector, in lucem emisi. Hanc altera nunc excipit, quæ rerum copia, & varietate eventuum præ illa est locupletior Visum mihi est a more meo nihil recedere, quo rerum conversiones simplici narratione ex coævis scriptoribus, & authenticis literarum instrumentis, ut plurimum ita comprehendo, ut a politicis animadversionibus manum omnino abstineam; partim quod vitæ meæ genus, ut alias monui, ab his prorsus abhorreat, partim, quod supervacaneam eam operam esse fere pro explorato habeam. Si qui enim in hoc foro exerciti sunt, me etiam tacente, quæ huc facere videbuntur, ex caussarum, & quæ isthinc efficiuntur, nexu, nullo negotio intelligent, sin contra, quantumvis prolixus, sæpe etiam cum tædio, fueris, tantundem agas, ac si cum ratione prudens volensque insanire velis, propterea, quod conatus apud hujusmodi omni fructu caret

Si cui autem labor hic meus, ob temporis intercapedinem forte deproperatus videbitur, mecum ex parte sentiet: neque tamen premendum idcirco putabam, quod spe non vana ducor, me si ubi mancus, aut non ad amussim exactus fuerit, hietque, ab aliis facilius commonitum, adjutumque iri. Hunc in modum magna ad eam Annalium partem, quam anno abhinc vulgavi, facta accessio est, cum a viris patriarum rerum studiosis, etiam lon-

longinque extraque regnum positis familiariter edoctus sum, quid, qua parte etiamnum desideretur.

Id ego non solum æquanimiter, sed libenter etiam, ut oportet, accipio, tum quod suapte veritatem in consignandis Annalibus me sectari decet, tum quod ad hanc in clariori luce ponendam plerique suam symbolam collaturos se receperint Inter quos honoris causa mihi nominandus est ILLUSTRISSIMUS AC REVERENDISSIMUS D. IGNATIUS SALESIUS E COMITIBUS DE BATTHYAN, *qui humanissimis litteris Romæ exaratis, pro suo in historiam domesticam studio, & qua est, eleganti eruditione complura mecum, quæ ad Emerici regis ætatem attinent, communicarat. Sed istis ceterisque, quæ aliorum beneficentia interim nactus sum, instrumentis deinceps locus erit*

Itaque si qui horum exemplo ducti, opellam meam suis monumentis, quæ frustra sæpe in tenebris latent, augere non gravabuntur, næ illi de patria egregie mereri pergent, idque ut faciant, quam humanissime oratos cupio. Ego publica fide vadimonium præsto, me eorum benevolentia temperanter usurum, &, si quid id est, cujuslibet nomen posterorum memoriæ consecraturum. Dabam Albæ Regiæ XIII calendas Junias anno MDCCLXIV.

ANNALES
REGUM HUNGARIAE

LIBER I.

CAROLUS ROBERTUS.

Anno Christi 1312.

Caroli ad clavam admoniti Jadrenses in Hungarorum fas concedunt

CArolus superatis decem annorum obstaculis ut primum Rex omnium consensu inauguratus est, non instaurando solum regno, quod tam diuturnus factionum studiis labem acceperat, sed augendo etiam magnopere intendit, ut continuo ab adita republica sua ostenderet, haud indignum se esse, in quem regni molem, curasque devolvissent. Rerum, quarum fere plerasque secundo eventu confecerat, initium ab Dalmatia factum. Jadrenses Venetorum rursus pertaesi, collatis cum Paulo maritimae Croatiae, ac Dalmatiae Bano consiliis, in Caroli fide se futuros polliciti sunt, si res suas eodem jure, quo olim sub Hungariae regibus, habere sinerentur. Paulus, tametsi ignoraret, quo animo hanc secessionem Rex laturus esset, tamen spe ductus, fore, ut Jadram perinde pro arbitrio, ut hactenus Croatiam, ac Bosnam regendam acciperet, cives in sententia confirmavit, opem, ac militem, si Veneti bellum apparарent regio nomine pollicitus. Illi promissis audentiores facti, dato signo Venetos omnes comprehendunt, aut urbe ejiciunt, seque in Hungarorum clientela deinceps futuros publico senatus consulto declarant. Michael Maurocenus, urbis comes, oborto tumultu ventus, ne quid gravius in se cives consulerent, in privatas primum aedes se abdit, tum monachum habitu simulans, aegre e periculo eluctatus est (8)

A Ex

(8) Manius cap. VI. Et Chronista anonymus Venetus apud Lucium lib. IV cap. XII.

Anno Christi 1311

Rex eis veniam et fidem conspit

Exactis urbe Venetis nuncios ex primariis viris eligunt, qui ad Carolum in Hungariam profecti, se, urbemque dedant. Habiti sunt a rege comiter, & confirmata, quæ a Bela IV. acceperant, privilegia, potestatem quoque fecit, ut, quemcunque vellent, urbique administrandæ idoneum viderent, comitem legere, ut fas ei esset. Ne autem Veneti occasionem obmovendi belli hinc caperent, Jadrenses in fidem a se receptos, edito diplomate testatus est. (9)

Carolus Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galliciæ Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæque Rex, universis, & singulis, quibus expedit, præsens scriptum inspecturis salutem in omnium salvatore. Decet regiam excellentiam justis precibus instantium fidelium subditorum, & fidelium animum nutrire, & eisdem condescendere aequali cum favore, ut ipsorum numerus in opere fidelitatis augeatur, atque crescat. Proinde ad universorum notitiam tam præsentium, quam futurorum, harum serie volumus pervenire, quod religiosus vir, frater Stephanus ordinis Prædicatorum, & nobilis vir Martinus civis Jadrensis, syndici, & Nuntii ejusdem Civitatis, ad nostram accedentes præsentiam, vice, & nomine civium, ac universitatis prædictæ civitatis, a nobis cum instantia postularunt, ut prædictam civitatem Jadrensem, in ipsorum libertatibus, & juribus conservare dignaremur, quæ per nostros Progenitores, illustres reges Hungariæ, specialiter per Dominum regem Belam ipsis data fuerunt, & concessa. Præterea quod rectorem, quem voluerint sibi possint assumere vel eligere sive ab eadem civitate, sive fuerit de aliis partibus, qui possit eos regere secundum consuetudinem, & libertatem ipsius Civitatis. Nos igitur volentes singulare pro commodo, & quiete ipsorum civium, & universitatis nostræ antedictæ civitatis, & nobilibusque attendentes ipsorum petitionem esse justam, & legitimam, prædictis eorum petitionibus annuentes juxta ipsorum voluntatem, promittimus eosdem servare in propriis eorum libertatibus, & juribus, quæ ipsis sunt concessæ per nostros Progenitores, & illustrem Belam regem antedictum, nec aliquis Banus pro tempore constitutus, vel sui officiales possit eis in aliquo causare articulo, judicare, vel ad suam præsentiam trahere. In cujus rei memoriam, perpetuamque firmitatem, has nostras litteras privilegiales concessimus, duplicis sigilli nostri appensione, & munimine roboratas. Datum per manus discreti viri præpositi Albensis Ecclesiæ, aulæ nostræ vice Cancellarii, dilecti, & fidelis nostri. IV. idus Octobris anno Domini MCCCXI regni nostri similiter XI.

Jadrensium Venetos defectio

Sed Veneti prius, quam literæ hæ vulgarentur, comperta Jadrensium defectione classem in Dalmatiam miserant, quæ refractarios ad pristinam obedientiam revocaret. Marinus Georgio, qui XI. Calendas Septembris Ducatum init, ab adeo Magistratu, illo maxime studium contulit, ne nobilissima Dalmatiæ pars a republica avelleretur: atque ut classiarii operam darent, vehementer cohortatus est. Præfuere classi Bartolomæus Michael, Marcus Justinianus, & Marinus Bembo, viri fortes, & manu prompti, qui, cum primum ex adverso Jadræ litore consederant, locorum, & maris gnaerissimi urbem machinis, & intercluso commeatu sic urgebant, ut cives, quamquam Paulus Banus suppetias accessisset, maxima calamitate, & penuria premerentur. Id postquam Carolus rescisset, civium, qui se suæ fidei haud ita pridem permisissent, causam, antequam ad apertum bellum veniretur, tuendam accepit. Scripserat propterea semel, atque iterum ad Venetarum Ducem literas, quibus eum admonuit, Jadrensem urbem vetustissimo jure ad Hungariæ reges attinere, proinde non violasse fidem, sed ad pristinos Dominos urbem rediisse, existimaret se pro viribus suos tuiturum: oratum itaque velle, ut suos ab obsidione revocet, & abstinere ab omni deinceps injuria jubeat. Lectæ sunt in senatu litteræ, ad quas rogata sententia in hunc modum Dux respondit (10.)

Responsum Venetorum ad Caroli litteras.

Domino Carolo Hungariæ regi.

Regiæ Sublimitatis literas breves, quo decuit, nuper suscepimus datas apud Budam feria secunda ante festum beatæ Mariæ Magdalenæ, similes quarum prius nobis

(9) Apud eundem Ibid.

(10.) Andreas Dandulus in Chron. Tom. XII. script. rer. Ital. Muratorii pag. 493.

Anno Christi 1311

tis praesentaverat quidam cursor, ut statim mandaremus fieri responsales, sed recessit subito literas nostras non accipiens, nec requirens. Et ingebatur inter cetera in eisdem literis regiis, quod civitatem Jadrae, quam de jure ad vos pertinere dicitis, & quam tenuimus a longis temporibus occupatam, molestabamus graviter, sicut intellexerat regia celsitudo. Unde rogabatis nos, quod vellemus ab injuriis dictae civitatis, & civium, & damnis eorum abstinere, & furtum bonorum, & nostros facere abstineri. Ad quas cultum regio respondemus, quod ex literis praedictis cognovimus, quod magnitudo regia recepit in praedictis informationem sinistram, quodque, si vobis vera insinuata facta forent, semel redderetur, quod ipsas literas regalis magnificentia non misisset. Et ideo, ut regia Majestati fidei veritas pateat, & informationem veram recipiat, & non veram rejiciat, patentiae regali rescribimus.

Quod ipsa civitas, sicut est ubique notorium, fuit nostra, & legitime ipsam possidimus multissimo, & antiquissimo tempore, cujus non exstat memoria, & plenum, & sufficiens jus, & jurisdictionem acquisivimus, & habuimus & habemus. Per consequens in eadem & jus vestri regni Hungariae expressum, & notorium in ipsa civitate semper voluimus, & fecimus ob reverentiam, & amorem regum praedecessorum vestrorum, tanquam qui intendimus non turbare in aliquo jura regia, sed ad conservationem eorum dare potius auxilium, & favorem. Et erat jus ipsum aliqua pars datii portae civitatis, quod solvebatur per homines vestros regni Hungariae ad introitum solius civitatis praedictae, quae pars exhibebatur, ut dictum est, cui per reges Hungariae ordinatum fuerat, & sic per praedicta potius evidenter apparere, & cognoscere manifestum jus nostrum, & quod vobis aliud, quam veritas, sit intimatum. Verum de rebellione iniqua Jadratinorum, nostrorum rebellium, aliquid regiae Magnitudini cum reverentia denotamus.

Nam ipsa civitas nostra, & cives sub nostro sibi, & suavi dominio, sicut est liquidum toti mundo, tantam pacem, statum, & omnium bonorum affluentiam, & plenitudinem susceperant, & continuum recipiebant augmentum, quod nullus mundi civitas, sed nec omnes alii Cives possent ob tantorum bonorum copiam, & quod ipsos continuus & magis foverimus, & paternis dulciter affectibus tractaverimus, laudare. Nam tam suave, & dulce, & utile est regimen nostrum in subditos, & per eos in suis gravaminibus sunquam fuit. Unde ipsi incrassati multa pinguedine adeo, ut proprium amitterent intellectum, & in reprobum sensum dati, ergo tantum affectum nostrum, veneram, & voluntatem conspicientes nefandam, nobis rebellare tentarunt praesumpserant. Sed speramus in domino, quod, nisi ad nostram gratiam, & mandata redierint, eorum perfidiam, superbiamque virtutis nostrae potentia conteremus. Datum die IV. Octobris, decimae indictionis Anno MCCCXI.

Quibus Rex offensus bellum comminatur

His literis offensus magis, quam placatus rex rursum nuncios cum epistola ad Venetos expedierat, qua, nisi classem Jadra removeant, se, rescissis foederum pactis, injuriam bello vindicaturum gravissimis verbis comminatus est. Sed illi tanto acrius obsessos urgere pergunt, ut prius, quam majoribus Hungari suppetiis occurrerent, in bera in potestate habeant. Simul inter armorum strepitum de juribus quoque contentionem instaurant, mittuntque Nicolaum Gumanum, qui pactionum tabulas, quas Bela IV suo nomine signarat, regi videndas deferret, ex quibus lis omnis liquidissime complanaretur. Adjecerat dux quoque literas, quibus fidem oratori suo adstruit, regemque majorem in modum obtestatur, ne ob Jadrensium perfidiam veteres amicos, & socios ad corripienda adversum se arma cogat: alioquin haud tanti Jadrenses videri, qui, quotiescunque in Hungarorum clientelam concessissent, ubi commodorum, & fortunarum ratio sic suadere visa est, rursum ad Venetos redierint. Ad extremum, si Rex commutata mente pristina foedera instaurari velit, optimos, & constantes in Venetis amicos reperturum in haec verba significat. (11)

 Sere-

(11) DANDULUS in Chron. Tom. XII. Script. rer. Ital. Muratorii pag. 494.

Annus Christi 1331. Illi rursum per litteras agunt.

Serenissimo, & Potentissimo Domino Carolo, Dei gratia Hungariæ Regi plurimum honorando.

Marinus Georgio eadem gratia Venetiarum, Dalmatiæ, atque Croatiæ Dux Serenitatis vestræ duas ejusdem tenoris litteras in duabus vicibus, & temporibus successive transmissas, honore suscepimus condecenti. Quarum habebat inter cetera series, quod civitas Jadra, quam multis jam elapsis temporibus per nos fore occupatam asseritis, nunc sponte ad vestras manus redeat, & vestro se dominio subjugaret. Propter quod culmen regium nos rogavit, quod, cum intellexeritis per nos ipsi civitati, & ad eandem pertinentibus insulis, molestias, damna, & multa fieri nocumenta, prædictam civitatem, & ad ipsam pertinentes insulas nollemus ulterius molestare. Super quo scire volumus regiam Majestatem, quod primis habitis litteris statim fieri mandavimus responsales, sed cursor, lator earum recessit subito, litteras nostras non recipiens, nec requirens. Et receptis postmodum aliis similibus litteris, dum ad missionem nostræ responsionis intenderemus, supervenerunt aliæ tertiæ litteræ, per quas super eadem nos requirentes materia, quædam verba aspera prout vobis placuit, conclusistis. Super quibus admirationem concepientes non modicam, regio culmini Respondemus, quod si veram hujus rei informationem Majestas regia habuisset, secure credimus, quod nullas de prædictis litteris destinasset, nec postposuisset falsis suggestionibus amoris constantiam, quæ semper ab antiquo inter progenitores vestros, reges illustres Hungariæ, & prædecessores nostros, Duces, & Venetiarum dominium viguit, amplis utrinque vallata favoribus, & gratiis, ac beneficiis augmentata. Sed credimus, quod per rebelles nostros, perfidos, & infidelissimos Jadrenses, ingratitudinis filios, culmini regio, quæ ad ipsorum nequam propositum attinent, veritate tacita, mendaciter sint suggesta.

Verum ut regiæ Majestati facile veritas pateat, eidem describimus quod ipsa civitas Jadræ, ut est ubique notorium, fuit nostra, & ipsam legitime possedimus a tempore, cujus memoria non est, imo ab antiquissimo tempore, & plenum, & sufficiens jus, & jurisdictionem acquisivimus, habuimus, & habemus. Per consequens in eadem jure vestri regni Hungariæ expressum, & notorium in ipsa civitate, scilicet, perceptis duarum partium tributi portæ Jadræ semper facientes, ob reverentiam, & amorem regum integre conservari, & dari ad beneplacitum serenissimorum regum, prædecessorum vestrorum, dum eis placuit ordinare, & postmodum ipsum jus habuit Banus regnorum, scilicet Banus Paulus Croato, tanquam qui non intendebamus, nec intendimus jura turbare, in aliqua regia, sed ad conservationem eorum dare potius auxilium, & favorem. De quibus juribus, & possessionibus nostris dictæ civitatis, quibus per multa curricula temporum usum fuit Venetiarum dominium nulla unquam per reges Hungariæ requisitio, inquietatio, vel molestia facta fuit Venetiarum communi. Immo per illustrissimum dominum Belam, serenissimum regem Hungariæ fuit recognitum, quod dominium dictæ civitatis, ac possessio ad Venetiarum pertineat commune, prout hæc, & alia patent exemplo conventionum initarum inter ipsum dominum regem, pro se, & suis successores, & dominum ducem, & commune Venetiarum, quæ mandavimus ostendi per nobilem virum, Nicolaum Grimani, fidelem nostrum regiæ Majestati.

Ex prædicta ergo notificatione verum constare potest perspicue celsitudini regiæ, qualis fuit ipsorum Jadrensium perfidia. Et ad hoc, ut majorem de ipsorum malitia notitiam habeatis, regiæ Majestati aliqua de his quæ contra nostrum attentarunt dominium, breviter prælibatione referemus. Nam ut est toti mundo notorium, eorum status sub nostro felici, & justi dominio mirabiliter auctus erat. Nam de manu nostra suscipiebant omnium bonorum abundantiam, & plenitudinem granarum, sed ipsi tantorum bonorum ingrati, ac eo ipso, quo magis augmentum status procurabamus eorum, magis tenere præsumentes, civitatem ipsam contra nostrum dominium, omnino contra se ipsos potius rebellarunt. Sed speramus in Domino, quod, usi ad nostram gratiam, & mandata redierint, eorum perfidiam, & superbiam virtute nostrarum potentiæ, divino directa subsidio, in hac nostra tam justa causa, prout semel demerita exigunt, conteremus. Serenitatem igitur regiam rogamus

mus attente, quatenus ex prædictis veritate concepta negotii, dictorum Jadrensium perfidiam exosam habendo, ab audientia regia super talibus excludantur, ac nostram, & datatus nostri amicitiam ab antiquo servatam, illæsam, & sic, quantum in nobis est, servandam in futurum, nunc & in posterum conservare velitis ad regia commoda, & honores. Data die decima secunda mensis Novembris, decimæ Indictionis, Anno MCCCXI.

Acta in Christi 1311

Oratori vero, qui iter in Dalmatiam jam arripuerat, ut quem in modum, quidve in primis apud Carolum, & qua cautela agendum esset, ne nesciret, singulatim erudiens, in hæc verba scripsit. (12).

Et Oratorem ad Carolum mittunt.

Nicolao Grimani

Significamus vobis, quod litteras serenissimi domini regis Hungariæ nobis per quemdam adductas cursorem recepimus, inter cetera continentes, quod civitas Jadræ nunc ad manus suas sponte redut. Propter quod nos rogavit, quod cum intellexisset per nos eidem civitati multa damna fieri, ac plurima nocumenta, placeret nobis ab offensione dictæ civitatis abstinere, & facere abstineri. Ad quas litteras mandaremus fieri responsales, sed cursor ipse recessit sabito nostris litteris non receptis. Subsequenter vero alias similiter recepimus litteras, ad quarum responsionem cum intenderemus, aliæ tertiæ regiæ litteræ supervenerunt graviores satis prioribus. Nam ibi quædam verba comminatoria concluduntur, ut videre poteritis per exemplum earum, quod vobis mittimus præsentibus inclusum. Nos vero deliberatione habita diligenti, cum plenum jus, & dominium super civitatem Jadræ habeamus, tam ex antiqua, & longa possessione, quam etiam per formam quarundam conventionum initarum inter serenissimum Belam regem Hungariæ per se, & successores suos, & dominum ducem, & commune Venetiarum, quarum conventionum exemplum vobis similiter mittimus præsentibus inclusum, per quas conventiones contentatur idem dominus rex, Jadræ dominium ad nos, & nostrum commune Venetiarum totaliter pertinere, & quod se nunquam intromittet de ea, prout hæc, & alia in ipsis conventionibus plenius distinguuntur, eidem domino regi super prædictis suis missionibus per nostras ducimus litteras, prout convenit, respondendum, quarum litterarum exemplum similiter vobis mittimus, ad cautelam vos rogantes, & nostra consilia monet, & de XV. præcipiendo (13) mandantes, quatenus dictas nostras litteras, quas domino regi mittimus, eidem debeatis præsentare feliciter, vel, si abesset, & eas sibi ita cito præsentare non possetis, sibi eas per fidum nuntium, ut citius habeat, mittere debeatis.

Ceterum autem idem dominus rex in suis præsentibus litteris videtur asserere, ipsam civitatem ad se totaliter pertinere, ignorans forsan, jus, & jurisdictionem, quam habemus in ea, debeatis coram præsentiam regiam, & sibi inter cetera exponere magnum amorem, & amicitiam, quæ ab antiquo viguit inter prædecessores suos, serenissimos Hungariæ reges, & prædecessores nostros, Duces, & commune Venetiarum, & illæsa continuavit postmodum semper cum exhibitionibus mutuis magnorum beneficiorum, ac servitiorum amplissime erogatorum vicissim, ut esse potest notorium toti mundo, & prout potest Majestas regia manifeste scire tam ex forma antiquata, quam ex forma conventionum prædictarum, quas conventiones, quantum in nobis est, servare intendimus perpetuis temporibus illibate, proponentes nos, & tota Venetia prædictum amorem, & amicitiam ad ipsum, & regnum suum continuare semper futuris temporibus, si suo animo complacebit. Quibus, prout discretioni vestræ videbitur, relatis, dicatis eidem, quod nos opinamur, ipsum informatum esse falsis suggestionibus aliquorum insidelium iniquorum, tanta veritate serenitati suæ, parum & verum per nostras litteras denotavimus veritatem super jure, & jurisdictione, quam habemus in Jadra ab antiquis temporibus. Et adhuc ut majorem informationem habeat de prædictis, & suus animus conquiescat, aspiciens veritatem

(12) DANDULUS in Chron. Tom. XII. Script. rer. Ital. Muratori pag. 495.

(13) Videtur Magistratus fuisse, qui dicitur Consilium minus, & quod ex XV viris conflatum est.

Annus Christi 1311

ritatem, & jus nostrum validissimum, quod habemus, providentius facere sibi per suos ostendi exempla conventionum ipsorum, quas & vos sibi ostendere debeatis, si videre voluerit. Tamen hæc totaliter facietis, quod non fiant, nec ostendatis vos hæc facere per modum litigii, nec quod videatur vos velle stare suæ definitioni, sed ad informandum animum suum de jure nostro.

Dicatis sibi præterea, quod habetur per chronicas nostras, quæ fuerunt diutissime, & sunt in nostra Procuratoria sancti Marci, qui est locus ita solemnis, quod jam sunt circa anni CCCIX quod Jadertini sponte dederunt se, & terram Jadræ absolute, & præcise Duci tunc præsenti, & communi Venetiarum, circa ea, quæ dicta sunt taliter vos habentes, ut de providentia vestra confidimus, & speramus, denotantes nobis solicite, quæcunque per vos facta fuerint in prædictis, & responsionem sequtam per regem, omnia particulariter, & distincte, ac alia quæcunque ad hæc facientia, scire & investigare poteritis. Et fratris, quod si quas expensas contingat vos facere pro eundo ad regem, si forte abesset, vel aliter vos contingeret expensare pro dicto facto, vobis fatis fieri integre faciemus. Data die XII. Novembris X. Indictione, anno MCCCXI.

Bellum versus Regem ad res domesticas refectis

Ita lis utrinque de jure agebatur: quo minus armis quoque pro eo, ac necesse erat, Jadrenses Carolus juvaret, Matthæus Trenchiniensis in causa fuit; qui postquam frustra commis semel, atque iterum intercessisset, neque id impune sibi per novum Regem abiturum existimaret, aperta vi ad tyrannidem grassari cœpit. Trenchiniensem Provinciam, quæ hæc ex utraque Vagi amnis ripa in longum porrigitur, suam facit, tum Nitrium delapsus arcis muros solo æquat, ac sepulcrum Divi Zorardi ex piorum beneficentia auro, argentoque dives per summam injuriam depeculatus, armorum metum per finitimas Provincias circumfert, confluentibus ad signa promiscue hominibus, quos egestas, & licentia ad prædarum spem urgebat. His auxiliis fretus latissime spolia agebat, ac in Cassoviensem tractum eluctatus arcem Sarossiensem, quæ regii juris fuit, occupat, sedemque armorum constituit, ex qua pro temporis, & locorum habitu & inferre, & propulsare bellum posset.

1312. Movet in refractarios.

Carolus, ne immodica indulgentia factiosorum audaciam augeret, seposita tantisper Jadrensium causa, hominem castigare constituit, coactoque exercitu, & Rhodiorum militum auxilio, in Sarossiensem Provinciam ducit, arcem, belli sedem a fundo convulsurus. Præerat arci Demetrius Nicolai filius cujus fides locum Matthæus commiserat, vir impiger, & machinarum, quas obsidentes quatiendis muris apparare solent, scientissimus: qui, quanquam molitiones Regis fere inutiles redderent, fame tamen deditionem facturus erat, nisi suppetiæ tempori adessent. Itaque Matthæum per occultos nuncios, quo loco res sint, edocet, suadetque, ut, abjecta omni mora, aut ipse laborantibus accurrat, aut auxiliarios mittat, arcem, sive dedatur, sive in potestate maneat, in utramvis partem ad trahendum bellum magnam momenti vim allaturam. Matthæus ut petenti Demetrio opem ferret, mille ac septingentos Cataphractos equites cum bona peditum manu ex castris secernit, his Abam Ductorem præficit, ac ut celerrimo itinere sociis adessent, jubet: ipse cum reliquo exercitu Strigonio imminet, lateque incendiis grassatur, quo Regem ad tuenda mediterranea Hungariæ loca reflecteret. Verum is refractariorum licentiam severe castigandam ratus, arci tanto acrius instabat, quanto major propugnatorum conatus erat, spesque haud parva fuit præsidiarios, si deditionem non facerent, Regis clementiæ se permissuros, cum repente nuncius affertur, seditiosos cum numerosissimo milite obsessis auxilio affuturos. Carolus per exploratores rem edoctus, ne iniquo loco ab utrinque concluderetur, soluta obsidione copias in Scepusium retrahit: illi Regem fugere rati junctis viribus consequuntur, neque procul Hernado flumine, ubi Rex castra metatus est, signa defigunt. Carolus vallem, illi collem ex adverso occuparunt, ex quo facto impetu in regios delati pugnam auspicantur. Prælium tam atrox, ac truculentum fuisse nostri passim perhibent, ut ab Tartarorum irruptione neque majoribus animis, neque majori clade dimicatum sit. Maxima hostium vis in regios incubuit, inter quos Georgium vexillarium insigni virtutis facinore

pæ-

Anno Christi 1312

præcelluisse ferunt, qui dextram prius, ac corpus minutim concisus, quam vexillum ereptum sibi passus fuerit. Hujus cæde cum plerique nutarent, Carolus periculi intrepidus paucis confirmatos rursus in hostem ducit, instaurataque hoc loco pugna ad Rhodios defertur, quos ubi non modo vim propulsare, sed densatis ordinibus inferre quoque conspexisset, raptis secum subsidiariis cohortibus hostem ea parte, qua latus improvide nudaverat, aggreditur: atque hæc molitio, primum ad victoriam aditum fecit; seditiosi enim, ne penitus circumfunderentur, relictis castris, ac impedimentis, magnaque suorum parte destituta, in apertissimam fugam se dedere. Nostrorum, quamquam campo potiti sint, major quam hostium, clades erat. At vel sic vicisse Caroli interfuit, ut regium nomen a victoriæ fama sibi apud suos confirmaret. Credibile est, tametsi nostri nihil singulatim ea de re consignarint, arcem, cujus causa expeditio suscepta est, omnemque eum tractum ab hostibus perpurgatum in Caroli ditionem rediisse. (14)

Victoris, quamquam non incruenta, potitur.

Neque minus prospere interea res a Jadrensibus in Dalmatia gesta est. Veneti, quamquam per Nicolaum Granarium, ut superiore anno narratum est, de induciis, ac pace instauranda in Hungaria agerent, obsidendæ tamen urbis neque studium, neque diligentiam posuere: quod cum integrum annum frustra fuisse viderent, Justinianum Belettum classi præficiunt, rati, mutato Duce fortunam quoque belli commutatum iri. Aliter tamen res cecidit. Belettus, etsi nec animus, nec scientia militaris illi deesset, morbo repente ex gravi cœlo correptus, negligentius rem administrabat, id, quod Jadrensibus facinoris cujusdam, si usus ferret, egregie patrandi animos mirifice adjecerat. Commodum coorta mari tempestas, Venetos, ne naves mutuo impulsu colliderentur, classem solvere coegit: qua re animadversa Jadrenses apparatis lembis, & myoparonibus silente nocte portu egressi principem triremem, in qua Belettus erat, aliamque cum Præfecto intercipiunt prius, quam socii aut de periculo admoneri, aut laborantibus opem ferre possent, reducet, Belettum parum humaniter habitum carceri includunt. (15)

Veneti Jadram, sed incassum, oppugnant.

Veneti re intellecta partim pudore suffusi, partim vindictæ studio acti, quod urbs, quæ incrementa fere sibi deberet, Reipublicæ vires tamdiu elusisset, validam denuo nova classe instructam mittunt, qui fastum, & pervicaciam Jadrensium compesceret. Cives sero irritatum, non victum hostem, neque auxiliorum quidquam ex Hungaria advenire intelligunt: itaque ad artes conversi de pace tractationem auspicantur, quam si ad hiemem protraherent, videbant se & periculo exitu, & Hungaros sopito civili bello, suppetias venire posse. Rem a senatu ordini placuit, quos semel, atque iterum Venetias cum litteris expediunt, palam professi, se, si classis Præfectus a bello interea abstineat, ad instaurandæ veteris amicitiæ fœdera non invite accessuros: neque fraudi id sibi datum iri sperare, quod, qui rebus adhuc integris bellum producere queant, converso repente studio pacem flagitarent. Iste se jam dudum animos advertisse, sed, quod Arbensium Oratorem, qui in simili caussa Venetiis morabatur, inhumana cæde trucidatum comperissent, justo metu fuisse prohibitos. Non nesciebat Dux, quorsum Jadrenses his diverticulis evaderent, ne nihil tamen in revocandis ad officium civibus prætermisisse videretur, urbis Comiti, ac prioribus viris ita rescripsit. (16)

Jadrenses pacem intervertunt se simulant.

Marinus Georgio Dei gratia Venetiarum, Dalmatiæ, atque Croatiæ Dux, Dominus quartæ partis, & dimidiæ totius Imperii Romaniæ, Nobilibus viris, qui Jadræ rectores se asserunt, occluso in errore concupere intellectum. Duas litteras vestras, unam datam die ultimo Septembris, alteram die tertio Octobris, unam post alteram, quas nobis misistis, aspeximus, in quibus asserentes verba plurima magnificentia nomen Dei, finaliter in literis ultimis conclusistis quod pacem, & concordiam totis viribus anhelabatis velle, & quod propterea ad nos misissetis solemniter Ambasciatores

Archivum a Venetorum Ducis litteras

(14) Turocz. Chron. cap. 90 Et Bonfin. Dec. II. Lib. IX.

(15) Chronographus Italus apud Lucium. Lib. IV Cap. XII.

(16) Dandulus in Chronico Tom. XII. Script. rer. Ital. Muratorii pag 497

Anno Christi 1312

res vestros, si de securitate eorum fuissetis certi, sed incutiebat vobis terrorem mors illius de Arbe, qui extinctus in nostra fuerat civitate, & ideo providistis nobis tutius literas destinare. Ad quas vobis rescribimus, quod si ad Dominum intuitum mentis vestræ dirigitis, sapienter, & provide agitis. Et ulterius nunc due oculos mentis convertissetis ad eum, quem nos in omni statu glorificamus devote, & tanto profusius, quanto evidentius nobis, licet aliquando fuisserunt nobis afferat, tamen permittit, vitas, & potentiam ad ipsius laudem, & gloriam, & ad reprimendas quarumcunque injurias nos reservavit. Et tamen de ipsius viribus, & potentia nostra solum in tantum confidimus, in quantum ipsius Domini Dei nostri beneplacitu credimus inhærere. Nec potest ejus incomprehensibile judicium facile concipi, quod sæpe causis latentibus permittit fortunam aliquos blandiri, ut fortius eos lædat. Sed non expedit verbis hujusmodi diutius immorari. Ad id quod dicitis, quod pacem anhelatis, & vultis, rescribimus, quod mandato Domini toto corde adhærentes illam volumus, nec unquam pro nobis remansit, ut omnibus nos existat incognitum.

Nam ab initio, & postmodum sæpe, & plures nostros Ambasciatores transmisimus, & ad vos primo, & postmodum de Nobilibus vestris sæpe, & sæpius ad partes prædictas, & non pro nobis, sed pro vobis semper remansit bonum concordiæ, ut vos scitis, & novit Deus, cui omnia sunt aperta, & nunc etiam in eadem voluntate reconciliationis, & pacis consistimus, & consistere intendimus, semper, cum quibuscunque modo facta procedant, quæ nec in prosperis, nec in adversis animum nostrum immutant. Ita quod, sicut & tunc, ita & nunc illam volumus, & ad illam intendimus, semper, cum quibuscunque personis & ad ipsam habendam cum eo, quod convenit, dare operam efficacem, & specialiter reconciliationem, & bonum civitatis nostræ Jadræ, & vestrum, quos tanta affectione diliximus tanta caritate fuimus prosecuti, quantam, novit Deus, poterat pater naturalis ergo dilectos filios gerere, vel habere. Nec multum est opus exemplis, nisi vos oculos, & statum vestrum aspicere, qui in tantum aucti sub nostro fuistis dominio fueratis.

Nec occasione mortis illius de Arbo, vel alia causa habebatis, vel habetis de mittendo ad nos timere, vel re aliquo dubitare, quoniam ipse occasione nostra, vel alicujus nos Venetiarum nunquam recepit injuriam aliquam, vel offensam, immo tractabatur, honorabatur, & videbatur per nos, & nostros tamquam carus, & sicut dilectus noster dilectus: sed quidam inimici ejus capitales, quorum insidias nemo in mundo tueri sicure se potuit, illum letaliter peremserunt, de cujus morte nos, & tota Venetia doluimus, & dolemus, & statim persequi fecimus malefactores prædictos, & de aliquo inventi justitiam, & vindictam fecimus. Illos autem, qui fugerunt, persequi mandavimus per omnes partes, & bona eorum omnia sub nostro dominio existentia intromisimus, etiam certam pecuniæ quantitatem statuimus dare exhibentibus eius eos. Quod pro dicta occasione dictum sit, ne habeatis illud effugium, quod dictis remaneret de mittendo ad nos Ambasciatores vestros, qui non minus, quam in propria domo poterant, & poterunt esse securi. Qui si venient, in nobis reperient voluntatem pacis, quam diximus, & totum quod conveniet pro bono tranquillitatis, & pacis. Aliter cognoscemus expresse, quod verba vestra nullum dant effectum, nec aliquam firmationem, sed quod astute unum ore dicitis, & corde aliud cogitatis. Datum die XVII mensis Octobris undecimæ Indictionis Anno M.CCC XII.

1313. *Instauratur bellum Dalmaticum.*

Credibile tamen est Jadrenses nec sero animum ad pacem applicuisse, nec, quos polliciti sunt, Oratores ad Venetos adiisse, quod hi sequente anno bellum majoribus, quam antea, viribus instaurarent. Jadrenses enim Mladinum Pauli Bani filium, qui patris, superiore anno defuncti, Præfecturam a Caesolo acceperat, non modo successorem belli, sed ductorem quoque nacti sunt, hominem suapte præferocem, & qui cohortium, quas ex Hungaria, ac Sclavonia contraxerat, auxilio omnem belli vim se elisurum sperarat. Veneti contra, qui quamdiu Jadra non poterentur, tamdiu mare quoque Adriaticum infestissimum se habituros viderent, omnibus viribus agendum, classemque, paucis domi relictis navibus, quæ tuendo portui satis essent, in Dalmatiam transmittendam decrevere. Hi (ut Mussatus (17) scribit) acciri placuit *Almaginum Calchimarisem*, virum *belligerum*, qui

(17) De gestis Italicorum Lib. II. Similia Marius scriptor coævus. Cap. VI.

Annus Christi 1313

qui Ferrariensi bello exortum Ductor mille fere Venetis cæsis, unatisque, rerum fuderat exercitum, qui & per seditionem occiso Francisco Marchione Estensi, cum quo adversus Venetos eisdem consortia egerat talem Ferrariæ cedentem . . . suis admisere subsidiis cum millibus mercenariorum equitum, totidemque pedestrium catervis, ære dato ter mensium suffutura stipendiis, instructaque modica classe fecus insulam, quæ Jadræ adjacet, obsistens se exposuisset. Is multo strepitu, tumultuque navibus excedens prope Jadræ oppidum statim posuit, vallo, fossisque circummunierat. Pratonus & Banus in eodem ab aquilone tempo, mille ferme passibus ab Almasii stativis totidemque a Jadræ mœnibus, castris positis copias suas eduxit. Unde, si oppugnaturus oppidum Almasius castris exiret, & hic eadem invaderet, variis hinc, & hinc eadem æstate certaminibus fatigatæ partis parum memorabilia egere, multi Venetorum fastidio. Impensa namque prodere, cum suæ maxime pecuniarum effusionibus res agerentur, illi ædibus propriis commodorum omnium vicinitate gauderent. Dumque ad liberna carpendarum, quæ tanto exercitui suppeteret, rerum tempus impelleret, expleto Almasii, suorumque transitis stipendio, Venetias pro adversitatibus tribus juxta mutas utrinque conventiones missi.

Veneti tantis exhausti effusionibus, & pondere gravis æris ærllatum eo tempo, quo suæ eorum remigio egredi non valeret, existimantes transire persolvere multa indigentia commodi non posse, in responsis dederere: sit ipse contentus unius Ducatæ mensis tracti excubationis, quem & quatuor aureorum esse velit pro singulis hastatis, quæ de octo fuerat aureis primi fœderis percussione. Angustatus, oppressusque, & temporis, & loci opportunitate Almasius, ut si variis augebatur anxietatibus, torquebaturque ad frequentes conversus supplicationes, multorum veteratione nuntiorum, ut sibi suisque pacta servarent, quibus & sua sponte compati, ac attribuere, donec liberius suffultus necessarius foret, commovere voluerunt. Nisi hac pertinacia, seu penuria coarctante, seu concepta violentia perseverantia, Venetos movere. Banus horum omnium per transfugas gnarus, edoctusque, primum clandestinum Venetos de pace per internuntios interpellavit. In amicitiæ fiduciam Jadrenses acciperent, humillioribus obsequiis ex libertate servituros, quam si violenta obedientia promerentur. Sit eis actualis, non verbalis libertas, spontanea, quam coacta gratior Jadrensibus, utilior que Venetis esto. At Venetorum in Jadrensis Majestas fulta, cum subditis subjugata nollet, sed oblatorum admisit, offensa magis libertate petita.

Banus irretussus, sic ferentibus rerum successibus, ad Almasium, loco, tempore, & vexantibus Venetis circumventum conversus, ut rebus sis affectis, ut ipse noverat, clandestine sollicitavit, demum tacitis per internuntios allocutionibus, suggestione facta Venetis, ut pro utrinsque colloquio ad æquorem Venetorum vota res componi possent, convenere Banus, & Almasius. Quamquam inter utrumque fœdus est jure jurando omologatum, & Venetorum castris egrediens in Jadram cum suis pergat, accepturus a Bano in præsentarium florenos aureos mille, prætiaque Jadræ regimen, annua florenorum nullum mercede tam determinatis ad impensarum usum, grani, vini, & animalium fulcimentis. Hic dum ipsi Almasio libuerit, ad id temporis duraturis, sisque in ejus optione, si maluerit in Apuliam migrare, & quandocunque ei libuerit, in tuto trajiciendus sit vestis, & concessis Bani, cum suis, & suorum armis & equis. Regressus Almasius, ut indignatione vasalli negotii, cum Bano ad certamen sub oppidi mœnia movendum, signis classicis, militarique fragore fere constituit, suorum primores secretis, quod in sequentem fuerat acturus, monitis edocuit. Postquam autem illuxit in Kalendis Septembris anni decimi tertii, ducentesimi, millesimi, instructis aciebus, desistuit castris Jadram cum suis intravit incolumis. Veneti collectis extemplo sarcinis, admiratione, metuque simul stupefacti ad naves se suas contulere, insultum habituri erant in eandem classem, nisi secedentes e portu, cursu celeri remigassent. Sic parum feliciter rebus gestis ignominiam perpessi Veneti, nec ipsi bellorum Italicorum ignavi fuere.

Jadram ingressus, acceptusque magna alacritate Almasius, ut hujusmodi proditionis infamiam, si qua notabatur in virtutis obsequium transferret, affectos oneroso bello Jadrenses ad pacem, quam se illis saluberrimam dari spopondit, hortatus est: quos ubi promtos, tractabilesque percepit, subito Legatos ad Venetos misit, qui si non ob alias in Jadram translatam causas asserant, nisi ut, quod ulterius nullis obsidionis perpessura,

sura,

Anno Christi 1313.

fora facere nequiverat, amplioris, utiliorisque pacis foedere hac simulatione efficeret: verebat ipsi tantum gestis tracundiae simulis, evidentibus suis commodis acquiescere, plurimum potituri hoc ingenio, quam armis, patiantur que, ut, tam male dispositis ad sua commoda rebus, sibi consulat, quodque in Jadram se temperaverat, non fraudi, dolove, sed fingi, laudabilique proposito adscriberent. Veneti tanto in nefrastu, discriminique astutus se rebus ad spem conversi, grates amice, circumspectoque viro tantae meditationis agere, respectuque debitionis, ut confidat Duce id agere queant, date, illius se partarea consiliis respondere. Dux, Statusque Venetiarum, quos abitus potiundae Jadrae spes deseruerat, hac grata, acceptaque visa, jussique primeres exercitus, ut antequam sui excidit, quod jam increbescat, fama prodeat, cuique foederis, quod spem pacis habeat, intendant, exequaturque lenemissi peragente Almasio, optantibus leniter Jadrensibus, pacem illam ad omnium nationes publicavere, aliis de conditionibus, per utrasque partis arbitros, Almasio medio.

Interea internes Veneti inter manus recepti, fidaliter praelato ex se uno, qui ad instar primarium consultadiceam communitatis jus Venetis doceret, in urbe versabantur, omnibusque comitia agebant per jocunda foedera, nec mons pariter, & indies de pacis caude verbis agebatur. Cumque fieri assolet, in tractatum disceptationibus super articulis discolae partes deverterent, paullo ante fedati medium annis, habitusque Almasius utrisque suspectus, ne vacillans rursus alteram fallat, alteri adhaerat, ipsumque astutissimum haec non laturre, qui Jadra cedere, si intolendis valeat, constituat. Concione igitur habita, quae super pace egerit, rememoravit, bono animo, ingeniique solertia res salubres hic, atque hac exercuisse, rebus atque ad utrasque partis bonum communi dispositis, abire velle, naja, navesque curaretur, quibus equos, & jactinas in Apuliam tempestat proposito. At naviisque graves allae, navesque confibulae quinque, quas praecursus pelagi tempestas mersit, abreptam, ut scopulorum cautes incurrerent, absque fretum haberent. Almasius omnium extendarium insidiarum assaila nolla lembum ingressus in Apuliam devectus est.

Pax inter Venetos, & Jadrenses conciliata.

Hactenus ex Mussati fide. Almasio in Apuliam transmisso facilis inter disceptantes concordia inita est. Mladino arbitro ita conventum, ut Jadrenses pristina libertate fruerentur, penes Venetos contra, quemcunque cives legissent, comitem urbis confirmandi, jus & potestas esset. Spalatum quoque, Tragurium, Sebenicum, & Nonam in Venetorum fidem iisdem foederibus concessisse Itali scriptores memorant. (18.) Non erat vana suspicio, Mladinum, quod integris copiis, nec tentato marte, Jadrensibus metandorum cum Venetis foederum auctor fuerit, jam tum ad arripiendam Dalmatiae, ac Croatiae tyrannidem animum applicuisse, ut in loco docturi sumus. Carolus, quod ob Catharinae uxoris mortem lugeret, a bello abhorruit, facileque foederum conditionibus subscripsit. Cujus gentis, aut qua domo Catharina fuerit in obscuro est. Illud certius, vehementer eos a vero aberrare, qui illi Mariam (19.) anteponunt, quod ex litteris Caroli in extra controversiam sit, Catharinam regi prius, quam diademate inauguraretur, collocatam esse.

1314. Rege invitis urbis assensio.

Ceterum cur Carolus Jadrenses, quos ab hac, quam illi in Hungarorum clientelam concessissent, acriter tamdiu adversum Venetos susceperat, tam facile rursum ad Venetorum dominationem transire passus sit, Matthaeum Trenchiniensem in causa fuisse perhibent, qui, tametsi memorabili nuper praelio fractus esset, tamen nondum res suas ita collapsas sensit, ut sibi magnopere a rege metueret. Quin Carolum, quod pugnacem hominem haud ita pridem expertus esset, de ineunda adversus rebellem armorum societate cum Friderico Austriae, ac Styriae Duce egisse publicum litterarum instrumentum testatur, quibus, si Fridericus sibi adversus Matthaeum suppetias veniret, vicissim auxilia, cum usus ferret, interposita juris jurandi religione pollicitus est. Litterae in haec verba habent (20.)

Ka-

Alkas comprimendos foederum Friderico Austriae Duce init.

(18.) DANDULUS in Chronico sedad annum 1322. "Insuper Civitates Spalati, Traguriii, Sebenici, & Nonae dimissa etiam "caligine, sub Dominio Ducali reduxerunt.

(19.) BONFIN Dec. II Lib. IX Litterarum fidem facit Ladislaus Thuroczy S. J. in Regibus Hungariae pag. 229.

(20.) Diplomatarium Styriae Emanuel Frolichii inter Seccoviensia Num. CLV.

Karolus D. G. Rex Hungariæ significamus, quibus expedit, universis. Quod nos cum magnifico Principe Domino Friderico, Duce Austriæ, & Styriæ, fratre nostro Charissimo - - - promittimus fide nostra, mediante nomine juramenti, ipsum dominum Fridericum & suos Fratres contra omnem hominem juvare, nec debemus concordare cum aliquo, vel aliquibus regni nostri, nisi præfatum dominum ducem, suosque fratres eidem concordiæ includamus. Si quis autem in præjudicium eorundem statum concordiam infringeret, aut turbaret, ex tunc nos ipsis Ducibus apponere, & eos juvare debemus contra eos, qui adversarii fuerint, aut rebelles - - - Datum anno MCCCXIV.

Annus Christi 1314.

Redierat tum ex Francofordiensibus Comitiis Fridericus, Cæsar a pleraque designatus, cum interea a paucis Ludovicus Bavarus eadem quoque dignitate ornaretur. Fœdera a Carolo oblata avidissime arripuit, ut Hungarorum sibi amicitiam adversus Ludovicum affirmaret: neque tamen pactorum conditiones ratas Carolus habuit prius, quam Cæsar insulam Cituorum, & quidquid Agnetis dotis nomine ab Andrea Veneto consignatum erat, recuperato postliminii jure redderet. Fridericus ne illiberalior tergiversatio quidquam moræ ad afferendam sibi Imperii dignitatem olim inferret, facile Carolo morem gessit, ac Hungarum cum exercitu ingressus, lectissimum militiæ robur Comaromio, quod in Matthæi Trenchiniensis potestate erat, admovit, brevique expugnatum Carolo reddit. Qua victoria Rex supra modum lætus vicissim fidem suam Cæsari obstrinxit, ut ex literis supra laudatis citra dubium conficitur. Ab hinc Matthæus, quod munitissimo loco exutus esset, bellum grassatione magis, quam ex ratione militari biennium integrum inauspicata plerumque fortuna traxit, quo evoluto hominem ab omnibus desertum, & miserrima morte absumtum Codex juris patrii memoriæ consignavit. (1)

Quibus conditionibus confirmata.

Utcunque id sit, Matthæus certe moto in Carolum bello signum veluti extulit, quo Tartari, quorum reliquiæ a Ladislai Cumani obitu haud paucæ in Hungaria restiterant, ad corripienda quoque arma incitarentur, qui conjuncti schismaticis, aliisque barbaris gentibus Hungariam fœdissimum in morem vastabant, & immensam Christianorum multitudinem in servitutem abductam exteris in mancipiorum loco vendebant. Pontifex, cujus opem Hungari implorabant, ut malo medelam poneret, ad universos regni incolas scripsit, largissimam peccatorum indulgentiam iis, qui regis signa secuturi essent, pollicitus. (2)

Tartaris Hungariam vastantibus,

Universis Christi fidelibus per regnum Hungariæ constitutis.

Cum, sicut ex parte vestra fuit nobis expositum, vos, & Ecclesiæ Romanæ fideles aliarum partium regno Ungariæ adjacentium a schismaticis, Tartaris, paganis, aliisque permixtis infidelium nationibus impugnationes, depopulationes, captivitates, servitutes, & carceres, & alias diversorum generum pœnas, & cruciatus multiplices patiamini, quibus nec obviare potestis, nec resistere per vos ipsos, nos hujusmodi vestris tantis calamitatibus, instantes, & pressuris affectu paterno compatientes ab internis, libenter vobis illis, quibus possumus, spiritualibus subsidiis, quod cuilibet temporali prævalet, misericorditer subvenimus. Ut igitur vos aliique Christi fideles ad defensionem Catholicæ fidei contra schismaticos, & infideles eosdem eo amplius animemini, quo temporalem in hac vitam sperabitis in perpetuum commutare, nos de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum auctoritate confisi, vobis omnibus, cæterisque Christi fidelibus, quos pro defensione Catholicæ fidei in bello, seu pugna in regno Ungariæ, aliisque fidelium terris & partibus eidem regno adjacentibus supradictis, aut terminis eisdem, habitis contra schismaticos, Tartaros, paganos, aliasque perversas nationes infidelium supradictas, aut ex vulneribus in eodem bello, vel pugna receptis postmodum mori contigerit, vestrorum omnium, de quibus vere contriti fueritis, & confessi, plenam concedimus veniam peccatorum, præsentibus post triennium minime valituris. Datum Avenione Kalend. Februarii Anno IX. Credibile est, schismaticos hoc loco eos venire, qui Urosio Serviæ regi parebant, Carolum autem, quod cum Matthæo Trenchiniensi res illi esset, arma vim non satis potuisse reprimere; cujus conjecturæ rationem infra dabimus.

Pontifex fideles ad sacrum bellum hortatur

(1) In vita Caroli hujus, Decreto præfixa. (2) RAINALD. ad annum 1314.

Annus Christi 1315. Rex jam bis viduus ad novas nuptias aspirat.

Hæc inter domestico rursum luctu Carolus squalere cœpit, cum Mariam, alteram Conjugem, Casimiri Poloniæ Ducis filiam magno dolore amitteret, vel eo nomine infelix, quod viduitatis mœrorem nulli liberi pensarent. Itaque cum ex neutra patris nomen tulisset, & hæredem regno dare cuperet, vixdum elapso biennio ad novas nuptias animum adjecit. Terrebat tamen sterilis ambarum uxorum, quas prius habuisset, torus, & non sibi solum, sed regno quoque, quod obemolis, & foederum societate fulciretur, conjugem ducendam arbitrabatur: quorum utrumque cum nuspiam melius, quam per Joannem Lucelburgicum Boemiæ regem, se adepturum speraret, splendidissima legatione conveniendum censuit, ut sororum unam, duas enim habuit, & formæ præstantia insignes, & ætate procreandis liberis idoneas, sibi uxorem dare pro vetere adversum se amicitia ne gravaretur. Accepit rex Legatos summa benevolentiæ significatione, atque ex eorum arbitratu juniorem sororem Carolo absenti magno apparatu subarrhavit. Juvat, quemadmodum res gesta sit, scriptoris, qui solennitati tum Pragæ interfuit, narratione complecti. (3)

1318. Ducit Beatricem Lucelburgicam

Eodem (inquit) anno MCCCXVIII. Karolus, filius Caroli Siculi, factus rex Hungariæ, primis suis (4) absque liberis viduatus uxore, Thomam, ac Simonem, Comites Hungariæ, cum Stephano interprete, & cum decentia familiæ misit ad Johannem, ut unam de suis sororibus velit pro conjuge sibi dare. Hæc legatione amicabiliter suscepta, Johannes rex Bohemiæ certis nuntiis suas sorores de Lucelburgensi evocat comitatu; quarum major vocabatur Maria, junior vero Beatrix proprio nomine ibi vocata. Neutra harum puellarum attigit quartum decimum ætatis annum. Ad fratris itaque vocationem istæ ambæ Virgines venerunt, & duodecimo Calendas Julii Pragam cum sua familia ingressæ sunt. Quarto autem die post istarum adventum puellarum, una rex, & regina ad monasterium aulæ regiæ hic pariter venerunt. Debuit enim tunc solenniter peragi dies anniversarius fundatoris illius loci. Venerunt quoque illuc legati regis Hungariæ, & ut eorum exaudiatur petitio, incipiunt cum instantia postulare. Quorum petitioni rex Johannes annuit, & ut unam de suis sororibus eligant, liberam optionem eis dedit. Stabant igitur Hungari in suis desideriis exanimes, me præsente, & vidente, coram ambabus puellis, intendentes in illas mente tacita, oculis apertis facies delicatas istarum virginum diligenter inspiciunt, conditiones corporum discutiunt, gressus describunt, &, quæ sit eligibilior, sagaciter inquirunt. Tandem Beatricem, juniorem puellarum, sibi assignari postulant, Dominam Hungariæ, & reginam. Rex Johannes consentit, & gratulatur: puella ad Ecclesiam deducitur, & mox coram summo altari B. Virginis in aula regia, Karolo Hungariæ regi, sed absenti, ad manus Comitum præsentium legitime desponsatur. Campanæ duplex pulsatur, & per conventum monachorum, qui omnes ibi aderant, Te Deum laudamus altisonis vocibus decantatur. Nec longo post, per Nuntios solennes regis Karoli hæc tenella puella in metis Moraviæ, & Hungariæ reverenter suscipitur, & in Hungariam deducta infra octavas B. Martini Episcopi coronatur, statimque, sicut eadem die, nuptiarum festiva solennitas per regem Hungariæ celebratur. Hactenus scriptor anonymus, &, ut ipse diserte fatetur, illius temporis concentique auspiciorum neonapus epithalamium metro, quod candorem illius ævi sapiat, in hæc verba:

> *Da Deus ut crescant, feliciter ambo senescant,*
> *Quos conjunxisti, conserves ab omne tristi.*

Post nuptiarum celebritatem litteræ ab Joanne summo Pontifice regi afferuntur ob litem, Jaurinensi Episcopo intentatam, qui castrum urbis regio juri assertum ibat. Joannes discussa re diligenter Carolum admonuit, neque e honore suo futurum, neque parum sibi gloriæ apud exteros confecturum, si quod petitus o-mnium

(3) Script. rer. Bohem. Hanoviæ edit. Cap. V. pag. 27

(4) De Catharina cujus rex ipse in litteris sula mentionem facit, victori extero nihil constitit: aliequin fecundam dixisset.

Anno Christi 1318.

omnium Hungariæ regum tam liberaliter Episcopo attribuisset, ipse ostentata immodica rerum cupiditate eriperet. Indubitanter scribit, *Fili charissime, tenere te volumus, quod tuos honores, tuaque laudis, & famæ præconium affectione paterna diligimus, & si in virtuosis tuis actibus, qui honestatem regiam condecent delectamur. Sic equidem, si a laudibus, & modestia devient, toto benevolentiæ commovemur, optamus itaque actus tuos illa semper maturitate fulciri, quod in conspectu omnium placeant, & quempiam non offendant* (5). Nec dubium est, regem, qui magna ceteroquin in summos Antistites reverentia ferebatur, morem Joanni eatenus gessisse, quod arcem eam deinceps in Episcoporum Jaurinensium arbitratu semper mansisse exploratum sit.

1319. Qua immature fato erepta Poloniæ Regis filiam sibi despondet.

Ceterum spe sua, quam de nova conjuge habuerat, frustratum fuisse regem ipso eventu comprobatum est. Nondum enim annus se evolverat, cum Beatrix immaturo fato ingenti regis, ac regni dolore improlis eripitur. Sedato luctu novos rursum amores meditatus ex Polonia sponsam deducere constituit. Præerat Polonis tum Wladislaus cognomento Lokticus, seu Cubitalis, qui defuncto Premislao omnium votis rex designatus, Wenceslao tamen Bohemo factione inferior, regno cedere debuit, quoad, illo per seditionem cæso, rursum ad capessendam rempublicam evocatus rerum tranquille potiretur (6). Hujus filiam Elisabetham pudicitiæ, ac elegantiæ fama latissime vulgatam per Legatos Caroli regis, ac tori sociam postularat, oblatis quoque fœderibus, quibus communes utrique hostes, & amici ex æquo essent.

Lis cum zagrabiensi Episcopo orta.

Legatus in Poloniam profecto, Augustinus zagabriensis Episcopus ex totius Hungariæ Cleri consensu ad Pontificem mittitur, quam ob caussam, non est satis apertum. Sunt, qui ob hæreticos ad Ecclesiam traducendos iter suscepisse perhibeant (7), alii ad tuendam Ecclesiarum dignitatem Legati munus obiisse volunt. utrumvis sit, nescio & graviter propterea offenso Carolo eam profectionem Episcopum adornasse ex Pontificis epistola constat (8), qua regi prolixe significat, Augustinum nihil de se, nisi quod laude, & commendatione dignum sit, retulisse oratum velle propterea, ut non modo quidquam sinistræ suspicionis in animum admitteret, sed contemtis obtrectatorum cavillationibus Episcopum in pristinam sedem redire pateretur. Carolus tamen, fortasse pro eo beneficio, quod in comitiis regi ab Episcopo impensum narravimus, parum gratus, ægre tulit, quod suo injussu ad Papam profectus esset: itaque scriptis ad Robertum Siciliæ regem litteris, petebat, ut Augustinum honoris caussa inter Italiæ Episcopos accenseri a Pontifice postularet. Modius (9) illorum temporum scriptor ad Nucerinam Apuliæ Cathedram traductum memorat, de quo tamen dubium merito oboriri possit, quod nec a doctissimo Ughello, qui in sacra sua Italia nihil diligentiæ prætermisisse videri potest, neque a Cl. Coleto, qui supplementa in Ughellum adornavit, ullum locus inter Nucerinos Episcopos Augustino tribuitur.

1320. Reginam ex Polonia adductam inaugurari jubet.

Hæc inter Legati, quos Carolus sub prioris anni exitum in Poloniam miserat, caussa, cur venissent, prolixe exposita, comiter accepti, auditique sunt. Wladislaus enim, cujus ad stabiliendum regnum ob emergentes, quæ se ingesserant, difficultates magnopere intererat res suas summorum potentia fulciri, non modo libens Carolo assensus est, sed ne vota regis porro moraretur, filiam Legatis cum splendidissimo comitatu Budam deducendam commisit. (10) Celebratis magno apparatu nuptiis Albam regiam deducta nova conjux, ex ritu regina Hungariæ inaugurata est. Quo tempore Basilicam, quæ ab D. Stephani temporibus inngendis regibus destinata erat, quod vitium jam traxisset, instauratam a rege, noviaque testitudinibus, ac superbissimis substructionibus exornatam esse domestici annales memorant. (11) Quam rem cœlo placuisse eventu comprobatum

 est

(5) Raynald. ad annum 1318.
(6) Cromerus rerum Polonic. Lib. XI.
(7) Hist. zagrab. pag. 105.
(8) Raynald. ad annum 1319. N. 15.
(9) Cap. XXVI.
(10) Cromerus rer. Polon. Lib. XI.
(11) Timon in Epitom. ad hunc annum.

Anno Christi 1320. A maritima Macedonum subjugat.

est, quod Elisabetha edito in lucem ad sequentem annum Carolo regem optato patris nomine exornasset.

Rex a novae conjugis amoribus ad curandam rempublicam, quasi ex intervallo reversus, arma in Urosium Serviae regem scriptis undique supplementis apparabat. Quae causa belli fuerit, in obscuro est, nisi opinemur, Servios, quos schismaticorum nomine Pontifex datis nuper ad Carolum literis innuerat, Tartaris conjunctos Hungariam infestasse, cum rex adversus Matthaeum Trenchinensem bello implicaretur; alioquin de nihilo regem infestis signis in Serviam movisse, cujus res nondum satis tutae domi erant, suaderi verisimiliter non potest. Sed ut belli causa incerta est, ita illius exitus tam felix, ut Hungaria novis accessionibus locupletata fines amplissime protulerit. Victo enim, & profligato Urosio Macedoniam mediterraneam Hungariae juribus Carolus asseruit, cujus titulo quo minus in literis publicis uteretur, id in causa fuisse suspicor, quod maritimas Macedoniae urbes, sine quibus mutila provinciae possessio erat, classe destitutus subjugari posse spem nullam videret, nisi novis suppetiis aliunde fulciretur. Eam ob rem nuntios ad Pontificem expediverat, qui relatam primum a se ex Serviis victoriam significarent, tum opem quoque exposcerent, qua magno Ecclesiae bono victoriae fructum porro persequi posset. Pontifex, ut regem in proposito confirmaret, datis literis summos Hungariae Principes, ac Fridericum imperiis Romanorum regem sollicitavit, ne Carolum in tam commendanda causa ad rem Catholicam confirmandam desereret, copiisque auxiliaribus, quantum citra suarum provinciarum incommoda posset, adjutum iret. Libet ipsam epistolam in medium proferre, ut victoriam in Macedonia a Carolo relatam, quam nostri, quod sciam, omnes silentio praetereunt, certissimo argumento confirmemus. (12)

Charissimo in Christo Filio Friderico Regi Romanorum electo

Accepit prosperos gratulatorias literas a Pontifice

Firmam gerit de celsitudine tua mens nostra fiduciam, quod in his, quae divini nominis laudem, exaltationem fidei, & infidelium, & Schismaticorum depressionem, eorumque reductionem ad fidei Catholicae unitatem respiciunt, ingenitae sibi commendabilis voluntatis insinctu, ubi nulla extrinsecus providentiam tuam ad id stimulatio commoveret, ferventi desiderio te promptum, utilem, & fecundum copias exhibere. Sane charissimi in Christo filii nostri Caroli, regis Ungariae illustris jucunda, & grata relatio nostro apostolatui patefecit, quod dudum ipse sub spe coelestis auxilii, cujus est arbitrarium suorum dirigere, & roborare processus, contra schismaticos, & Orthodoxae fidei inimicos in potenti manu, & exercitu copioso procedens, superna sibi favente potentiae dextera, de dictis schismaticis feliciter triumphavit, ita, quod regnum Macedoniae, sicut rei evidentia facti in illis partibus evidentius notum reddit, de manibus illorum ereptum suae subdit ditioni. Qui tanquam Princeps Catholicus, & tam genere, quam magnanimitate praeclarus ad debellandum dictos schismaticos, & infideles usque ad partes maritimas spem robusti cordis firmitate protendens ad id anhelat, suasque vires Catholicas roborat. atque confisus, ut in exercitu gravi, & dextera extenta, aliorum Catholicorum Principum fultus auxilio procedere valeat, ad dictorum schismaticorum, & infidelium residuum conterendum.

Quia igitur fili decet te, qui sibi es affinitate, & dilectione conjunctus, super prosecutione tam pii, utilisque negotii non deesse, sed in favorem Orthodoxae fidei, & dilatationem ipsius tui opem subsidii ministrare, serenitatem tuam affectuose rogandam duximus, & hortandam, quatenus ob ejus intuitum, qui suo pretioso sanguine nos redemit, cujus in hac parte negotium geritur, cujusque in his beneplacitis deservitur, nostraeque intercessionis instantiam eidem regi in hujusmodi laudabilis prosecutione negotii assistas viriliter, & potenter, sibi juvamen, & opem, prout ejusdem negotii magnitudo deposcit, per te, & subditos tuos liberaliter impensurus, sic in praemissis te utiliter, & favorabiliter habiturus, quod altissimus digna proinde tibi praemia re-

com-

(12) RAYNALD. ad annum 1320.

compensét, vosque devotionem tuam dignus possimus in Christo prosequi affectibus gratiarum. Datum Avinione VI Nonas Julii, anno IV.

Annus Caroli 1321. *Friderico Cæsari suppetias venit.*

Verum Friderici res eo loco fuere, ut non modo Carolo nullos auxiliarios mittere posset, sed regem Hungariæ novis foederibus præterea sibi conjungere necesse haberet. Erant Friderico, ut supra narratum est, cum Ludovico Bavaro ob Imperium lites, quod uterque suffragiorum prærogativa ad se pertinere contendebat: cum neuter alteri cederet, neque controversiam Imperii Optimatibus, qui ut prius votis sic, tunc animis quoque vicissim dissidebant, committere tutum esset, ad vim & arma uterque spectabat, adscitis in armorum societatem, quorum suppetiis, & auxilio dignitatem tuerentur. Carolus propterea a Friderico interpellatus, quod ejus opera Matthæum Trenchinensem Comaromio, ceteris oppidis olim exuisset non solum foedera, quæ prius pepigerat, instauravit, quibus suos se castigaturum, qui Austriacis injuriam inferrent, (13) in primis pollicitus est, sed auxiliarios etiam adversum Bavaros se missurum liberaliter recepit. Quanto numero, pactionum quidem tabulæ nuspiam memorant, constat tamen bis mille ducentos equites Hungaros, tum quater mille sagittarios Cumanos in suppetias missos esse. (14) Aventinus contra sex & viginti millia Hungarorum pugnæ interfuisse scribit. Sed qui Turcas longissimo spatio ab Hungaris in Asia ex ætate divulsos ita liberaliter nostris immiscere non veretur, suspicionem non de nihilo præbet, exaggerata externorum subsidiorum copia magis Ludovici Bavari victoriam illustrasse, quam veritatem scribere voluisse. (15)

1322. *Novæ in Dalmatia turbæ.*

Sub hæc dum externis auxiliis est Carolus, res domesticæ in Dalmatia haud levem jacturam accepere. Mladinus, qui patri suo functo Banus subrogatus est, aperte ad tyrannidem grassatus sacram perinde ac profanam rempublicam miscebat: neque enim solum Ecclesias fundis per summam injuriam privare ceteraque, quæ Antistitum sententia diramenda erant, suo judicio profanus homo conflueto cœpit, sed civium quoque fortunas promiscue invadere, vimque sibi factam querentes neque auditos, neque convictos morti addicere, &, ne ullum tyranni crimen prætermisisse videretur, publicæ etiam fidei obsides passim trucidari jubebat. (16) Tulere hæc Dalmatini, in primis Tragurini, ad quos eæ calamitates præcipue attinebant, graviter, & percusso cum Sibenicensibus foedere ad Venetorum clientelam se transituros palam minabantur. Ea res Mladinum magnopere perculit, veritum, ne si defectionis causa, quod hactenus summo studio impedierat, ad Carolum perferretur, capitis discrimen subiret. Itaque collectis celerrime copiis Sibenico militem admovet, vastansque integrum mensem civium agros, cum in urbem ipsam nihil se posse videret, Tragurium iram, & exercitum traduxit. Dum hic quoque civium fortitudine repulsus, nihil, præter vastatam, ex sententia confeceret, in Croatiam abscessit, ut pellectis in suam partem provinciæ illius Optimatibus, majoribus fultus auxiliis ad capiendam ex refractariis vindictam reverteretur. (17)

Tragurini et Venetis se dedunt.

Interea Tragurini cum Sibenicensibus nuntios ad Venetos misere, qui se in illorum arbitrio futuros pollicerentur, si Mladinum, ejus vim, ac injurias armata manu coercerent. Veneti eam propagandæ ditionis occasionem minime negligendam rati, cives, qui se sponte sua eorum fidei credidissent, in clientelam se accepturos publicis literis professi sunt, scripsereque ad Spalatinos rogantes, ut pro vetere in rempublicam Venetorum amicitia Tragurinis, ac Sibenicensibus

(13) Diploma ex Tab. Cæsar. exhibet P. Ant. Steyerer S. J. in comment. pro historia Alberti II. Ducis Austriæ in additamentis ad cap. I. Pag. 3. *Karolus Dei gratia Hungariæ rex .... ut amor, & dilectio, quibus nos naturaliter serenissimo Principi, Domino Friderico, Dei gratia Romanorum regi semper Augusto, & illustribus Leopoldo, Alberto, Henrico, & Ottoni Ducibus Austriæ fratribus nostris karissimis vera sanguinis astringimur - Datum anno MCCCXXI.*

(14) Hist. Ducum Styriæ in Friderico pag. 172.

(15) Annal. Boj. Com. Lib. VII.

(16) Marcus Cap. XVIII.

(17) Idem Cap. XVII.

Annus Christi 1322.

bus molesti ne essent, neque Mladinum, aliosque hostes re, aut consilio adjuvarent. Litterae in haec verba habent. (18)

Joannes Superantius Dei gratia Dux Venetorum --- Nobilibus, & prudentibus viris N. Potestati, Consilio, & communitati Spalatensi, amicis suis fidelibus, salutem, & sincerae dilectionis affectum. Scire vos credimus, quod Banus contra terras Dalmatiae crudeliter saeviebat, intendens eas ejus subjicere servituti, ad supplicationem, & instantiam hominum Sibenici, & Tragurii, ipsas terras sub dominio, & protectione nostra recepimus, proponentes, eas, & cives ipsarum salubriter gubernare, & statum, ac augmentum ipsorum pro viribus procurare, non sic plene, & gratiose ipsos in nostra gratia, & fidelitate admisimus, ut facto eorum proprio reputantes, amicos suos pro amicis, & inimicos pro inimicis totaliter habeamus. Sed quia commune, & homines Spalati nostrae semper dileximus, & ad nostra invenimus beneplacita liberales, & sic eos dispositos de cetero ad honorem nostrum credamus invenire, cum in omni beneplacito suo de nobis, & communi nostro spem possit confidenter gerere, specialiter Nobilitatem, & dilectionem vestram requirimus, & rogamus tenore praesentis, quatenus, cum ad defensionem omnium volentium impugnare, & offendere fideles nostros Dalmatiae, nostra intentio firmiter dirigatur, velletis nostrae contemplationis intuitu, ab omni eorum offensione, & gravamine omnino desistere, & nullum Bano, vel aliis contra nostros, imo contra vos, favorem vel auxilium exhibere, ut nostrum amorem, & gratiam vobis mereamini conservare, omni causa procul amota, sicut de vobis confidimus, & speramus, super quo vestrae responsionis beneplacitum petimus nobis mitti. Datum die quarta Aprilis, Indictione V. (19)

Salvis tamen regum Hungariae juribus.

Verum Traguriui, ac Sibenicenses cum hac parte Venetorum auxilio se tutos quidem adversus Mladini injurias reddi viderent, veriti tamen, ne, quod inconsulto Carolo ad Venetos transiissent, novis se calamitatibus objicerent, pactorum tabulas hunc in modum scribi voluere, ut regum Hungariae juribus nihil propterea derogatum cuperent. Interest ad eorum, quae postea annalibus inseremus, fidem praestandam instrumentum utrinque confectum in locum efferre (20)

In Dei nomine amen. Anno nativitatis ejusdem MCCCXXII. Indictione V. die XVII mensis Aprilis, in Ducali palatio Venetiarum, in Camera Domini Ducis praesentibus sapientibus, & discretis viris, Dominis Nicolao, dicto Pistorino, Vicecancellario Ducatus Venetiarum, Joanne Marchisini, & Andrea de capite aggeris, Notariis, & Scribis ejusdem Ducatus, Leonardo bullatore bullae plumbeae Domini Ducis, & aliis pluribus testibus ad haec vocatis, & rogatis. Itaque cum Nobiles Cives Civitatis Tragurii, & tota universitas dictae terrae considerarent debilem suum statum, & qualiter Civitas ipsa multis periculis subjacebat, ipsius nobiles, & tota universitas supra dicta, longa jam dudum & matura deliberatione praehabita, statui suo providere salubriter cupientes, & considerantes justitiam, benignitatem, clementiam, & humanitatem, atque statum dominorum domini Ducis, & communis Venetorum, sub quorum dominio, fidelitate, & protectione, universi ipsorum domini Ducis, & communis Venetorum fideles, & subditi in suis gradibus benigne reguntur, & aequaliter gubernantur, ac de bono in melius multiplicantur, & crescunt; pro eorum salute, & statu tranquillo Civitatis jam dictae, quem indesinenter quaerebant, Nobiles viros, Damianum Jacobi, Johannem Petri, & Fredericum Matthaei, ut syndicos, Procuratores, & nuntios speciales dominorum Civium, Nobilium, & totius universitatis praedictae Venetias transmiserunt, specialiter ad subjiciendum, & submittendum ad tempus, vel in perpetuum universitatem dictae terrae, Civitatis, & Comitatum ipsius, & bona omnia Civitatis praefatae, fidelitati, dominio, regimini, protectioni, & defensioni domini Ducis, & communis Venetorum humiliter supplicando, quod Dominus Dux, & commune Venetorum dignetur eos ita recipere, tractare, & habere, sicut semper de suis fidelibus, & devotis gratiose & benigne facere consueverunt, salvis honorificentiis, & juribus Domini regis Hungariae, quae habebat, vel deberet habere in civitate praedicta. De quo syndicatu constat publico instrumento, facto sub anno Domi-

(18) Lucius Lib. IV Cap. XIV

(19) Cadit haec Indictio in annum MCCCXXII, quem Chronicon anonymus Venetus apud eundem Lucium aperte quoque consignavit.

(20) Lucius Lib. IV Cap. XIV

Domini MCCCXXII. Indictione V die XXV Martii, scripto manu Andreae Petri de Ancona, Notarii imperiali auctoritate, & sigillato sigillo pendenti cereo dictae Civitatis, & Communitatis Traguriensis, cujus tenor de verbo ad verbum est insertus.

Anno Christi 1322

Initi foederis conditiones

Conditiones porro, quibus se Venetis permiserant, praecipue hujusmodi fuere. Comes, qui urbis praefecturam gereret, ex nobilioribus Venetis esset, ejusque dignitas in biennium prorogaretur. In dicendo civibus jure quatuor Judices, qui ex Traguriensibus sint, sententiam pronuncient, totidemque ex Contribulibus legerent, viros graves, ac prudentia insignes, quos a consiliis habeant: sin de capite arbitrium constitui oporteret, potestas penes solum Comitem esset, nefas tamen habere, quemquam, nisi secundum Traguriensium leges, morti addicere. Cives stipendium urbis Praefecto mille, & ducentos denarios minores modulis quotannis soluturos, cetera, quibus in adeundo, aut potendo Magistratu opus esset, ex Venetorum aerario persolvenda iri. His constitutis Paulum Comitem Breberiensem, tametsi Mladino necessitudine conjunctus esset, in foedera, & armorum quoque societatem adduxerant, & ne fidem, qua Hungariae regi obstringebantur, infringerent, conditiones, in quas cum eo coierant, publicis literis in haec verba vulgavere (1)

Civibus Comitem quoque Breberiensem conjungunt foedere.

In Christi nomine amen. Anno Nativitatis ejusdem MCCCXXII Indictione V die XXIV Aprilis ad honorem Dei, & Beatae Virginis, Matris ejus, & omnium Sanctorum, & Sanctae Curiae Celestis, & ad statum, augmentum, & honorem perpetuum infra Scriptorum, hoc est pactum confoederationis promissum, initum, & firmatum inter egregium virum Dominum Paulum Comitem, filium bonae memoriae Domini Pauli Bani Croatorum ex parte una, & Commune, & homines Civitatis Traguriensis ex altera, in primis namque simul, & ad invicem firmant, & faciunt unionem, & Societatem, & Confoederationem tali modo, videlicet: quod dictus Dominus Comes Paulus debet, & tenetur rebellare, & facere vivam guerram, & manifestam contra Dominum Mladenum, Banum Croatorum, & suos sequaces, & contra quoslibet alios inimicos Civitatis Traguriensis, eosque toto suo posse, offendere, & nocere, & eis damna, & detrimenta fideliter procurare, incipiendo ipsam rebellationem, & guerram hinc ad festum Sancti Petri, de mense Junii proxime, vel ante si citius poterit.

Item debet, & tenetur idem Dominus Comes Paulus, amicos Civitatis Traguriensis pro amicis, & inimicos pro inimicis ubique reputare, tractare, & habere, nec debeat facere pacem cum dicto Bano, vel aliis, qui sunt, vel erunt inimici Civitatis Traguriensis, sine voluntate dictae Civitatis, & hominum Traguriensium, & si dictum Commune fecerit cum aliquibus personis pacem, & Confoederationem contra dictum Banum, & in damnum, & detrimentum ipsius, & suorum sequacium, debet ponere & homines Traguriensis contententur, & volunt esse in dicta unione, & Confoederatione contra ipsum Banum, ... contra Commune Traguriense tenetur, promittit, & debet dicto Domino Comiti facere, sicut superius per omnia est expressum, salva fidelitate domini regis Hungariae, & salvo Domino Duce Venetorum, & suis fidelibus, & subjectis. Item promittit dictum Commune Traguriense eidem Domino Comiti, quod si exercitus de Traguriis exiret foras in Sclavoniam contra dictum Banum, dictus Dominus Comes erit vocatus Capitaneus exercitus gentis Traguriensis, si ipsi Domino Comiti videbitur, & placebit. Item si dictus Dominus Comes Paulus, vel sui homines haberent casum, vel necessitatem eundi, tem intrandi Civitatem Traguriensem, homines Traguriensis promittunt, & debent dictum dominum Comitem, & suos homines recipere in dictam Civitatem, & eos defendere, & juvare, sicut se ipsos. Item si dictus dominus Comes vellet, vel posset se intromittere in dominium Sclavoniae, debent, & promittunt Traguriensis, dicto domino Comiti dare auxilium, consilium, & favorem, per terram, & per mare secundum facultatem, & possibilitatem ipsorum, salva semper fidelitate, & honore Domini regis Hungariae, ac domini Ducis Venetiarum, & suorum fidelium, & subjectorum.

C Et

(1) Idem ibid.

Anno Christi 1321

Et si favente Deo dictus Dominus Comes ad Banatum, vel ad dominium Sclavoniae pervenerit, debet, & tenetur Civitas, & homines Tragurienses dimittere libere gaudere suis introitibus, honoribus, & privilegiis, nec se debeat intromittere, vel aliquid petere, aut requirere a dicta civitate, vel hominibus Traguriensibus, ratione alicujus Banatus, Vicariatus, Dominii, vel Comitatus, seu alterius praeeminentiae, & si pax fieret inter Banum ex una parte, & dictum dominum Comitem Paulum, & Tragurienses ex alia, vel si Banus per aliquem alium modum obiret, promittunt, & debent Tragurienses dicto domino Comiti Paulo usque in vitam suam dare omni anno ex bono amore, & propter rebellationem, & guerram, quam dictus Dominus Comes facere debet, libras mille denariorum parvorum. Praedicta omnia promisit una pars alteri attendere, & observare, & non contra facere, sub poena quingentarum marcarum argenti, & ad majorem cautelam, & evidentiam omnium praedictorum duo scripta de praedictis omnibus, in uno tenore fieri mandaverunt, quorum unum est munitum Sigillo Communis Traguriensis, & illud debet remanere penes dictum Dominum Comitem Paulum, & aliud est munitum sigillo ejusdem Domini Comitis, & illud debet remanere penes Commune Traguriense.

Eum ob rem Carolus in Dalmatiam profectus, turbarum auctorem capit.

Haec cum ad Carolum afferrentur, veritus ne Traguriorum exemplo tota Dalmatia ad Venetos deficeret, Mladinum Praefectura jubet decedere, eique Joannem Baboneum sufficit, monitum, ut coacto exercitu turbarum Principem interea in ordinem redigeret, quoad ipse in Dalmatiam veniens (paullum enim post Banum consequuturus erat) rebus pro temporum, & locorum habitu consuleret. Baboneus, ut regis de se judicium egregio facinore confirmaret, cum lectissima militum cohorte incitatus in Mladinum proficiscitur, eumque ad Bliscam oppidum nactus, praelium que parantem conserta pugna in fugam conjicit, ingentique hominum, ac jumentorum numero mulctatum ita enervat, ut trahendo deinceps bello impar videretur. Castris exutus Mladinus Policum primum, tum Clissam fuga evasit, inde Tininum, quo rex interea advenerat, contendit, spe ductus, muneribus, quorum ingens pretium, & copia fuit, regem placatum iri. Sed Carolus ut primum hominem, qui tam aperta tyrannidis indicia dedisset, in potestate habuit, arctissima militum custodia communitum Zagrabiam primum, deinde, ubi Fridericum parum prospero eventu signa cum Ludovico Bavaro contulisse accepit, in Hungariam captivum adduxit. (2)

Infelici Caesaris praelio in Hungariam revertuntur.

Redierant Hungari ex praelio, ad Mühldorfum inter Fridericum, & Ludovicum Imperii aemulos inito, equis, & numero haud mediocriter mulctati, quae res argumento est, acerrimam fuisse pugnam, in qua cum victor primum Fridericus esset, ad extremum, quod frater Leopoldus subsidiarias cohortes per Ergoviam, ac Hercinam Silvam conscriptas, tempori, ut conventum erat, non adduceret, fortissime dimicans (quinquaginta enim hostium eo praelio sua manu enecuisse fertur) lassus viribus, ac armorum pondere ex suffosso equo in terram effusus capitur. Captae gloriam Joanni Bohemiae regi quidam tribuunt, alii Eberhardo Moshachio, etsi item altero die propterea ortam Fridericus Alberto Rindsmaulio sua sententia adjudicasset. Ferunt, ubi ad Ludovicum adductus esset, inter vincula adhuc militariter ferocem fortunae quidem suae ingemuisse, sed nihil proloquutum. Captus eo praelio Henricus itidem frater fuit, qui intercessu deinde Hungariae, ac Galliae regum libertati restitutus est. (3) Cladis initium causamque plerique Scriptorum, quod sciam, Hungaris tribuunt, quod primi omnium arrepta fuga focios deseruerint, ut adeo praelium, quod secunda fortuna Australes auspicabantur, luctuosissimo fine terminari necesse fuerit. Nolim tot consentientium Scriptorum opinioni temere refragari, at illud compertum habeo, multo aliam cladis causam, quam hi arbitrentur, a Chronographo illorum temporum, & Germano in litteras relatam esse. *Proficiscentes enim* (ut ille scribit) *ad bellum terram propriam, Austriam videlicet, quasi nunquam reversuri, hostiliter, quantum poterant, persequebantur, alterutrum non parcentes, sed rusticorum, civium, & Nobilium bona, ubicunque poterant, rapiebant, colonos quorumcunque dominorum captos, nisi se pecunia redimerent, circa ignem assando, vel aliis* pe-

(2) Marius Cap. XVIII. & XIX. Scriptor. rer. Austr. (3) Chron. Zwetl. apud Cl. Pez. Tom. I.

ganis diversimode effluendo vasa similiter dolia, & alia diversimoda domorum supellectilia frangendo & comburendo, &, quod pessimum fuit, annonam, & vinum, quod secum ducere nequibant, ad lutum platearum, & certe ad aquam fluentem, nisi reducerentur, specialiter effundendo. Castella quoque muorum Nobilium, quod antea inauditum erat, nisi cum eis paciscerentur pro pecunia, manu armata sicut sagittis vel succendis hostiliter impugnando. Quibus similiima ab Hungaris ex altera Danubio ripa eadem patrata cum enarrasset, ideo (subdit) *justissimo Dei judicio personali captivitate, corporali durissima castigatione, rerum suarum spoliatione, contumeliarum affectione puniti sunt* - - (4) Hæc Chronicon ex quo facile de cladis causa judicium quivis pro arbitrata sibi constituerit.

Sub hæc, quanquam rex Mladinum in Hungariam captivum adduxisset, nihilo pacatior Dalmatia fuit, quod novæ rursum turbæ inter Georgium Mladini fratrem, Clissiæ Comitem, ac Spalatenses obortæ essent. Cum enim hi ex Almissanis piratis poenam agrorum populatione sumerent, & Georgius eam vastationem non modo Sociorum, sed suam quoque injuriam interpretaretur, vicissim in Spalatensium terras procurrens ingenti jumentiorum copia cives mulctavit. Ea injuria Spalatenses irritati conscripto ex mille ducentis militibus exercitu in hostem audacter movent, certi prælio decernere, si illius copiam Georgius facturus esset. At ille simulato deditæ opera metu copias Salonam retrahit, ac juxta Clissiam castra metatur, tum locorum situ interclusos aggressus, magnam partem cæsis, & captis facile in fugam conjicit. Spalatenses frustra apud Joannem Babonium, quem haud ita pridem Carolus Bani potestate Dalmatiæ præfecerat, implorata ope, quo loco suæ res essent, regem per nuncios edocent, Banumque res novas moliri, ac non obscure ad tyrannidem grassari significant. Rex ne seditioni locum, aut spatium daret, Nicolaum, Comitem Vesprimiensem, Sclavoniæ præfectura ornatum, cum ingenti Hungarorum, & Cumanorum exercitu in Dalmatiam mittit, qui cum in Sclavoniæ confinio Babonium obvium haberet, conserta pugna seditiosos captis quadringentis, neque paucioribus cæsis, facile dissipat, rebusque Spalatum tendens, dato civibus senatu lites magis sopivit, quam complanavit. Vix enim iter in Hungariam aggressus est, cum optimates Croatiæ, incertum ob quam causam, collato cum Dalmatinis, ac Venetis consilio, ad illorum partes se transituros receperant, ut primum occasio sese offerret, qua detrectatam obedientiam honesta specie tueri possent. (5)

Auctum malum est inquieto Georgii Clissiensis ingenio, qui, nisi oppressis Spalatinis, ab armis temperaturus nunquam videbatur, eamque ob causam inita cum Seguensibus, ac Jadertinis armorum societate maximos ad trahendum bellum apparatus fecerat. Quæ cum in Hungariam crebris nuntiis afferrentur, Carolum mire sollicitum habuere, ne mali contagione ad plures serpente Dalmatia universa se in Venetorum clientelam concederet. Fuissetque citra dubium earum provinciarum jactura consecuta, nisi Cetinensis comes Nelipcius ac Georgius Vayvoda captatis temporibus Mladini fratrem ad Tininam securum, quam in hostico putat, agentem oppressissent, suisque, quos ex Bosnia adjunxit, auxiliaris ex fuga retractum in potestatem redegissent. (6) Eo nuncio regem mirum in modum lætum uxor quoque edito in lucem filio Ladislao recreavit. (7)

Capto Georgio nihil fere periculi in Dalmatia Carolo fuit, qui tametsi in rebellem graviter jure suo animadvertere potuerit, maluit tamen hominem beneficentia sibi conciliare, quam castigatum ad fumendam olim ultionem incitare. Quare Nelipcio in mandatis dat, ut nupta ejus uxore inter Comitem, & Spalatenses arrectam mutua foederum pactione redintegraret. Apparebat in principio pacem difficulter coalituram, quod Spalatenses, cum infensissimum hostem in potestate haberent, captura non ante dimissuri videbantur, quam quascunque scripsissent, con-

Annus Christi 1322

1323 Novantur Dalmatiæ pericula.

1324 Seditiones iterum in tumulto conjiciuntur

1325 Dalmatia intestinis seditionibus pacata.

C 2

(4) Chronic MS apud Cl. Lucic.
(5) Maurus cap. XXI. & XXII.
(6) Idem Cap. XXIII.
(7) Tymon in Epitome Chronolog.

Anno Christi 1325.

conditiones miturum se reciperet. Commodum Jadrenses pacis arbitros se offerebant, qui æquabili judicio, bonaque fide controversiam se transacturos pollicerentur. Habito ultro citroque colloquio ita utrinque conventum est, ut cives Spalatenses, qui in Clissiensi arce captivi tenebantur, liberi essent, Spalatenses contra certam pecuniæ summam Comitis uxori penderent. (8) Georgium tamen in libertatem vindicatum usquam comperio.

1326. Profligatis factiosorum reliquiis

Has inter belli turbas Carolo Ludovicus filius nascitur, magnum postea, ut narrandi locus erit, consecutus nomen. Rex jam tertium patris nomen promeritus, haud minore studio regni curas, quam liberos complexus est, Dalmatiæ penitus pacandæ in primis intentus. Miserat illo Machaelem de Mihács, qui Bani dignitatem in loco Nicolai Vesprimiensis Comitis inieret, & conciliatis fœderibus res collapsas instauraret. Hic ut primum Præfecturam adiit, adscitis in armorum societatem Stephano Bosnensi, & Frederico Vegliensi comitibus, Babonis filios, quorum magna adhuc factio erat, aggressus, brevi castris & dicionibus omnibus exutos ad obedientiam revocavit: tum Jadram profectus de pace cum civibus cœpit agere; qui tametsi Banum Caroli causa liberaliter accepissent, tamen Venetorum potentiam veriti fœderibus, quæ offerebat, assentiri renuerunt. Banus operam se apud Jadrenses perdere intelligens, relicto Bihacsii militari præsidio, quod continendæ in officio provinciæ satis esset, ad Carolum in Hungariam rediit. (9)

Pontifex rem Bosniæ Carolo commendat

Erat Stephanus, cujus supra mentio injecta est, cognomento Supocius, Carolo affinitate conjunctus, quod Elisabetham Uladislai Loctici ex fratre Casimiro neptem in matrimonio haberet, Bosniæ Principatum Ragusinorum auxilio adeptus, Hungariæ tamen jure clientelari obnoxium. Princeps ceteroquin non malus, si Valdenses, ac Patarenos aliunde locorum pulsos, hospitio, ac ope non juvisset. Ex quo cum periculum Ecclesiæ creari Pontifex cerneret, Carolum per litteras orabat, ut hominem fiduciario jure sibi obstrictum, auctoritate regia ad exigendos diœcesi sua hæreticos compelleret, in hæc verba scribens. (10)

Joannes - - Charissimo in Christo filio Carolo, regi Ungariæ illustri.

Frequenter fili Charissime fide digna relatio Apostolicæ sedis pulsavit auditum, quod princeps tenebrarum humanæ salutis æmulo, seminibusque cupido, conjectus nequitiæ stimulis procurantis, magna hæreticorum caterva de multis, & variis partibus congregata, in Principatum Bosnensem, in confinio Dalmatiæ constitutum, sub fiducia ibidem seminandi obscenos errores, tutaque succendi confluxit. Qui antiqua hostis imbuti versutia, ac veneno suæ falsitatis armati, Catholicorum animas, sub simplicitatis simulatæ palliata prætensa, sed falso Christiani nominis professione corrumpunt, dum eorum sermo serpit, ut cancer, humiliter irrepunt, sed latenter occidunt, & lupi rapaces interius existentes, testitum ovium exteriori simulatione demonstrant, quia non possent fallere veras, & simplices Christi oves, nisi sub nomine Christiano tegerent rabiem bestialem. Cum igitur prædictorum hæreticorum nefanda, sed stimmenda fiducia in dicto Principatu, sicut asseritur, jam multas animas labe resperserit, seu infecerit hæreticæ pravitatis, dictusque Principatus tuæ, sicut accepimus, sit ditioni subjectus, ac propterea deceat, & expediat cura omni cautela studio, & provisionis accelerata medio, de Principatu prædicto pestem hujusmodi radicitus exstirpare, ne possim vagari permisse intactas adhuc Christi oves morbo ejusdem pravitatis inficiat, & in vicinas provincias periculosius dilatetur serenitatem regiam rogamus & hortamur in eodem Domino JEsu Christo, tibi nihilominus per apostolica scripta mandantes, quatenus ob reverentiam Apostolicæ sedis, & nostram, ac pro salute animarum ad eliminandum, & exstirpandum dictos hæreticos de Principatu prædicto operas præpares, & impendas congruentem regio culmine, & ejusdem provinciæ statui opportunam. - Datum Avinione nonis junii anno IX. Facile mihi persuadeo, Carolum, ut erat in res Ecclesiæ animo egregie comparato, operam suam eatenus naviter impendisse, etsi Stephanum, hæreticorum consuetudine depravatum, minus obsequentem haberet.

Sub

(8) Marius Cap. XXIV
(9) Idem Cap. XXVIII.

(10) Raynald. ad annum 1326

Sub hæc Elisabetha Andream Carolo enixa est, doloremque, quem ex Caroli primogeniti morte hauserat, utcunque levavit; (11) tametsi res hoc anno gestæ lætitiam semel, atque iterum eventu haud satis secundo interciperent. Nam & cum Austria hostis aliquid obortum est, & quod reliquum in Dalmatia fuit, defectionem quoque moliebatur. Litis caussam Otto Friderici Romanorum regis frater præbuerat, qui postquam Leopoldus, ac Henricus Austriæ Duces mortem obiissent, hæreditatem, quæ patris voluntate ad se pertineret, majore, quam ut facile desistorus videretur, contentione postulabat, magnamque Austriorum ac Styrorum partem in sua studia pellexerat, palam querendum, Fridericum, & Albertum amplissimos fundos summa avaritia congerere, cum Otoni interea vix tantum suppeteret, quantum familiæ, & conjugi alendæ satis esset. Ad quæ cum Fridericus nihil moveretur, Otto Carolum in Hungaria adit, ut ejus consilio, auxilioque hereditatis portionem adipisceretur. Rex, ne fraterna dissidia in apertum bellum erumperent, legatos ad Fridericum cum literis mittit, quarum hæc fere sententia fuit. Mirari se magnopere, quod, cum ex triennali carceris squalore superiore revertisset, fratrem, qui provinciarum partem ejus loco cura non vulgari complexus erat, tam illiberali modo habeat, ut, quæ hæreditate ad illum attineret, haud levi injuria negaturus iret. Veniret illius in mentem, quibus ærumnis provincias objecturus esset, si Otto repulsa irritatus finitimorum principum auxiliis fultus armata manu ad invaderet, quod precibus impetrare nequiverat. Bohemiæ regem facile in fratris vota concessurum, ut captata occasione partem ex Austria decerpat: neque sibi id fraudi a quoquam datum iri, si Otonis caussam, quem si sanguinis necessitudo tam arcte colligasset, ejusque fortunam miseraretur, armis adjuvaret. Itaque oratum velle, ne se ad bellum, a quo multa ex caussa, præcipue ob fœderum priorum pactionem abhorreret, ingratus cogat: utervis victoria potiretur, damnum Austriæ, in quam vis omnis ingrueret, irreparabile futurum. (12) Hæc dum frustra per legatum, & litteras ageret, cum Joanne Bohemiæ rege de ineundis fœderibus tractare cœpit, quæ ut facilius Bohemo in Moravia præsente conficerent, Tyrnaviam proficiscitur, ut, cum Legati ultro citroque mitterentur, in propinquo esset. Conventum in hæc pacta fuit, ut fœderis ratio perpetua esset: communes hostes, & communes amicos haberent, in istorum numero Austriæ Duces censeri oportere, nisi fors Fridericus ad restituendum Otoni patrimonium armis cogendus videretur: ad hæc, si Pontifex annueret, & consanguinitatis vinculum sublatum vellet, Ladislaus Caroli filius, Annam filiam, Joannis uxorem acciperet: in hunc modum tabulæ, quas rex idibus Februarii Tyrnaviæ consignavit. (13) Et in Fridericum quidem, magni utrinque ad bellum apparatus fiebant, quas tamen molitiones ob Dalmatiæ turbas in sequentem annum differri oportuit. Spalatenses enim, ac Nonenses Traguriorum exemplo permoti Venetorum Clientelæ se permisere, iisdemque quibus Tragurini pactis, & conditionibus tabulas exeunte Novembri mense consignarunt. (14) Rex quod hiems præ foribus esset, & junbus fuis per pactionum tabulas satis cautum a Spalatensibus videret, nihil movendum ratus, ultionem meliori tempori servavit.

Annus Christi 1327

Simultas inter regem, & Austriacos oborta

Facilius litem, quæ monasterio B. Virginis de Kolos intentata est, sua auctoritate coercuit. Intercesserat Ladislao ejus Monasterii Abbati controversia cum viris haud minimæ auctoritatis, qui vicinos ditioni suæ fundos summa injuria per vim sibi asserebant. Caussa ad judicium delata, & arbitris commissa, Abbas per publicam sententiam juri suo in solidum restitutus est. Libet, quantum ad rem præsentem attinet, Caroli has literas afferre, quod Præsulum, ac Optimatum nomina, quæ vix in aliis tabulis reperias, illustrandis illis temporibus non

Judicii in provinciales æquitas

mon-

(11) Verisimile est Carolum primogenitum ante hunc annum obiisse: quod sequente anno rex in epistola, cum Ladislai filii mortem Reginæ Bohemiæ significat, eum Ducatus nomine compellet, quæ dignitas fere primogenitorum fuit.

(12) Chron. MS ZWETLENS apud CL. Lucic. ad annum 1327

(13) Bohusl. BALBINUS Epit. rer. Bohem. Lib. III. Cap. XVII.

(14) LUCIUS Lib. IV. Cap. XIV

Anno Christi 1327. incongrua complectuntur (15) *Karolus Dei gratia Hungarie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Gallitie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque Rex, Princeps Salernitanus, & honoris, ac montis S. Angeli Dominus omnibus Christi fidelibus tam præsentibus quam futuris præsens scriptum inspecturis salutem in eo, qui regibus dat salutem. Pium est Ecclesiis providere, quarum precibus non solum status temporalis conservatur, verum etiam æterna premia comparantur: proinde ad universorum noticiam, harum serie literarum volumus pervenire, quod vir religiosus frater Ladislaus, Abbas monasterii gloriose Virginis de Kolos, dilectus, & fidelis noster, ad nostram accedens presentiam, quasdam possessiones - - - asserens ipsas ad dictum monasterium de Kolos immediate pertinere, a nobis dicto monasterio reddi, & restitui humiliter postulavit* - - Interserta dein narratione, quem in modum causæ cognitionem Capitulo Nitriensi commiserit, ita Rex prosequitur *Nos igitur ex hujusmodi relatione dicti Capituli Ecclesie Nitriensis, fidelium nostrorum sic edocti, terras, & memoratas possessiones ad dictum monasterium de Kolos pertinere, & pertinuisse cognoscentes, revocantesque in memoriam obsequia, & obsequiose merita ejusdem Fratris Ladislai Abbatis de Kolos, que nobis cum constancia semper fidelitatis indesesse exhibuit, volentes ne idem monasterium, & dictus Dominus Abbas nostris in temporibus suis possessionibus aliqualiter posse privari, & defraudari, prenominatas possessiones - - - ab antiquo ad dictum monasterium pertinentes cum earum utilitatibus, & pertinentiis universis dicto monasterio semper Virginis gloriose de Kolos, & predicto Domino Abbati, & suis successoribus per eundem in dicto monasterio residentibus, dedimus, donavimus, & restituimus, ac nostre novedonationis titulo contulimus, ac perpetuavimus, perpetuo pacifice, & quiete irrevocabiliter possidendas, tenendas, & habendas In cujus rei memoriam, perpetuamque firmitatem presentes concessimus litteras privilegiales dupplicis sigilli nostri, novi, & autentici munimine roboratas Datum per manus discreti viri End Prepositi Ecclesie Albensis, aule nostre vice cancellarii, dilecti & fidelis nostri anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo septimo Kalendas Augusti Venerabilibus in Christo patribus, & dominis, Boleslao fratre Strigoniensis, & Fratre Ladislao Colocensis, aule nostre Cancellarii, Ecclesiarum Archiepiscopis, item Johane Nitriensi, Ladislao Quinqueecclesiensi, Georgio Syrmiensi, Laurencio Waciensi, Ivanka Waradiensi, Chanadino Agriensi, Benedicto Chanadiensi, Henrico Vesprimiensi, Andrea Transilvano, Fratre Petro Boznensi, & Ladislao Zagrabiensi Episcopis Ecclesias Dei feliciter gubernantibus Item magnificis Viris, Demetrio Magistro Thavernicorum nostrorum, Comite Bachiensi, & Trinchyniensi, Myche Bano totius Sclavonie, Comite Simugiensi, & de Sarus, Comite Alexandro, Judice Curie nostre, Thoma Wayvoda Transilvano, & Comite de Zonuk, Paulo Bano de Machou, Comite Syrmiensi, de Bodrug, & de Walcou, Magistro Nicolao Comite Posoniensi, Dionysio Magistro Dapiferorum nostrorum, item Johane filio Comitis Balaysk, Magistro Thavernicorum Domine regine, Dionysio Judice Curie sue, Kunya Magistro Dapiferorum ejusdem, & Nicolao Magistro Pincernarum suorum, aliisque compluribus Nobilibus, regni nostri magistratus tenentibus & honores.* Hactenus Caroli literæ. Atque illud fortasse, cujus rex meminit, sigillum sit, sine quo quæcunque Caroli diplomata vulgata essent, nullam auctoritatem, aut fidem in jure dicundo obtinere, Codex juris patrii commemorat. Sed hæc intra conjecturam.

1328 *Rex in Austriam bello illato reconciliatur.* Interea Otto Carolum crebris precibus pulsabat, ut promissorum memor, hæreditatem suam, quando Fridericus ejus auctoritati tam parum tribuisset, armis assertum iret, plerosque Provincialium, ut primum signa Austriæ intulerit, ad ejus partes accessuros pollicitus. Carolus importuna magis flagitatione, quam belli studio permotus exercitum ex octoginta millibus conflatum in Fridericum ducit, ac Ottone hortante vicina Moraviæ oppida facile in potestatem redigit. Neque multo post Joannes Bohemiæ Rex copias suas numero haud inferiores Austriæ infudit, expugnatisque Feldspurgo, Ulrickirchio, Ratenspurgo, Marcheko, ac Eggenburgo, Drasendorfium post sex hebdomadarum obsidionem deditione cepit, & dissidentes fratres ad colloquium evocatos, redintegrata amicitia concilia-

(15) Excerpsi id ex Autographo diplomate, quod nomen Stephani de Bathor regni Palatini de anno 1519. refert, cuique Caroli literæ insertæ sunt.

Annus Christi 1328

lat. (16) Hungariæ Rex, quo muus stabiliendis pactis interesse posset, tristi nuncio evocatus est, quo Carolus Robertus Siciliæ Regis filius, Calabriæ ac Florentiæ Dux, obiisse ferebatur, Joanna filia tot regnorum hærede solum relicta, cui, ut deinceps narrabitur, magnus in annalibus locus erit.

1329. Ob mortem filii mœret.

Dolor, quo ex cognati morte Rex tenebatur, sequente anno ingenti luctu domestico auctus est, cum filium Ladislaum præter opinionem eodem fato amisisset. Altius insederat animo paterno vulnus, quam ut id dissimulare posset, scripsitque ad Elisabetham Bohemiæ Reginam litteras, quibus cum ob multas alias caussas, tum illam præcipue se dolere significat, quod spes nuptiarum, quæ nuper mutuis pactionibus inter Ladislaum, & Annam ejus filiam coaluissent, tam lugubri eventu præcisa esset. Litteræ in hæc verba habent. (17)

Epistola ad Bohemiæ reginam significat.

Serenissimæ Principissæ, Dominæ Elisabeth, Dei gratia reginæ Bohemiæ, illustri, sorori suæ carissimæ, Carolus eadem gratia rex Hungariæ salutem, & continuos prosperorum successuum incrementa. Si Dei misericordia per varios successus de sua ineffabili providentia nos lætificasset sicut hactenus (18) — ita & casum miserabilem, & decessum lugubrem præcarissimi filii nostri, Domini Ladislai Vobis, proh dolor! cogimur nunciare, & licet proximitatis identitas, & consanguinitatis indissolubilis unio, dudum inter nos divinitus ordinata, quam ab uno stipite, tanquam germani gradu proximo derivamus, fuisset sufficiens, tamen propter deprimendam elationem superbam Regum & Principum circumjacentium regnorum, Vobis & magnifico Principi, Domino Johanni, Regi Bohemiæ, & Comiti Lucemburgensi, carissimo conthorali vestro, nostroque fratri, & amico prædilecto mala machinantium, mediante dispensatione supremæ sedis, sine qua esse non poterat, inter prædictum filium nostrum, vestramque filiam fœdus matrimonii, non absque provida deliberatione duxeramus ordinandum. Verum cum prædicto Domino Rege, præcordiali nostro, quamdiu præsentis vitæ possibilitas in nobis subsistere poterit in hoc mundo, in prosperis, & adversis, diligenti favore adesse volumus, nos semper ad sua beneplacita offerendo, quod & per ipsum nobis fieri præsumimus firma fide, loco, & tempore opportunis, Excellentiam vestram regalem affectum fraternali sub certa confidentia requirimus per præsentes, quatenus taliter, & tam diligenti solicitudine, dicto Domino Johanni Regi suadere velitis, quod singularis amicitiæ favor, quæ inter nos hactenus viguit, in futuro vigeat, sinistra loquentium suggestione frivola non obstante, ut in incepta amicabilis unionis proposito sui perseverantia, Deo volente, vitæ durante longitudine, mutuo utricum nos, & ipsi valeamus gratulari, & in virtute valida, & brachio extento, nobis rebellantium colla conterere superborum. Cæterum petimus vos, quod nova, præsertim ex parte dicti Domini regis Bohemiæ, si quæ vobis constiterint, & etiam alia, quæ fiunt, de universis mundi partibus, nobis atque per latorem præsentium mediantibus vestris litteris, velitis intimare. Datæ in alto lapide (19) die Cinerum.

Hungari Asiatici ad Christianam Sacra traducti.

Hæc rex de obitu Ladislai: quæ inter mira res, nec annalibus nostris penitus indigna trans Volgam in Asia evenisse fertur. Potiebatur istic rerum apud Hungaros, qui in oriente restiterant Princeps Jeretanus, regum stirpe creatus, & Sacris Catholicis impense addictus: qui, cum Malchaitas, Alanosque in ditionem redegisset, summum Pontificem per nuncios orabat, ut virum Episcopi potestate, ac honore ornatum in Asiam transmitteret, cujus consilio, ac ope partim in religione confirmarentur, partim ab erroribus Sectariorum tuti essent. Pontifex eo nuncio mirum in modum lætus Episcopum Gemisacensem ad eos cum litteris transmisit, quibus Jeretanum, ceterosque Hungaros Asiaticos, ut Antistiti suo diligenter obsequium præstarent, in hæc verba adhortatus est. (20)

Dilectis filiis, Jeretano, & universis Christianis Ungaris, Malchaytis, & Alanis salutem. Ingentem, nec mirum, materiam gaudiorum suscepimus, quod summus

ille

(16) Chron. MS. Zwetlense apud Clar. Lack. ad annum 1328. Et Hist. Ducum Styriæ pag. 182.

(17) Apud Bellium. Tom. III. Notit. Hung. Nov. pag. 472.

(18) Exemplum habet hac [illegible] videtur ex circumstantiis supplendum per hæc erat, hac sive, etsi nec sic sententia integra sibi constet.

(19) Id est Villegradi, nam alias quoque urbem hanc, hoc nomine Rex compellat.

(20) Raynald. ad annum 1329.

Anno Christi 1329.

ille Cælestis agricola, qui omnes, quos diligit, ad cognitionem sui, misericorditer semper beneficio evocat, atque trahit, quodque per inenarrabilem gratiam unigeniti sui, toto orbe diffusam auget continue sanctam Christianam, vos veræ fidei luce perfusos, & sacri baptismatis fonte renatos, & imbutos, doctrina Evangelicæ, & Apostolicæ veritatis in orientalibus partibus in eorum medio, qui nondum gratiam recepere baptismatis, collocavit. In immensum insuper nobis cessit ad gaudium intellecto, quod tu fili Jeretanne, de Stirpe Catholicorum Principum regum Ungariæ descendisti, quodque tu, & alii Christiani in dictis partibus commorantes, zelo fidei, & devotionis fervore succensi, doctorem Catholicum desideratis habere, qui vos in fide Catholica verbis salutaribus instruat, & sanctis exemplis informet, propter quod a nobis humiliter vestris supplicationibus postulastis, ut aliquem Catholicum Antistitem, Sacrarum Scripturarum scientia præditum, vitæ sanctitate decorum, verbo utilem, & exemplo moralibus ad partes ipsas provisione vestra in eadem fide Catholica mittere dignaremur.

Cupientes igitur, ut Christi famulis ubique locorum incrementa suscipiat, sed maxime in ipsis partibus dilatetur, venerabilem fratrem nostrum, Gerusfatensem Episcopum, vobis notum, ad partes ipsas cum nostræ benedictionis gratia providimus destinandum. Quocirca devotionem vestram monemus, & hortamur in Domino Jesu Christo, quatenus sacris instructionibus, quas idem Thomas, & alii Episcopi Catholici, nec non dilecti filii fratres Prædicatorum, & Minorum Ordinum, in ipsis partibus commorantes, in doctrina Catholicæ fidei vobis fecerint, mentales aures devotius adhibentes, animos vestros veritati ejusdem fidei, & sanctorum patrum auctoritatibus coaptetis. Benedictionem nostram insuper vobis impendimus, & rogamus humani generis piissimum Redemptorem, ut ipse vos benedictionis suæ rore perfundat, ut in veræ fidei unitate constantes, vos de bono proficiatis in melius, & alios ad fortalium gregis dominici fructuosis exemplis, & operibus excitetis. Datum Avinione III. Kalend. Octobris, anno XIV. Quæ illo libentius in medium a me prolata sunt, quo certius argumentum suppeditant, bonam Hungarorum partem, quod alias conjectura ductus asseverabam, in Asia restitisse, essque etiam hodie istic non paucos facile mihi persuadeo: at ubi locorum, aut qua fortuna agantur, incertum.

1330. *Rex in Valachos movet*

Verum hæc, tametsi ad Hungaros, ad exteros tamen attinent. Interea dum Carolus ingenti apparatu bellum in Bazaradum, aut, ut literæ Carolinæ habent Bazarabum, Transalpinensium Valachorum regulum, & Banum Zewrinensem decrevit, quod ut nulla de causa susceptum est, ita parum felici exitu terminatum. Belli auctores Thomam Transilvaniæ Wayvodam regis consanguineum, & Dionysium Nicolai Ancha filium fuisse nostri memorant, qui, si Bazarabus vinceretur, ingenti spe earum provinciarum tenebantur. Quanquam rex Valachorum perfidum bello causam præbuisse in diplomate, quod postea vulgaverat, diserte fateatur. Quidvis sit, Carolus sive aliorum consiliis, sive suo ingenio ad obmovendum bellum concitatus, copias Szörenienfi arci, quæ Valacho parebat, admovit, brevique subactam cum amplissimo terrarum tractu Dionysio, quem Bani quoque dignitate ornaverat, donum dedit. Tam prosperis rerum initiis ad periclitandam porro fortunam incitatus rex, in mediterranea Valachiæ signa inferre parabat, cum missi a Bazarado nuncii moram properanti repente injiciunt. Qui, postquam conveniendi regis copiam nacti essent, mirum, ajebant, videri Bazarado, atque a regis æquitate etiam alienum, quod ne indicto quidem bello, armis se appeteret, quem constantem in fide, & obsequentem hactenus expertus fuisset. Facile se perspicere, quorum consilio, & quam ob causam hæc sibi tempestas immineret, quam etsi nullo negotio ab suo capite amoliri posset, tamen ne supervacaneo bello causam daret, polliceri se, quidquid rex armis occupasset, ei sponte permissurum, & pro rependendis belli sumtibus septies mille argenti pondo soluturum. Hæc se, qui nondum victus esset, pro vetere in regem fide libenter & sponte facere: neque quidquam de annuo censu, ad quem pendendum clientelari jure obstrictus esset, diminuturum propterea iri, daturumque filium obsidem, quem, ne rex malo secum dolo agi putet, in vadis loco apud se retineat, modo conversis signis, dataque pace in Hungariam revertatur. Quod si conditiones has, quibus graviores ne victor quidem præscripturus erat, aspernari pergeret, tum se abhinc regem pro amicitia sua ora-

tum

tum velle, ut sibi a periculis, quæ imminerent, etiam atque etiam caveat, ex quibus si ægre eluctaretur, pudorem, qui seram poenitentiam attentati frustra facinoris consequi solet, æqualem, quem modo præfert, contentus futurum.

Anno Christi 1330.

Hæc composito ad frendem vultu prolocutos Oratores Carolus cum stomacho accepit, adjecto etiam convicio, se Valachum, quibuscunque abderetur latibulis, demissa barba in lucem protracturum. Talia pro dignitate regis parum decore respondentem Donchus, qui proxime assidebat, Zobensis, ac Sepusiensis Comes interpellavit, Bazaradum, qui tam liberales conditiones offerret, haud dignum hoc responso esse, præsertim, quod dato filio obside Clientelam bona fide polliceri videretur: alioquin, si rex hominem bello vincat, quod ipsum tamen vehementer incertum sit, non majus ex profligato trophæum relaturum, quam modo salvis rebus sponte offerret. Carolus his monitis parum auscultans mixta militibus profectione in Bazaradum movet, cumque ex montibus & silvis eluctatus, vestas solitudine squalidos passim videret, Valachi enim rebus omnibus, quæ nostris usui esse poterant, igni correptis in saltus se abdidere, brevi annonæ penuria laborare cœpit, quæ cum in dies magis invalesceret, redacto ad inediam exercitu, ad meliora, quæ prius superbe respuit, cum Valacho conditiones faciendi se præbuit, receptoque in fidem Bazarado, tutam redeundi potestatem pactus est. Sed ut hostem antea parum prudens irritavit, sic irritato facilius, quam oportebat, fidem habuit. Dum enim exercitus converso itinere in angustissimas montium fauces illaberetur, Valachi, qui viarum diverticula, & juga saltuum prius occupaverant, repente ex insidiis coorti, jactis ex alto lapidibus, telisque nostros miserrimum in modum obruebant, fuitque cædes magis quam prælium, quod angustiis interclusi Hungari nec reverti, nec progredi, aut arma expedire possent, mutuoque inter se collisi attererentur. Ita ubi quatriduum cum fame, ac rupibus magis, quam cum hoste luctantur, ingens Legionum facta jactura est, ac strages. Absumsit ea clades viros ex Ecclesiastico ordine haud paucos. Andreas Præpositus Albensis regi ab epistolis, amisso sigillo inter primos obtruncatus est, tum Michael Possegamus, & Nicolaus Albensis in Transilvania Præpositi, ac plerique, qui regalis ædiculæ Sacerdotes fuere. Carolus, ubi veteranos plerosque amisisset, neque spes alia, quam clanculum, evadendi esset, Desium, Dionysii belli auctoris filium, regalibus armis, & habitu ornatum res curare interea jubet, quem, dum Valachi regem esse rati, confertissimis telis petunt, ac pugnam longe fortiterque protrahentem occidunt, Donchus cum Ladislao filio, ac Martino Berendi intem filio Carolum in fortissimorum prætorianorum comitatu, scutis ac corporibus tectum ex insidiarum loco feliciter educunt, multoque erroribus acti Temesvarinum incolumes eluctantur. Inde rex Vissegradum magnis itineribus profectus, gratias Numini, quod ex capitali discrimine salvus evasisset, persolvit, eosque qui sibi in tam arctis rebus fidem probassent, amplissimis privilegiis ornavit. (r) Hunc finem bellum habuit, quo ut temere

Pacem postulantes rejicit

Fraude circumventus copiæ disjiciuntur.

Plurimorum virtute, & fide incolumis discrimini subducitur

D

(r) Subjicio Regis diploma, ex quo res gestas fusius illustratur. Nos Karolus Dei gratia rex Hungariæ &c. significamus tenore præsentium, quibus expedit, universis, quod, quia Magister Marck Vice-Castellanus de Polmanyus, & Thomas frater suus, filius videlicet Nicolai, filii Baraki, servientes Magistri Stephani dicti Poger, fidelis, & familiaris Castellani Magnifici viri Thomæ Wayvodæ Transilvani, & Comitis de Zonuk Prœmiali nostri charissimi Item Fugach, & Johannes filii Jacobi, filii item dicti Baraki, Jobbagiones, & conditionarii castrenses de Fugach de Comitatu Heves Ujvar, in cunctis nostris negotiis, & agendis, prosperis & adversis, dubiis fortunæ casibus se submittendo pro exaltatione nostri honoris, prout ex veridica relatione plurimorum didicimus, a multis retro actis temporibus omni modam fidelitatem, & fidelia servitia nobis, & sacræ Coronæ ... laudabiliter studuerunt ... se reddere usque gratiosos, & acceptos. Quæ sua modo seriatim longum esset enarrare, sed ut de pluribus aliqua pauca memoriæ posterorum commendemus, in eo præsertim, quod dum nos pridem in partibus Transilvaniæ contra Bazarad, manifestum, & veterem nostrum infidelem, simul cum potioribus regni nostri Prælatis, & Baronibus, ac Nobilibus ... pro recuperandis ipsis partibus fuissemus, ubi tempore, tanquam vir taliquas, & dolo plenus, ac impiam contra particularem gentem nostram, aggregata sibi quadam po-

Annus Christi 1330. mere magis a Carolo susceptum non est, ita nullum aliud seu cum majore nostrorum jactura, seu dedecore absolutum. (a)

Sed mox majoris ut tuit famili- lis regiæ tragœ- dia. Eo periculo defunctus Carolus haud multo post tempore longe maximum adiit, quod, nisi a benigno Numine præpeditum esset, infami ad posteros memoria Hungarorum nomen inquinasset. Erat in aula Felicianus, e *Zacheorum*, aut, ut alii malunt, *Mercurorum* genere, vir nobilis, &c, dum Matthæus Trenchiniensis tyrannidem affectabat, ad Palatini quoque dignitatem factiosorum studio elatus, qui, dum res Matthæi sensim defluere videret, relictis hujus partibus ad Carolum transit, magnisque auctus favoribus non modo inter primos fere, qui in aula auctoritate, & gratia valebant, fuerat, sed in familiarem præterea regis consuetudinem ita se vaferrimus mortalium insinuarat, ut quoties vellet, illius conveniendi copiam haberet. Hoc honoris gradu cum consisteret, seu vetere, quod a Matthæo Trenchiniensi hauserat, odio stimulatus, seu illegis actus furiis tollendi e me-

Parricidii fit sub- latus dio cum tota familia regis consilium ceperat. Exequendi atrocissimi facinoris tempus, modumque, dum Carolus cum conjuge, ac liberis Ludovico, & Andrea in Vissegradensi suburbio accumberet, scelestissimus designat, ingressusque sub officii specie triclinium, stricto ense Reginam adoritur, cui, dum Rex uxorem objectu suo tuetur, quatuor dextræ digitos barbarus amputat, Regemque gravi vulnere in manu perstringit tum eodem furore in regios liberos illatus miserabilem cædem edidisset, nisi *Kenesitius* Gyulæ filius, & Nicolaus e Joanne Palatino natus, eorum pædagogi objectu corporibus, acceptoque letali vulnere, fugiendi spatium pueris fecissent. Elisabethæ clamore, & ejulatu excitus Joannes *Pousa* filius, spectatæ virtutis adolescens, & Reginæ minister accurrit, inque Felicianum sanguineo gladio temere grassantem involat, hunique afflictum ex terto e manibus ense collo tenus transverberat. Semianimem, qui conserti ad tumultum accurrerant, satellites in frusta concidere. Tristes exuviæ, quamquam tabo corruptæ fastidium intuentibus ingererent, quo horror nefandi sceleris ad alios itidem pertineret, partim *Budæ*, partim in aliis regni urbibus pro portarum valvis affixæ. Filius Feliciani ex fuga a regiis satellitibus reductus, & equi caudæ illigatus tamdiu per vicos tortus, tractusque est, quoad nudatis carne ossibus miserrimam animam exhalaret. Pari vindictæ æstu in claram Feliciani filiam sævitum, quæ, tametsi inter Reginæ Virgines fans a vi tuta esse videretur, tamen quod suspicione paterni criminis ex nimium opinione laboraret, protracta ex gynæceo, & naribus, labiis, digitisque turpiter mutilata per vicinas urbes fentantibus circumducta paternum scelus vulgare ingratis cogebatur. Ceteri, qui Felicianum sanguinis necessitudine contingebant, aut sponte ex regno in Poloniam dilapsi, aut perpetuo exilio mulctati sunt. (*)

Causa at- tentati fa- cinoris. Causam attentati in Regem parricidii scio a Polonis Scriptoribus in Elisabetham Caroli conjugem ut plurimum detorqueri, quod Casimiro fratri, in Hungaria tum forte fortuna commoranti, Claram Feliciani filiam turpissimo lenocinio corrumpendam objecerit, cujus violatum pudorem pater haud aliter farciri posse ex-

potestate, & societate Olakali (Valachos intelligit, qui nobis populari lingua, Olah dicuntur) fraudulenter sibi sue mediante in quodam loco inducto, & obscure ipsum gentem nostram invasisset Petkev filius Stephani, privatus veraudem Vice-Castellanus dicti Thomæ Wayvodæ de Chakon, Petrus filius dicti Barcalci pro defensione, & augmento nostri honoris... taliter dimicantes in arca certaminis, videm per dictos infideles Olacos fuerunt interempti. Hoc pro tot, & tantis fidelium obsequiorum gratitudine meritis ad petitionem etiam ipsius Thomæ Wayvodæ, prout nobis exstant ... de prædicta conditione ipsorum, scilicet Jobbagionatus ... de consilio Prælatorum, & Baronum nostrorum eximentes in eorum & numerum liberorum servientium, & Nobilium regni nostri regia auctoritate præfectorum patriciis in perpetuum, in sive storum cum possessionibus eorundem justis titulis acquisitis, & requirendis ductimus deputandos —— Datum in Vissegrad in crastino feriarum, anno Domini M CCC XXXIII. Hactenus diploma ex MSS. Illyestianis. Quo autem titulo Rex Thomam Waywodam proximum suum nominet, ignoro, nisi Elisabethæ conjugis cognatus forte fuerit.

(a) TUROCZ. Chron. Cap. 97 & BONFIN Dec. II. Lib. IX.

(*) DLUGOSSUS Hist. Pol. Lib. IX. Et domestici Scriptores passim.

exiſtimavit, quam ſi Eliſabetham ſcelere adjutricem e medio tolleret. Quæ quam quam ab ingenio Caſimiri, quem Poloni Scriptores tam intemperantem moribus prodidere, ut alienos thoros promiſcue invaderet, non abhorreant, tamen quod plerique, qui parricidii crimine noxii erant, in Poloniam, ubi haud multo poſt Caſimirus rerum potitus eſt, impunes evaſere, non ſine veriſimilitudine narrari videntur. Utcunque id ſit, juvat atrociſſimi facinoris ſeriem, pœnamque, qua in univerſum Feliciani genus animadverſum eſt, ex regiis litteris audire, quas, poſtquam quæſtionem de parricida a Strigonienſi Capitulo referri juſſiſſet, quo ſanguinolenti homines a ſimili crimine abſterrerentur, poſterorum memoriæ quinto ab intentata cæde anno conſignavit. (3)

Annus Christi 1330.

Nos (ita Rex in diplomate loquitur) *ex præattacta relatoria reſcriptione dicti Capituli Eccleſiæ Strigonienſis fidelium noſtrorum modo præſcripto informati, cognitiſque præmemoratas poſſeſſiones, ſeu terras prænotatorum noſtrorum, & regni infidelium exſtitiſſe, attendentes quoque, & undique mirumrmodo circumſpicientes, ac fidelitatem, quæ charitatis obſequia meritoria, non ſimplici eloquio prætereunda dicti Magiſtri Johannis, filii Alexandri, filii Cheleu, vices gerentis Magiſtri Dapiferorum Dominæ Reginæ, conſortis noſtræ chariſſimæ, dilecti, & familiaris noſtri, quibus nobis, quin potius toti regno noſtro idem præ cæteris complacere, & ſe exhibere ſtuduit gratioſum, & acceptum. Cujus quidem grata, & grandis fideli obſequio vix quiſquam ſimile ullo unquam tempore feciſſe dignoſcitur. Illud namque præcipuum, & ſpecialiſſimum, omnique commemoratione dignum ipſius Johannis meritum, quod dum ipſo, dictum dapiferatus officium in noſtro, & ipſius Dominæ Reginæ ſimul in aula prandentium, exhibente, vir mugiens, dolo plenus, & nequitia, nomine Felicianus, filius Szah prædictus, de genere Szah proſtibata, damnabili, & nefanda præſumptione, noſtro, ejuſdemque conſortis noſtræ, & filiorum noſtrorum dulciſſimorum, Dominorum ſcilicet naturalium, inhumaniter cupiens ſitiare ſanguine, regiamque progeniem volens ab hoc ſæculo exſtirpare, noſtram, & ipſius Dominæ Reginæ, ac filiorum noſtrorum perſonas, evaginato, & vibrato gladio irruiſſet, ab ipſius peſtiferi noſtri, & totius aulæ, ac domus noſtræ inopinata flammea voragine, & ſubitanea mortis illatione, Altiſſimo e cœlis propitiante, idem Johannes ferventi agilitate ipſum dæmoniorum comitem, qui furiæ ſuæ infernalem ingluviem, & ſitibundam inſatiabilem in nos, & dictam Dominam Reginam, & dulciſſimos natos noſtros, ut pareret cultor eximius, eadem reſpergere, & evomere, ac manum dextram ipſius Dominæ Reginæ ictu hoſtili gladii ſui, proh dolor! amputare, noſtramque ſimiliter dextram graviter vulnerare, alterius quoque filiorum noſtrorum ſocialem ac eruorem partem ... abſcidere jam non extimuerit, eripuit ſuper veritatis calcaneo proſternendo, ita, ut idem Johannes ipſum Felicianum infeliciter nominatum, a propoſito nobis pariter inferendæ mortis retrahens, bacillo plures tranſfixum in ſortes dæmonum, quorum ſpiritu ducebatur, tradere non obmiſit. Cumque nos a prænotatis regni univerſæ Nobilitatis communitate, Baronum, Procerum, ac Prælatorum deputata conformitate de tam deteſtabili, & inaudibili crimine læſæ Majeſtatis in ſententiam proferendam, æternoque duraturam, congregata, ſupra prætacti horrendi ſceleris, & violentæ manualis injectionis nefandiſſimum, & inaudibile facinus impune non tranſiri, ſatisfactionis congruentiam ampliter poſtulaſſemus, iidem Barones, Proceres, Primates, & univerſa communitas Nobilium regni matura, & provida deliberatione decernentes commiſerunt, ſententiaſque determinant, ut eodem idem Felicianus, & filii ſui, ac filiorum ſui, verum etiam univerſæ generationis ſuæ homines, uſque ad tertiæ lineæ generationis gradum ſibi adnexi, poſſeſſionibus, & proprietatibus eorum univerſis, ut in litteris dictam ſententiam ſeriatim exprimentibus, plenius, & lucidius continetur, dira vicia ſupplicio puniendi privarentur, & perpetuo ab hoc regno excluſi, & in exilium miſſi haberentur, ipſaque proprietate, & poſſeſſiones eorum univerſæ, & quælibet, noſtræ regalis clementiæ manibus applicandæ, ſeu tribuendæ, ut noſtro nutui placeret, conſerentur. Ex qua quidem generatione Szah ſpecialiter, & expreſſe prædictos filios Cſyz, Felicianum, filium Cozmeri, Petrum filium Laurentii, Filios

Tum feries & pœnæ

D 2

Felices,

(3) Apud Cl. Belium. Tom. III. notit. novæ Hung. pag. 476. *Annal. Reg. Hung. Pars III.*

Anno Christi 1330.

Felkus, Pauli de Kefsy, Kenzen filium Luca, Petrum filium Berenda, Stephanum filium Jacobi, ac Dominicum filium Stephani, proximos, ac generationes dicti infelicis Feliciani, de ipsa generatione Szah juxta eandem sententiam, consequenter contra ipsis prolatam, possessionibus, & proprietatibus, ac terris eorundem universis, qualitercunque vocatis, ubique in regno nostro existentibus, ex nunc, prout ex tunc digne duximus exuendos

Et quamquam pro his præmissis, ceterisque multifarie, & multis modis fidelium servitiorum meritis ipsius magistri Johannis, filii Alexandri, idem a nobis multo plura, & majora ac perampliora plurimis donationum antidotis honorari, & extolli mereretur, tamen in particularem retributionem præmissorum, possessiones, proprietates, ac terras prænominatorum filiorum Csga- - - universas quibuscunque nominibus vocitatas, & in quibuscunque comitatibus regni nostri specialiter prænotatas possessiones, seu terras eorundem - - cum ipsarum quibuslibet utilitatibus, & pertinentiis universis, juribusque omnium eorundem plenitudine, sub metis, terminis, & limitationibus ipsarum præscriptis prafato Magistro Johanni, filio Alexandri, filii Cseles, fideli & familiari nostro, tanquam bene merito, & per eum Nicolao & Jacobo dicto Asis, fratribus suis uterinis, nec non eorum heredibus, heredumque suorum successoribus, & posteris, omni jure, & titulo prætacto, quoad nostram collationem dignoscitur pertinere, dedimus, donavimus, & contulimus perpetuo possidendas, tenendas pariter, & habendas, sine tamen præjudicio jurium alienum, præsentium patrocinio ipsis possidere, & habere confirmantes In cujus rei testimonium, firmitatemque perpetuam præsentes concessimus litteras nostras privilegiales, duplicis sigilli (4) nostri munimine roboratas. Datum per manus honorabilis viri, Magistri Tatarii, Albensis Ecclesiæ Præpositi, aulæ nostræ Vice-Cancellarii, dilecti, & fidelis nostri, quinto calendas Martii, anno MCCCXXXVI. regni etiam nostri similiter trigesimo sexto. Venerabilibus in Christo Patribus, Domino Csanadi Strigoniensi, Fratre Ladislao Colocensi, aulæ nostræ Cancellario, Archiepiscopis, Nicolao Jauriensi, Ladislao Quinque Ecclesiensi, Andrea Transilvanensi, Ladislao Zagrabiensi, Andrea Vaciensi, Jacobo Chanadiensi, Rodolpho Vesprimiensi, aulæ dictæ Dominæ Reginæ, consortis nostræ carissimæ Cancellario, Fratre Vito Nitriensi, Bosnensi, & Syrmiensi sede vacantibus, nec non Fratre Paulo Albensi de Nandor, Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus Magnificis viris, Vilhelmo Drugeth Palatino, & Judice Comanorum, Demetrio Magistro Tavernicorum nostrorum, Thoma Vayvoda Transilvano, & Comite Stoinok, Paulo Judice Curiæ nostræ, Myke Bano totius Sclavoniæ, Nicolao Bano de Macho, Paulo Magistro Tavernicorum, & Judice Curiæ prædictæ Dominæ Reginæ, Dionysio Dapiferorum, & Stephano Agazonum nostrorum Magistris, ac Nicolao dicto Treutul Comite Posoniensi, aliisque quam pluribus Comitatus regni nostri tenentibus, & honores

Pontifex ob superatum feliciter utrumque periculum regi gratulatur

Hunc in modum parricidii facinus in regem attentatum, & castigatum est: cujus atrocitas cum Romam quoque ad summum Pontificem partim rumore, partim regiis litteris allata esset, incredibile dictu, quanto horrore, ob tam enorme scelus omnes concuterentur. Scripsit propterea ad regem epistolam, qua non modo capitale periculum, sed discrimen quoque, quo nuper Valachorum perfidia pene oppressus erat, ab cervicibus depulsum regi gratulatur (5)

Carolo regi Ungariæ

Ad nostram nuper veniens præsentiam dilectus filius Joannes, fratrum ordinis minorum in Ungaria provincialis minister, tuæ celsitudinis nuncius nobis regias litteras, per quas progressum felicem regium, & triumphum gloriosum obtentum contra Tartaros, fidei Catholicæ inimicos, ac casum sinistrum, qui contigit, proditoris istius, & gentibus tuis, paratis in regressu insidiis, excellentia nuntiavit regia &

(4) Juvat verba ex Codice juris patrii, quæ huc videntur facere, afferre. Carolus tria sigilla habuit, quorum duo priora per eundem, fuerunt revocata, & privilegia cum iis emanata non servantur, nisi tertio posteriori fuissent confirmata. Quod quidem tertium agnoscitur tum ab utraque parte festi sigilli, in quo duplicata crux habetur, sunt duæ figuræ draconis

(5) RAYNALD. ad annum 1330

& super eis seriosius referendis fidem petiit, dicto nuntio credulam adhiberi, nostro apostolatui præsentavit. Quibus quidem nuntio, & litteris solita benignitate receptis, ac iis, quæ in ipsis continebantur litteris, & idem nuntius verbo curavit exponere plenius, intellectis, læti fuimus admodum de prosperis, & super adversis tibi fili charissime compassi fuimus, & paterna compatiuntur charitate, ubi, qui te a tantis liberari dignatus est periculis, exclamantes nihilominus in humilitate spiritus retributori laborum, eoque preces effundentes devotas, & tua devotione, quam ad Deum, & ejus Ecclesiam sacrosanctam, dilatationemque fidei orthodoxæ, velut Christi pugil, & ipsius athleta fidei strenuus habere dignosceris, ex qua Deo acceptior efficieris, clarumque nomen tuum prosperis faciat abundare successibus, & ab adversis sua potenti virtute protegat jugiter, & defendat. Datum nonis Augusti, anno XV.

Annus Christi 1330.

Apparet tamen, seu ad nuntii imperitia, seu oscitantia scriptoris factum sit, insignem errorem in epistolam irrepsisse, cum Tartari in loco Valachorum, ut ex regio diplomate supra a nobis laudato facile constat, substituuntur. Quamquam mittendi Romam nuntii non una hæc causa fuit. Defuncto Calabriæ Duce, cum Joanna ejus filia sui regnorum hæres constituta esset, Carolus regni portionem, quæ patris voluntate ad se olim attinebat, in filium Andream transferre volens, Robertum Siciliæ regem, ac patruum suum per nuntios crebro orabat, ut ea in re ne se difficilem præberet: eam destinationem non solum sibi honorificam, sed toti regiæ familiæ, cujus portio Andreas indem esset, perutilem futuram. Verum Robertus, qui, quod magno olim studio conquisitum erat, in partes tam leviter distrahi ægre pateretur, præter expectationem morosum se, atque difficilem Carolo præbuit. Itaque hanc præcipue ob causam nuntium ad Pontificem misit, ut regem Siciliæ, qui fiduciario jure id regnum possidebat, sua auctoritate ad reddendam filio hæreditatem compelleret. Pontifex, quia Caroli postulata æquiore non videbat, Roberto, ut ei assentiretur, dans in hæc verba litteras auctor fuit. (6)

1331. Rex Siciliæ causa ad Papam nuntios mittit.

Joannes Roberto Regi Siciliæ.

Noverit regia Celsitudo, quod charissimus in Christo filius noster Carolus, rex Ungariæ, nepos tuus, nobis per litteras, & nuntium intimavit, quomodo a tua requisiverat magnificentia, quatenus titulum olim magnifici Principis Caroli patris sui, Principatum scilicet Salernitanum, & honoris montis S. Angeli dominium, ad ipsum, heredesque suos, jure successionis hæreditariæ pertinentia, in signum dilectionis, tanteque unionis restituere pleno jure, in qua quidem concessione sibi apparuisti difficilis, atque gravis. Quare nobis humiliter supplicavit, ut tuam per nostras litteras excellentiam inducere curaremus, pro petitione prædicta effectualiter admittenda. Nos autem petitionem prædictam, nisi obsistat aliud, quod nos latet, rationi consentaneam, expedientemque tuæ saluti animæ, & aliis etiam arbitrantes, serenitatem regiam exhortamur, ut digneris effectualiter petitionem admittere supradictam, ut illa sua neget restituere, cujus filium in tuis credis omnibus, nisi de tuis bonis exierint, assisteré. Datum VII. Kalendas Februarii, anno XV. In eandem fere sententiam litteras ad Sanctiam Siciliæ reginam dedit, quibus eam majorem in modum orat, ut, quoniam rei Hungaricæ, ac Siciliæ vehementer interesset, ne foedera, quæ utrique regno hactenus intercesserant, novis turbis interciperentur, daret sedulo operam, ut conciliatis inter Joannam neptem, ac Caroli filium nuptiis, pax firmiore vinculo stabiliretur. Quo eventu suam eatenus operam Sancia collocarit, postea commemorabimus.

Favorem habet in ipsum.

Carolus inter cum patruo sive sopita, seu penitus complanata, a Joanne Bohemiæ rege in armorum societatem pertractus, Austriam hostilem in morem percursat, sed paullum post, nescio quam ob causam offensus, relictis Bohemis in Hungariam redit. Albertus Austriæ dux, qui ex morbo decubuerat, Ottonem fratrem Joanni cum exercitu occurrere jubet, sique res, & tempus ferret, cum hoste dimicare; jamque ad oppidum La infestis signis consisterant, cum

Cum Bohemo adversus Austriae foederatur.

Bohe-

(6) Raynald. ad annum 1331. Num. 26.

Anno Christi 1331

Bohemus aut viribus suis diffisus, aut sine Hungaris manus conserere veritus, intempesta nocte in Moravum se subduxit. (7) Ea fuga Ottoni ac Alberto antea mirum in modum adjecti, qui, ut se adversum Bohemorum incursiones tutos deinceps præstarent, Carolum Hungariæ regem fœderibus sibi consociandum putavere. Spem dabant & vetus amicitia, quæ pactionibus mutuo inita dudum coaluerat, & improvisus regis ex Austria abitus, quem ut oblata a Bohemo causa reverisse suspicati sunt, ita injuriæ alicujus offensa provocatum facile ad suas partes transiturum arbitrabantur. Missi itaque Posonium, nam istuc Carolus cum exercitu resederat, ex primis viris Legati, qui pertentato regis animo pacem offerrent, & a Bohemo omni conatu avellere niterentur. Faciliorem se, quam Austrii in principio speravant, rex præbuit, fœdusque iis prorsus conditionibus, quas olim cum Friderico ad Prukam oppidum pepigerat, innovavit. Pactionum tabulæ præparando firmatæ in hæc verba habent. (8)

Fœdus rescissum cum Austriis amicitiam redintegrat

Nos Karolus Dei gratia rex Hungariæ, Memoriæ perpetue commendantes tenore præsentium significamus, quibus expedit universis. Quia attestante sanctæ matris Controversiis inter quaslibet finis est juramentum, & quibuslibet fidei Christianæ professoribus, ipsius religionis fidei transgressio periculum non modicum parit animarum, & infamiæ ex post facto inducit ruinam, necesse est hujus detestandi criminis penam penitus effugere, & ad ipsius observanciam animum semper fuisse mundi Principes, & stabiliter solidare. Hinc est, quod nos volentes, & cupientes, ut cum Excellentissimis, & inclytis Principibus, Dominis Alberto, & Ottone eadem gratia Ducibus Austriæ, & Styriæ illustribus, fratribus nostris karissimis filiis suis karissimis, & terris, ac Dominiis eorum, cunctis diebus, & temporibus quibus nobis vita comes hujus seculi suffragabitur, heredum proheredes, una omnes, concordes, quieti, & pacifici perpetuo inviolabiliter simul existamus, ac ligis perpetuis, & amicitiæ nexibus firmitatis perpetuæ simul in unum mutua vinculorum (colligati), & similiter contra adversantes nobis resistere pariter valeamus, literas patentes, seu instrumenta olim inter nos ab una, ac excelsum Principem, Dominum Fridericum, eadem gratia Romanorum regem dive recordacionis, fratrem nostrum Karissimum, ac eosdem Dominos Albertum & Ottonem Duces Austriæ, & Styriæ, Karissimos fratres nostros parte ab altera anno Domini millesimo CCC vicesimo octavo, undecimo Kalendas Octobris, regni autem ipsius Domini Friderici Romanorum regis anno quarto decimo, in Prukka juxta fluvium Saar confectas, & emanatas, seu confecta & emanata, omnes & singulas compositiones, obligaciones, renunciaciones, & cessiones ac generali vocum appellacione quelibet federa, condicionesque easdem universas eisdem insertas, plene continentes, vel continentia nostro, Prelatorum, Baronum, ac Magnatum regni nostri sigillis roboratas, & firmatas, seu roborata, & firmata, quibus premisse, & singula premissorum prestito corporali juramento per sacro sancta Evangelia, & vivifice Crucis lignum inviolabiliter per nos, & per ipsum dominum regem Romanorum, ac Duces Austriæ observanda mittebantur, & continentur, omnia etiam, & universa in eisdem literis, & instrumentis nostris cum omnibus clausulis, condicionibus, articulis, punctis, penis, renunciacionibus, cessionibus, & obligacionibus quibuscunque in ipsis contentis, & expressis, dictis Dominis Alberto, & Ottoni Ducibus Austriæ, fratribus nostris, eorundem heredibus, heredumque suorum successoribus, terris suis, & dominiis ad perpetuam dilectionis mutuæ unionem, nec non pro communi, & tranquillo statu terrarum, & regnorum hinc inde utrorumque nostrorum prestito similiter, & etiam innovato per sacro sancta Dei Evangelia, & vivifice Crucis lignum, eodem corporali juramento, absque omni dolo, fraude, versucia, iniquitate, & malicia perpetue valere, teneri, & indissolubiliter permanere, & conservare promittimus, assumpsimus, & spondemus. Easdem literas, & instrumenta ad majorem rei evidenciam, firmitatemque perpetuam quoad omnes clausulas, condiciones, articulos, puncta, penas, renunciaciones, cessiones, & obligaciones quascunque & generaliter, quo-

(7) Chronicon MS. Zwetl. apud Cl. Linck ad annum 1331

(8) P. Albertus Steyerer S. J. in Comment. pro hist. Alberti II. Ex Tabulario Cæsareo Viennensi exhibet orthographum autographi instrumenti.

quod omnes suo continentias, & primo usque ad ultimum, testimonio praesentium de novo confirmantes, eadem universa, & singula rata, grata, & accepta, prorsus, & per omnia habentes, atque perpetuo habebimus. In cujus rei perpetuam memoriam, & evidens testimonium praesentes literas sigillo nostro regio jussimus communiri. Datum & actum in civitate nostra Posoniensi, anno Domini millesimo, trecentesimo, tricesimo primo, quarto nonas Septembris.

Anno Christi 1331.

Quoniam autem prioribus pactionibus, si Bohemia bello appeterentur, neutri integrum erat, opem vicissim ferre, alias quoque tabulas consensis placuit, quibus etiamsi in Joannem Bohemiae regem arma moverentur, communes se amicos futuros sponderent. (9)

Et contra Bohemos armorum societatem pangunt.

Nos Karolus Dei gratia rex Hungariae, memoriae perpetuae commendantes tenore praesentium significamus, quibus expedit universis. Quod cum ob sincerae dilectionis fidem & Consanguinitatis unionem, prout naturalis amicitiae cultor requirit, nec non ob terrarum nostrarum statum pacificum, & tranquillum, jam pridem cum Excellentibus, & Magnificis Principibus, Dominis Alberto, & Ottone, Ducibus Austriae, & Styriae, fratribus nostris Karissimis concordiam, & unionem, ac perpetuam unionem pro nobis, & nostris heredibus inivimus, & vicissim contraximus, de nos invicem coadjuvando, prout in literis nostris prius super eo datis, & confectis, & de novo ratis & gratis habitis plenius continetur, & etiam in eisdem literis nostris excellentibus Principibus, dominis Friderico regi Romanorum, Alberto, & Ottoni Ducibus Austriae, fratribus nostris praedictis olim, & prius datis, Magnificus Princeps Dominus Johannes, rex Bohemiae specialiter exceptus fuerit, quo minus nos contra eundem regem Bohemiae ipsos juvare, vel eis assistere minime tenemur, nunc ad ampliorem, & uberiorem statum terrarum nostrarum, & bonorum solidandum, & firmandum pro nobis, & heredibus nostris contra eundem Johannem regem Bohemiae, suosque heredes, & successores, ac regnum eorundem cum praedictis fratribus nostris illustribus Ducibus Austriae, suis heredibus, & successoribus praefatam compositionem ligam inivimus, promittentes, & sub fide nostra debita sacris sanctis Evangeliis, ac vivificae Crucis ligno tactis corporali praestito juramento, firmiter spondentes, eisdem Dominis Alberto, & Ottoni Ducibus Austriae, suisque heredibus, & successoribus, modo quo supra cum omni nostra potentia, & facultate, terris, castris, munitionibus, hominibus, & in meliori prout possumus adhaerere, assistere, succurrere, & coadjuvare perpetuo contra praedictum Dominum Johannem, regem Bohemiae, suosque heredes, ac successores, & regnum, quotiescumque, & quandocumque per ipsos requisiti fuerimus, auxilio, consilio, & favore, sicut & ipsi Domini Duces Austriae, suique heredes, & successores vice reciproca nobis, nostrisque heredibus, ac terris nostris cum omni sua potentia, & facultate, ac gente succurrere, assistere, & adjuvare consilio, auxilio, & favore, tenentur, & perpetuis temporibus obligantur, adjicientes etiam, quod nunquam processu temporis nos sine ipsis Dominis Ducibus Austriae & suis heredibus, ac successoribus pacificam reformationem cum domino rege Bohemiae percutiemus, vel suis heredibus, & successoribus, aut aliis pro eis inibimus, vel treugas aliquas, nisi cum eisdem, vel de voluntate eorundem quomodolibet faciemus, sicut & ipsi nullam compositionem, pacem, aut alias treugas absque nobis, vel sine nostra voluntate inient, vel facient unquam, nisi nobiscum, vel nostro consensu adveniente quoquomodo, omnibus tamen aliis, & singulis pactionibus, confoederationibus, conventionibus, & aliis quibuscumque praefatis contentis literis, praeterquam de rege Bohemiae, prout praemissum est, in suo robore duraturis. In cujus rei memoriam perpetuam praesentes literas nostro sigillo regali munitas duximus in testimonium, atque robur. Datum & actum in Civitate nostra Posoniensi, anno Domini Millesimo trecentesimo tricesimo primo, quarto nonas Septembris.

Haud

(9) P. STEYERER S. J. ibid. ex eodem Tabul. Caes. Viennensi

Anno Christi 1332. Bellum in Ruthenos susceptum.

Haud diu tamen hæc fœdera constitisse, quod Austriaci Duces Ludovici Cæsaris auctoritate, nescio quid juris sibi in quædam Hungariæ Oppida arrogarint, ex rebus, quas postea narrando complectemur, perspicuum fiet. Carolus, sancito cum Austriacis fœdere, ingentem adversus Ruthenos belli apparatum instituerat, quo eorum incursionibus frenum injiceret. Tartari, quos ab olim Ladislai Chunii in Hungaria restitisse narravimus, dum latrociniorum licentiam sibi a Carolo interdictam viderent, partim ad Ruthenos, partim ad Cumanos in Moldaviam delati, illorum ope & auxilio Hungariam crebro infestabant, fureque tanto majus his procursionibus damnum regno illatum, quo minus iu tempore miles hosti opponi poterat, qui prius, quam nostri adessent, ea Hungariæ plaga, quæ ad fontem Tibisci porrigitur, cædibus, ac spoliis corrupta, facile in tutum se receperant, Ruthenorumque ope, cum quibus prædarum partem communicabant, salvi & incolumes evasere. Horum perfidiam ut castigaret Carolus, conflato ingenti exercitu profectionem suam indixit, de qua, cum Pontificem per literas edoceret, ne in vastissimis plagis annonæ penuria miles laboraret, veniam obtinuit, ut omnibus, qui expeditioni in hosticum susceptæ interessent, diebus ceteroquin ex more Ecclesiæ vetitis, sine discrimine carnibus vesci integrum esset. (10) Hæc ex literis Pontificis minime ambigua sunt: at quem exitum belli molitiones acceperint, usquam reperi. Credibile est Ruthenos, quod potens post annis eorum Dux ad Carolum profectus in amicitiam recipi flagitarit, aut metu armorum territos, aut profugatos ab injuriis deinceps abstinuisse.

Arbitri partes inter Polonos, & Cruciferos militesagit.

Nisi forte Pontificis hortatu aliorsum copias Carolum traduxisse opinemur, & Uladislao Polono, inter quem, & Cruciferos grave bellum Pomeraniæ causa exarserat, suppetias venisse. Certe cum semel atque iterum Cruciferi a Polonis memorabili clade attriti essent, neque pax utrinque confieri posse videretur, eodem anno arbitri partes Carolo a Pontifice delatas constat, cum interea Joannes Bohemiæ rex a Cruciferis exoratus constituendi pro his judicii auctoritatem accepisset. Agente utroque rege ita dissentientibus convenit, ut, quoad annuum induciarum tempus elaberetur, bona utrinque fide ab armis, & belli injuriis temperarent. (11) Atque hæc fortasse causa fuerit, cur nihil prorsus, quo exitu Ruthenicum bellum terminatum esset, consignatum habeamus. Sed de hoc quivis, ut voluerit, existimet: illud compertum est, Carolum inter hos belli motus Stephano filio auctum esse, qui ut nascendi ordine quintus, ita postremus quoque fuit, ex quo patris nomen tulerit, neque enim liberos deinceps ex Conjuge regem sustulisse, ullus, quod sciam, memorat. (12)

1333. In Apuliam cum Andrea filio proficiscitur.

Carolus, cum tot liberorum pater esset, matura deliberatione secum agere cœpit, quem in modum futuris periculis caveret, ne fratrum studio Hungaria intestinis factionibus olim laceraretur. Ac Ludovico quidem, qui extinctis Carolo, ac Ladislao, natu maximus erat, certa paterni regni hæreditas erat, si in eo coronando, quod se vivo vehementer optabat, Strigoniensis Archi-Episcopus moram, aut difficultatem dedita opera non interponeret. Quam ubicem magnarum sæpe dissensionum causam, ut tolleret, scripserat ad Pontificem, orabatque, ut inaugurandi Ludovici potestatem, si Strigoniensis renuat, in alium Præsidem sua auctoritate transferret. Id cum a Pontifice haud gravate impetraturus videretur, Andreæ quoque filio regnum Neapolitanum designavit, spe non dubia fretus, si filii utroque regno potirentur, auctis facile e Dalmatia Venetis, res Hungaricas ad supremum humanæ felicitatis fastigium eductum iri. Egerat ea de re per nuntios cum Roberto Siciliæ rege, neque difficilem expertus est, modo Andreas in Italiam traduceretur, ut gentis illius mores a teneris edoctus, conciliatusque cum Joanna nuptus, & Cœli ingenio, & regno consuesceret. His promissis, & Pontificis præterea consilio inductus Carolus in Apuliam ad Robertum trajicere constituit, ductoque secum Andrea nondum septenni Zagrabiam profectus est: comitati sunt regem præter Chanadinum Archiepiscopum Strigoniensem, & Andream Varadiensem, cum Jacobum Lon-

(10) RAYNALD. ad annum 1332
(11) Idem ibid.
(12) TIMON in Epitome.

Longobardum Cumadiensem Episcopos Optimates plerique magno numero, & splendore (13) Zagrabia medio Julio in Dalmatiam veterem, cum et Apuliam transfretare meditatur, Legatos Modrusiæ a Spalatinis accepit, qui oblatis muneribus, dataque fide in pristinam Hungariæ clientelam se concessuros spoponderant, si rex privilegia, quæ a prioribus regibus obtinuissent, civibus confirmare vellet. Carolus, quod cogitationes omnes ad asserendum Andreæ Neapolitanum regnum convertisset, acceptis muneribus amplissimas gratias Legatis quidem habuit, sed quo minus pro eorum voluntate Civibus gratificari posset, causas, quas reduces Spalatensibus suo nomine educerent, se cum iis communicaturum pollicitus fuit, usque eorum, quæ dicenda haberent, fidem præstaret, literas ad Spalatenses in hæc verba exaravit. (14)

Anno Christi 1333

Carolus rex Hungariæ - - fidelibus suis, Jacobo Gradonico Comiti, Judicibus, Consilio, Communi Civitatis Spalatensis salutem, & gratiam. Venerabilis in Christo pater Dominicus per eandem Archiepiscopus Spalati, Nobilesque Viri Theodosius Alberti, & Petrus Francisci, per vestram fidelitatem missi, in nostram præsentiam venientes, vestras legationes, eis injunctas, nobis attente audienti retulerunt, & missa munera apportarunt, quæ grata habemus, gratiorem tamen vestræ fidelitatis constantiam, & voluntatem subjectionis debitam, fore sincerum permultorum operum exhibitionem cognoscimus, prospero processu nostro, concedente Domino, feliciter expedito, dum ad nos homines vestros miseritis, uberem gratiam, & omnes petitiones vestras, licitas & honestas a nobis credatis vos effectualiter obtenturos. Privilegia quædam vestra ad præsens, propter quod nequivimus confirmare, dictus dominus Archiepiscopus cum dictis suis sociis verbotenus recitabit cum ceteris responsis. Datum Modrusiæ XVI. Kalendas Augusti.

Spalatensis ad clementem litteras sollicitius respondet

Inde in Apuliam secunda navigatione traductus, ad Vestam provinciæ ejus Oppidum, pridie Kalendas Augusti constitit. Robertus ubi de regis adventu certior factus est, Carolo Beneventi obviam fit, & magna pompa Neapolim deducto, solutisque auctoritate Pontificia legibus consanguinitatis, sponsalia inter Andream ac Joannam ex filio neptem, incredibili utriusque regis lætitia vicesimo septimo die mensis Septembris rata habet. His confectis, & relicto apud patruum Andrea, additisque, qui filii pro se absente curam gererent, fidissimis Hungarorum, ut in spem regni, & Conjugis educaretur, lætus in Hungariam revertit, sed ignarus Andreæ his curis non regnum, sed laqueum parari. (15) Redux mutato Romano mirum in modum recreatus est, quo certus reddebatur, Ludovicum filium, si Strigoniensis Archiepiscopus id præstare nollet, per Colocensem Archiepiscopum, aut Varadiensem, & Zagrabiensem Episcopos jure ac legitime inaugurari posse. Et ne turbæ propterea oborirentur, Pontifex data ad Colocensem, ceterosque, quos memoravimus, Episcopos epistola in hunc modum cavit. (16)

Andream cum Joanna Siciliæ regis neptem despondet

Redux rescriptum a Papa obtinet coronandi per Coloc. & Archiep. filii.

Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Colocensi, Varadiensi, ac Zagrabiensi Episcopis salutem.

Ex tenore petitionis Charissimi in Christo filii nostri Caroli, Regis Ungariæ illustris, in nostram notitiam introductæ percepimus, quod dilectus filius, nobilis vir Ludovicus, primogenitus suus, dum ipse rex egerit in humanis, vel post suum de hac luce transitum, in regem Ungariæ coronandus existat, ad obviandum scandalis, & periculis, quæ circa dicti primogeniti coronationem in regem ipsius Ungariæ, ut prædicitur, coronandi multipliciter provenire valerent, & maxime, si per Venerabilem fratrem nostrum, Archiepiscopum Strigoniensem, cum ad archiepiscopatum Strigoniensem, qui est pro tempore, pertineat reges Ungariæ coronare, alter non coronandus fortasse coronaretur, & impediretur legitime coronandus, seu casu aliquo vacationis ecclesiæ Strigoniensis, vel absentiæ, seu infirmitatis archiepiscopi antedicti coronationem præfati primogeniti in hujusmodi suo

E regno

(13) THUROCZ Chronic. Cap. 97.
(14) LUCIUS Lib. IV. Cap. XV.
(15) Chronica Venetus apud Lucium ibid.
(16) RAYNALD. ad annum 1333.

Anno Christi 1333

regno Ungariae sibi legitime successori oporteret periculose differri, praefatus rex nobis humiliter supplicavit, ut providere super praemissis de Apostolicae Sedis circumspecta clementia dignaremur.

Nos itaque tam regis, & primogeniti, quam domus, & regni praedictorum salutem, prosperitatem, & pacem zelantes in Domino, & paternis affectibus cupientes, votis quoque dicti regis super iis favorabiliter concurrentes, eidem regi auctoritate litterarum nostrarum ea vice duximus concedendum, quod si dictus Archiepiscopus, qui nunc est, seu qui pro tempore foret, tempore coronationis hujusmodi de dicto primogenito faciendae requisitus per eundem regem, seu ex parte sua, si requisitionem hujusmodi in vita sua, seu per eundem primogenitum, vel ex parte ipsius, si eam post dicti regis obitum fieri contigerit, idemque Archiepiscopus, qui est, vel qui pro tempore foret, in loco exsisteret, ubi commode fieri non possit, ac renueret, vel differret loco, & tempore ad hoc ordinandis ad Coronationem praedictam procedere, ut tenetur, vel si forsitan alium de facto indebite coronaret, ex tunc, & etiam in casu vacationis ejusdem Ecclesiae Strigoniensis, vel infirmitate, seu notabilis absentiae archiepiscopi antedicti, liceret regi, vel primogenito praefatis ad vos, quos regia sublimitas, & ipsius primogeniti nobilitas esse credunt suos, & domus suae ac ejusdem regni prosperi, & pacifici status fervidos Zelatores, & quemlibet vestrum, de quo rex, vel primogenitus jam dicti, tunc temporis maluerint recursum habere pro eadem Coronatione dicto primogenito impendenda.

Nos igitur ad supplicationem praedicti regis, vos, vestrumque singulos ad prosequendum, & exsequendum praedictae Coronationis negotium juxta subscriptam moderationem seriem auctoritate apostolica deputantes, fraternitati vestrae per apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus quicunque vestrum, qui per regem, vel primogenitum antedictos, seu pro regis vel primogeniti eorundem parte fuerit requisitus, ex tunc in praemissis casibus, & quolibet eorum, auctoritate praedicta hujusmodi Coronationis solemnia impendat primogenito memorato. Volumus autem, ut per hujusmodi dictae Coronationis impensionem eidem primogenito faciendam Archiepiscopo, qui est, & pro tempore fuerit, ac Ecclesiae Strigoniensi jam dictis nullum in posterum, prout superius est expressum, praejudicium generetur. Datum Avinione II. Kalendas Augusti anno XVII.

1334. *Missis in Poloniam Legatis Casimiro studet.*

Tam laetis rerum successibus allatus de Uladislai Poloniae regis morte nuntius non nihil obturbavit. Carolus pro suo in Conjugem amore hujus fratri Casimiro ad consequendum regnum magnopere studens, Legatos, qui Cracoviensibus Comitiis interessent, agerentque, ut rerum summa post patrem Casimiro mandaretur, in Polonorum expediverat. Introducti in Comitiorum locum, ac Caroli nomine, si Casimirum regia potestate ornarent, opem & auxilia contra quoslibet hostes pollicati, facile quod postulabant impetrarunt, quod Procerum pariter, ac equestris ordinis voluntates per sese in illum conspirarent. (17) Eo officii genere jure Hungaris devinctus Casimirus, amicitiam vicissim spondet, primusque hic ad amicitiam gradus fuisse videri potest, qua tam arcte Carolum complexus est, ut Poloniae regnum, si improlis decederet, Optimatum totius regni consensione, ac publicis tabulis in Ludovicum Caroli filium devolvi voluerit, quemadmodum, ubi rerum ordo nos monuerit, memorabitur.

Tartari irruptionem in Hungariam minantur.

Sub haec rursum Tartari Schismaticis conjuncti incursionem in Hungariam minabantur, a quorum furore & rapina ut rempublicam tutam praestaret, magnis impendiis exercitum in regni finibus alere necessum erat, saepeque praelio concurrere, ex quo cum fere victor rex esset, *inclytus Ecclesiae athleta* nuncupari meruit. At cum barbarorum numerum in dies accrescere Pontifex ex Carolo intellexisset, quo illum, & Hungaros sacro ardore magis in ferocissimam gentem accenderet, amplissimam omnium criminum, quorum rite eos poeniteret, veniam concessit. (18)

Joannes - - Carolo regi Hungariae illustri.

Contra quos Pontifex se-

Cum sicut ex parte tua fuit nobis expositum, fideles Christi per regnum tuum Ungariae, aliasque terras tibi subditas consistentes, a Schismaticis, Tartaris, & Paganis,

(17) Cromerus rerum Polonic. Lib. XII. (18) Raynald. ad annum 1334.

sis, aliisque perniciis infidelium nationibus, impugnationes, depopulationes, servitutes, & carceres, aliasque diversorum generum pœnas, & cruciatus multiplices patiantur, pro quorum, & fidei Catholicæ defensione, te plerumque contra Schismaticos, Tartaros, & paganos, & alios prædictos bellum, seu pugnam inire contingit, nos tuis supplicationibus inclinati, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum, ejus auctoritate confisi, tibi, si in bello, seu pugna hujusmodi, aut ex vulneribus ibi receptis postmodum te mori contigerit, omnium tuorum, de quibus corde contritus, & ore confessus fueris, plenam concedimus veniam peccatorum, sic tamen, quod heredes tui de iis, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, satisfactionem hujusmodi facere teneantur. Datum Avinione V. Idus Julii, anno XVIII.

Anno Christi 1334. Cum bellum pro religione gerit, indulgentiam ei pontifex largitur.

Ejusdem argumenti litteras ad Hungaros, quicunque Carolum adversus hostem sequerentur, scripsit &c, ut beneficium, quo regem complexus est, omni ex parte cumulatum daret, soluto sanguinis vinculo, quo cum Roberto nectebatur, potestatem fecit Ludovico, ut Mariam alteram Roberti Siciliæ regis neptem, quemadmodum inter Andream & Joannam factum narravimus, desponderet. Sed hanc Carolus Dyrrachii Princeps Ludovico per dolum surreptam matrimonio sibi copulavit, quæ fraus, quamquam in principio felicem exitum spondere videbatur, tamen misero postea mortem conscivit, ut in Ludovici rebus memorandi locus erit.

1335. Rex bello transfugæ cepto insigni victoria potitur.

Carolus conscripto exercitu, contra Tartaros, ac Ruthenos, quos Hungariæ immisisse narratum est, sequente anno expeditionem suscepit. Confluxerat ingens hominum sub signa numerus, partim Pontificis litteris incitati, partim vindictæ acri studio, quo in hostem Hungariam toties impune pervagantem saepe ferebantur. Pugnatum esse memorabili prælio, & nostros insigni victoria potitos, ex Benedicti hujus nominis XII. Pontificis Maximi epistola citra dubium conficitur; sed ubi locorum manus consertæ sint, aut quæ prælii fuerit ratio in obscuro est. Mihi, quod rem a plerisque nostris scriptoribus tacitam video, litteras, quibus Pontifex de relata victoria Carolo gratulatur, in medium proferre, satis fuerit. (19)

Benedictus - - Carolo, regi Ungariæ illustri.

Fili charissime! audita victoria, quam tibi adversus hostes fidei Christianæ, altissimus de cœlo in temporibus præteritis contulit, cor nostrum exultat in Domino, exinde filio laborum vitalium in humilitate spiritus exsolventes, & cernui supplicantes eidem, ut collatam tibi victoriam, & gratiam corroborare, & augere ad conterendos inimicos nominis Christiani dignetur. Tu vero fili dilectissime! non tuæ, et tuorum, sed divinæ potentiæ potius victoriam ipsam, & alia dona virtutum, quæ tibi largitur altissimus, cum actionibus gratiarum ascribens, circa ejus obsequia, præsertim ad cultum fidei orthodoxæ dilatandum in illis partibus, tanquam athleta Christi strenuus, quoties opportunitas aderit, ut inde tibi apud Deum acquiras meritum uberius, & fama tua nominis dilatetur per orbem diffusius, te impendas, futurus, quod nos super tuis opportunitatibus, quantum cum Deo poterimus, propitios reperies, & benignos - - Datum apud Pontem Sorgiæ Avinionensis diœcesis, Nonis Augusti, anno primo.

Pax inter Polonos & Cruciferos Caroli judicio composita

Confecto feliciter in Schismaticos bello, rursum arbitri partes cum Joanne Bohemiæ rege, inter Casimirum, & Cruciferos equites accepit. Agebatur res adhuc, quam inducias triennio prius pacti fuissent, magna juris contentione, Polonis amplissimam regni portionem sibi summa injuria eripi quiritantibus, cum Magister ordinis Cruciferorum causæ æquitatem in belli jure, & pactis conventis reponeret. Itaque, ut lis penitus complanaretur, actoribus imperatum, ut ad diem divæ Elisabethæ sacrum Vissegradi in Hungaria adessent. Casimirus præstituto tempori adfuit, Joannes Bohemiæ rex cum Rutheno Provinciali ordinis, Marquardo de Spaneberg Thoranensi, & Conrado de Brunesteyn succensi Commendatoribus haud multo post Polonum consequutus, Carolum facile in suas partes pellexit, ut adducta in consultationem causa, sententiam ordini Cruciferorum

E 2 magis

(19) RAYNALD. ad annum 1335.
Annal. Reg. Hung. Part III.

Anno Christi 1335

magis, quam Polonis faventem diceret. Cromerus in has conditiones utrinque conventum esse scribit (a): ut Pomerania, hujus enim causa lites in primis ferebantur, Crucíferorum equitum juris esset, si decem florenorum millia pro faciendis belli damnis penderent. Cujaviensis contra, & Dobrinensis provinciae Polono redderentur, de ceteris controversiis ipsi cognoscerent, ac bona fide pacificerentur. Verum haec paullo aliter habere ex pactorum tabulis, quas Carolus, & Joannes vulgavere, cum negotium conficitur. In haec autem verba habent. (b).

Compromissi tabula

In nomine Domini Amen. Nos Carolus, & Joannes Dei gratia Hungariae & Bohemiae reges, perpetuae memoriae tenore praesentium cunctis facimus, quibus expedit, universis &c. Cum magnificus Princeps Casimirus eadem gratia rex Poloniae ex una, & Religiosi viri, Magistri Generales, Praeceptores, & fratres universi ordinis Cruciferorum de domo Teutonica, parte ab altera, super terris, provinciis, seu districtibus, Culmensi, Dobrinensi, Cujaviae, Pomeraniae, & Thorunensi, super quibus a multis retro actis temporibus, adhuc inter Excellentem Principem Dominum Wladislaum, quondam ejusdem Poloniae regem, & tandem ipso feliciter migrante ad Dominum, inter ipsum Dominum Casimirum regem, & dictos Cruciferos materia dissensionis, & quaestionis suborta dinoscebatur, in nos reges Hungariae, & Bohemiae, tanquam communiter arbitratores, & amicabiles compositores, per ipsam jam dudum, & nunc mediantibus legitimis instrumentis, & literis compromissariis efficacibus electos, pacis alumni, & nulla fere gravamen cupientes, sic sponte, & liberaliter commisissent: nos inter cetera hujus rei causa circa festum omnium Sanctorum anno Domini millesimo tricentesimo trigesimo quinto, in alta castro Vischegrad in Hungaria simul in unum convenissemus, tractatus de praemissis, & praedicto Domino Casimiro rege personali praesentia, & pro memoratis Magistro Generali, Praeceptoribus, & universitate Fratrum Cruciferorum dictae domus Teutonicae, fratre Henrico Ruthene Provinciali ejusdem Ordinis de terra Culmensi, & Marquardo de Spanberg Thorunensi, & Conrado de Bruensteyn Sbirecensi, dictis ordinis Commendatoribus, & confratribus, cum plenis, & legitimis, & ad infra scripta cum plene sufficientibus procuratoriis literis comparentibus, assumptis nobiscum Praelatis, & Baronibus nostris, quos communiter voluimus, quibusdam diebus continuatis, utriusque partis jura etiam infra scripta, quae habere dinoscebantur, diligenti, & fideli perscrutatione examinassemus, tandem favente Domino aciem mentium nostrarum aequo libramine dirigentes, taliter arbitrandum duximus, & pronunciando diffinimus: Quod Dominus Casimirus Rex Poloniae terras Cujaviae, & Dobrinensem cum provinciis, & districtibus, ac quibusvis utilitatibus, & pertinentiis universis ab antiquo ad easdem spectantibus, juxta limites, ac metas suas antiquas cum plenitudine juris, & totale plene dominium, prout ad progenitores, & praedecessores suos, & per consequens ad ipsum juste, & vere, ac haereditarie ab olim pertinuisse, & pariter pertinere cognovimus, & specialiter in eadem terra Cujaviensi, cum portione Ducis Casimiri, quae ipsum contingit, cum pertinentiis in eadem, debeat possidere, tenere pacifice, quiete, perpetuo, & habere in filiis filiorum, & successorum haeredes, salvo, quod omnia bona, & possessiones, quae, & quas in terris Cujaviae, Dobrzinensique ante motam guerram pacifice, & quiete Cruciferi possederant, ita & nunc, prout antea, eas, & ea cum omnibus juribus, jurisdictionibus, & pertinentiis quibuslibet possideant, habeant, & teneant, sub veris metis, & terminis antiquitus observatis. Magister vero generalis, & fratres Cruciferi domus Teutonicae praenominati, terram Pomeraniae cum suis districtibus juxta antiquos limites suos cum pertinentiis similiter, & utilitatibus ejusdem universis, quam eisdem Fratribus idem Dominus Casimirus rex Poloniae causa divinae retributionis, & ob remedium animarum Praedecessorum suorum, & progenitorum, ac suae salutis in perpetuam eleemosynam, nec non propter perpetuae pacis bonum eorum nobis, renuntiando omni juri, actioni, impetitioni, & repetitioni, quod vel eidem Domino regi Poloniae in eadem terra Pomeraniae ab antiquo competebat, vel competere posset, etiam ipse promisit juxta ipsam nostram arbitrariam pronunciationem, vel diffinitionem, eodem jure, & modo, quo terrae Culmensis, & Thorunensis eidem Fra-

tribus

(a) Rer. Polonic. Lib. XII.

(b) Dlugossus Hist. Polon. Lib. IX.

tribus per progenitores & prædecessores suos fuerant legata, & donatæ, eandem Legationem, & donationem eo jure, & modo, quo fuerat tunc facta, ratam habendo, quiete, pacifice, & perpetuo tenere debeant, habere pariter, & possidere. Ordinatimus ad ultimum diffiniendo, & arbitrando, quod omnia damna, injuriæ, & quæcunque molestiæ, quocunque modo hinc inde illatæ vel regi Poloniæ, vel ejus subditis, sive Cruciferis, vel eorum subditis, compescantur, & tollantur in totum; sic quod de cetero inter ipsos super eisdem nulla petitio, & quæstio oriatur. Ut autem quicunque feudales vel regis Poloniæ, seu fratrum Cruciferorumque, qui guerris pendentibus inter ipsos a bonis suis facti sunt profugi, sive de Cujaviæ, seu Dobrzinensi, vel de Culmensi, Pomeraniaque, a nostra diffinitione videantur exclusi, ordinavimus, & diffinimus, quod hujusmodi omnes profugi bonis suis omnibus, & gratiis Dominorum suorum sint præsentibus reformati, sic, quod vel ad bona sua libere revertantur, si velint, aut eisdem libere venditis se transferant, quo placebit. In quorum omnium testimonium, atque robur sigilla nostra præsentibus sunt appensa. Actum, & datum in Vissegrad in Hungaria, præsentibus Reverendis in Christo Patribus, ac Magnificis, & Nobilibus viris infra scriptis, videlicet Chanadino Strigoniensi, loci ejusdem Comite perpetuo, & Fratre Ladislao Colocensi, & aulæ regis ejusdem regni Hungariæ Cancellario, Ecclesiarum Archi-Episcopis. Villermo Drugensi Palatino regni Hungariæ, Demetrio Magistro Tavernicorum, Thoma Voevoda Transilvano Comite de Zonug, Mikes Bano totius Sclavoniæ, Comite Paulo Judice Curiæ regis Hungariæ. Nec non Vithgone Misnensi, & Joanne Olmucensi Ecclesiarum Episcopis. Rudolpho Duce Saxoniæ, Carolo Marchione Moraviæ, Boleslao Slesiæ, & Domino Legnicensi, Tymone de Colditz, Henrico de Lippa, & quam plurimis aliis fide dignis ad præmissa rogatis specialiter, & vocatis. Anno Domini MCCCXXXV. Dominica proxima post festum sanctæ Elisabeth.

Annus Christi 1335.

Complanata hæc, alia contra omnium exspectationem inter Casimirum Poloniæ, & Joannem Bohemiæ reges exorta est. Agebatur res magno animorum æstu, & studio. Polonus enim impatienter ferebat sui regni titulum a Bohemo publicis etiam in literis usurpari, hic contra Silesiam ex Polonis potestate exemtam cupiebat. Fuisseque citra dubium ex juris contentione ad arma ventum, nisi Carolus, qui utrique uxorio nomine conjunctus erat, amicitiam suam, & auctoritatem interposuisset. Itaque missis ad utrumque Legatis, quorum Agriensis Episcopus princeps erat, pro veteri necessitudine orabat, ut positis odiis fœdera, quæ haud ita dudum coaluerant, redintegrarent, aut si convenire in re ambigua illis non posset, ut ne dirimendarum simultatum caussa ad futurum annum venire in Hungariam graventur: se, quod ambobus affinitatis vinculo illigatus esset, daturam operam, ne suam in componenda controversia sive fidem, sive studium desiderent. Esse præterea, de quibus utrique colloqui vehementer cupiat, res & grandis momenti, & quæ futuris temporibus magnas regnorum conversiones efficere possint. (t)

Bohemos cum Polonis conciliare per Legatos nititur.

Legati faciles apud utrumque regem aures nacti sunt, quod Polonus res suas nondum satis tuto loco adversum Lithuanos esse videret, Bohemo autem abunde nova belli materies objiceretur. Defuncto enim Henrico Carinthiæ Duce ingens de hæreditario jure in Tyrolim, Carniolam, & Carinthiam lis excitata est, quas provincias Albertus, & Otto Austriæ Duces ex pacto, quod Rudolphus I. cum Maynhardo Tyrolensium Comite inierat, ad se pertinere contendebant. Bohemus contra Margaretham defuncti Henrici filiam, quæ ob deforme oris vitium *Maultasche* nomen tulit, & Joanni regis filio desponsa erat, hæredem cum jure ipso, tum ultima patris voluntate haberi oportere arbitratus est. Videbant provinciarum æmuli litem haud aliter, quam armis dirimendam esse, quæ ut ne temere comperent, in conciliandis fœderibus, ac vocandis aliunde suppetiis utrimque certatum fuit. Austriæ Duces Ludovicum Cæsarem, Stephanum Bavarum, Marchionem Brandeburgicum, & Salisburgensem Archiepiscopum in armorum societatem pertraxere: Bohemus vicissim Carolum Hungariæ, Casimirum Poloniæ reges, Henricum Bavariæ Ducem, Misnenses, & Saxones cum ex veteris ami-

(t) DUBRAVIUS Hist. Boëm. Lib. XXI.

Anno Christi 1336.

cinæ consuetudine, tum ingenti præmiorum spe per Legatos sibi consociare nitebatur (2)

Novatum Bohemiæ fœdera contra Austriacos, initio, & cur? Inde bel lum exar sit.

Carolus quidem, cui cum Austriæ Ducibus fœdus publicis tabulis firmatum, nuper intercesserat, difficilem se in principio præbuit, sed postea, quam Ludovicus Cæsar Viennam Albertum, & Ottonem invisens, illis vulgato diplomate veniam fecisset, ut feuda, quæ in non nulla Hungariæ oppida ad Imperium pertinere sibi persuadebat, quibus vellent, conferre possint, ac præterea non nullos Sclavoniæ, & Croatiæ Optimates profugos Austriæ Dux liberaliter accepisset, (3) aperte Bohemorum partes amplexus, Regem consilio, & milite juvabat. Joannes absumta in habendis militum delectibus hieme, magnis Hungarorum, Polonorum, Misnensium, Saxonum, ac Bohemorum copiis accinctus Austriæ infunditur, omnemque, qui trans Danubium porrigitur, tractum latissime populatus ingenti metu Austriacos consternavit. Occurrerat quidem Otto cum Styriis, Carinthis, atque Carniolis, ut impetum hostis omnia inundantis coerceret; at, cum ei proditionis metus, seu verus, seu vanus objectus esset, relicto clam exercitu Viennam se recepit, cujus fuga, dum per castra vulgaretur, metu correptus miles desertis signis itidem fugit. Quo cognito ferunt Albertum, qui æger decubuerat, ingemuisse, quod ejusmodi dedecoris notam Austriaca nullam non facile recordaretur. Verum jactura hæc, postquam Ludovici Cæsaris copiæ adfuissent, paullum post reparata est: quibus cum se inferiorem Bohemus cerneret, communitis firmissimo vallo castris haud gravate ad pacem animum adjecit. Albertus, quod bona militiæ pars a Cæsare in Henricum Bavarum abstracta esset, Dux autem Wirtenbergicus, & Marchio Juliacensis in Regem Bohemiæ pugnaturos se negarent, non invitus quoque tractationem fœderum admisit. Conventum Laureaci est, Austriæ superioris oppido, cui Ensie hodie nomen, ubi dum de sopienda lite agitur, pene novum bellum recruduit, nisi Joanna Alberti conjux utrumque blandius aggressa ad mitiora consilia adduxisset. (4) Pax in has conditiones inita, & regiis quoque litteris firmata est: ut Albertus belli impendia numerato ære pensaret, Bohemus contra Carinthiæ causa nec litem, nec bellum se post hæc moturum polliceretur, (5) Tyrolis Margarethæ esset, Znoyma Moraviæ urbs, quam Otto uxoris nomine tenebat, ad Principis sui jura rediret. (6)

Rursus tamen sopitum.

Poloniæ, ac Bohemiæ rege Carolum Vissegradi conveniunt.

Bohemus pacatis ad hunc modum rebus in Hungariam cum filio Carolo Marchione Moraviæ, ut priore anno pollicitus est, iter adornabat, magnoque comitatu stipatus Vissegradi Regem Hungariæ salutavit. Nec multo post Casimirus quoque Poloniæ Rex cum plerisque Optimatibus adfuit, de rebus, quarum per Legatos indicium Carolus antea fecerat, consulturi. Quid illuc a regibus actum, qua pompa accepti, dimissique fuit, omnium copiosissime Bonfinius in hæc verba complexus est. (7) *Cum inter hos Reges de ineunda concordia, perpetuaque societate in Wissegrado ageretur, paucis post diebus pax confecta. Hi tanta rerum copia, & tantis apparatibus tractati, ut nemo e Bohemis, Polonisque fuerit, qui non & obsoniorum*

Quam liberaliter accepti sint.

(2) Chron. MS. Biblioth. Trautmansdorf. Cap. 6. pag. 325. apud P. STEYRERUM in addit. ad Cap. I. Commentarii pro historia Alberti II.

(3) Diploma sic habet. *Wir Ludwig von Gottes gnaden Römischer Kayser ze allen Ziten merer des Richs Veriehen offenlich an disem brieff, daz wir unsern lieben oheimen und Fürsten Albrecht, und Otten, Herzogen ze Osterrich erlaubet, und vollen gewalt gegeben haben mit disem unserm brieff allen leihen in Ungern in unsere statt ze verlihen wen si wellent, und wen, oder wohin si die leihen, oder mit iren brieven besteten. Da geben wir unsern gunst, ze wellen zu, und wollen, das sie haben ze geliches unter sein wer si selber verlihen. Und des ze urchunde geben wir in disen brief mit unsern insigel versigelten, der geben ist ze Wienn an dem Perchten abent, nach Christs geburt dreuzen hundert Jar, darnach in dem sechs und dreizzigsten Jar, in dem zwai und zwainzigsten unsers Richs, und in dem achten des Kayserthums.* Ex Tabul. Cæsar Vienn. apud P. STEYRERUM laudato Cap.

(4) Extant bina diplomata apud laudatum P. STEYRERUM eodem loco.

(5) Chron. MS. biblioth. Trautmansdorf. cit. loc.

(6) Hist. Ducum Styriæ in Alberto II. pag. 9.

(7) Dec. II. Lib. IX.

omnium (8) abundantiam satis admirari possis. Res victui necessariae excubiis profusissime erogatae accessere dona, Regibus pro dignitate distributa, quae Pannoniae Regis magnificentiam cum aeterna laude testantur. Joannes Rex Bohemiae prae ceteris vasis argenteis, quinquaginta duabus phaleris, totidemque balthëis, insuper latrunculorum tabula, mira arte, auroque multo elaborata, ubi singulares pyrgos, instructas utrinque peditum acies, cataphractosque equites, & reges, sublatis figuris pugnae verae similitudinem referentes cernere erat, quos omnes aurata, & gemmata arma, eumque pavimentum jaspidibus, & smaragdis tessellatum ad certamen invitabat. Item duobus ephippiis, vix tam auro, quam ordine lapillorum excultis a Carolo donatus est. Adjecta iis sunt pocula gemmata duo, alterum ducentis auri pondo appensum, alterum e solido auro confectum, in concha speciem, & arte, & gemmarum multitudine satis conspicuum. Non minore quidem magnificentia in Casimirum usus est, qui, cum statuta Bohemiae Regi tributa penderet, quippe cui Poloniae jus anno paullo ante ... ille concesserat, hac beneficentia donatus est ... ut debita ad assem Joannis stipendia persolveret. Demum illic confecta pace, perpetuaque societate convenit inter eos, ut quicunque ex iis Regibus primus vi armisque ab alius laederetur, ceteri testimonio auxilia pacta conferrent ... Haec Bonfinius, quibus tanto libentius assentior, quanto certius id Dubravii scriptoris Bohemi fide confirmari video. (9) Sed illud quod de tributo infert, non rite consignatum esse, ipse Carolus Marchio Moraviae locupletissimus testis est. Qui postquam itineris sationem, qua Vissegradium cum patre suo delatus fit, descripsisset, in hunc modum subjungit (10) *Ibique fecit idem Rex Carolus pacem inter patrem nostrum, & Cracoviae regem, ita, quod renunciavit pater noster juri sibi debito in inferiore Polonia, scilicet Gnesnensi, & Calisiensi & aliis inferioribus provinciis Poloniae. Rex vero Cracoviae renunciavit patri nostro, & regno Bohemiae pro se, & successoribus suis, regibus inferioris Poloniae in perpetuum de omni actione omnium Ducatuum Slesiae, & Oppaliae, & Civitatis Wratislaviae.* Ceterum cum Casimirus mascula prole careret, de transferendo ab ejus obitu in Carolum Hungariae Regem, aut aliquem ejus filiorum Poloniae regno consultatum quoque fuisse ex tabulis, quas postea exhibebimus, satis aperte conficitur. Tum egisse quoque Joannem Bohemiae Regem, ut Carolus redintegrato cum Austriae Ducibus foedere veterem amicitiam renovaret, minime dubium est, quando induciarum tabulas eatenus confectas, certissimum conjecturae nostrae testimonium habemus. *Carolus Dei gratia Rex Hungariae tenore praesentium ducimus declarandum, quod magnificus Princeps, Dominus Joannes Rex Bohemiae ... formandae pacis studens inter nos parte ex una, & excellentes duos Principes, Albertum, & Ottonem, Duces Austriae, & Styriae ex altera, a Dominico die proximo post elapsum proxime festum B. Luciae usque in diem Pentecostes proxime venturum, fecit, & posuit treugas pacis, quas pro nobis, & nostris sub ditione nostra existentibus spondemus firmiter servare.* Designantur postea ex parte Caroli tres limitum Praefecti, qui, ne quid induciarum tempore Austriaci in Hungariam tentarent, navitae excubent, duo ex ultraque Danubium versus Austriam, unus versus Styriam, & Carniolam, totidem vicissim a Ducibus Austriae, quorum tamen nomina, opinor scribae imperitia, omissa sunt. Dimittuntur praeterea usque ad praefinitum diem Captivi, & libera utrinque commerciorum constituta ratione Optimates, qui ad Austriae Duces confugerant, in gratiam se recepturum in haec verba pollicetur: *Insuper Petrum*

Anno Christi 1336.

Quae sit dera inter reges confecta.

Induciae inter Carolum & Austrios primum conclusae

(8) THUROCZIUS Chron. Cap. 97. Regis liberalitatem iis verbis enarrat. *Omni enim die ad prandium Regis Bohemorum ex magnificentia regis Hungariae expendebantur duo mille, & quingenti panes, & de cibis regalibus copiose, pabulum etiam equis ejus per singulos dies viginti quinque garleta. Ad prandium vero Regis Polonorum mille, & quingenti panes, & de cibariis etiam abundanter. De vino autem expensae sunt centum & ottoginta tunellae.*

(9) Hist. Bohemicae Lib. XXI.

(10) In vitae suae Commentar. in collectione Freheri pag. 96. Quin addit Bohuslaus Balbin. S. J. in Epit. rer. Bohem. Lib. III. Cap. XVIII. Casimirum XX. mille talenta argenti a rege Bohemiae accepisse, quod jure in dictos Principatus decessit. Hanc Vissegradensem conventum forte rectius annalis ad annum 1335 consignant.

Anno Christi 1337

trum Ducem --- filium Henrici, cum filiis fratris sui, & omnibus suis, Joannem filium Joannis, filii Henrici, & Paulum filium Stephani, quondam Bani, cum suis fratribus, nostros scilicet rebelles, nunc sub favore, & subterfugio dictorum Ducum existentes, una cum ipsorum rebus, & personis, dictis nostris Teucris duximus mandandas --- Datum anno M CCC XXXVI (11)

Tum pax utrinque coiit.

Ex induciis pax anno sequente coaluit. Nam cum res suas Albertus, pace cum Bohemo icta, nondum satis pacatas existimaret, nisi Regem quoque Hungariae in foederis communionem pertraheret, idque Ottoni fratri, & Austriae Proceribus, ut efficerent, magnopere commendasset, persuaderi se Carolus non difficulter passus est, ut foederi, quod anno priore inter Bohemiae Regem, & Austriae Duces Laureaci sancitum est, socius idem accederet. Acta res est Posonii, & in Septembrem protracta, quo mense litteras, voluntatis suae testes, in hunc modum vulgavit. (12)

Quibus conditionibus.

Nos Karolus Dei gratia rex Hungarie presencium per tenorem significamus, quibus expedit, universis presentibus, quod cum inter nos, & Excellentem Principem Dominum Johannem, Bohemie regem ex una, & excelsos Principes, Dominos Albertum, & Ottonem Duces Austrie parte ab altera, ad regnorum, & dominiorum nostrorum, ac Ducatuum, terrarum, & dominiorum eorundem Ducum disturbia multiplicia, diversarum discordiarum, & inimiciciarum hinc inde jam dudum verteretur materia, & aliquantulo tempore ventilata extitisset, dictusque Dominus rex Bohemie, & ipsi Domini Duces Austrie pro se ipsis, eorundemque utrinque heredibus, affinitate, & parentela, quibus invicem conmectuntur, ipsos ad hoc dictius invitante, nobis per utrinque eorundem inclusis, amicabili compositioni, ac unioni perpetue ligam pro se ipsis, & heredibus eorundem, ac pro nobis absentibus, & pro nostris heredibus in civitate eorundem Ducum Enfa vocata, anno Domini M CCCXXXVII. in die beati Dionysii de novo inivissent, & exinde litere sub sigillis eorundem, in quibus nomen nostrum pro nobis, & filiis, ac heredibus nostris, eatenus dicte inclusionis in dictam compositionem a principio inscriptum per ipsum regem Bohemie, & Duces Austrie exstitit, emanate fuissent, & ad quas nos sigillum nostrum usque modo consensu nostro dicte compositioni non adhibito, adhuc, & usque huc discordiis, & guerris inter nos, & ipsos Duces Austrie perdurantibus non apposuissemus Jam prioribus nunc dictis discordiis, & guerris omnimode, & per omnia extirpatis de medio, & remissis, supra dicte compositioni firmate, & unioni perpetue juxta continentiam dictarum literarum nobis, filiis nostris, & heredibus in easdem inclusis in civitate nostra Posoniensi plenum consensum prebemus, & assensum absque omni fraude & dolo, super sacrosancta Dei Evangelia, & salutifere crucis ligno, corporali prestito juramento, ac sigillum nostrum in earundem ratihabitionem appenendum duximus ad easdem. (13) *Ut ergo inter ipsos magnificos Principes Dominos Joannem Bohemie Regem, & Duces Austrie, ipsorumque filios, & heredes, ac nos, & similiter nostros heredes, ut supra scribitur, hujusmodi concordia, unioque sempiterne federis, ac vinculum perpetue fraternitatis robur optineat, ac inviolabiliter perseveret, tenorem earundem literarum compositionalium nihil diminuendo, nihilve mutando presentibus insertum, appositione nostri sigilli fecimus communiri, in ratihabicionem omnium premissorum. Datum Posonii feria quinta proxima post Nativitatem beate Virginis anno Domini M CCC XXXVII.*

Novis tabulis cavet, ne in Bohemiae regem arma sumere cogatur.

Atque ut amicitiae redintegratio firmior deinceps consisteret, quidquid foederum cum Friderico Romanorum rege, ac Austriae Ducibus olim sibi intercedebat, novis litteris instauratum voluit, ea duntaxat conditione antiquata, qua se Joanni Bohemiae regi communem cum Ducibus hostem fore receperat. Has, quamquam prolixae sint, prioribus conjungere operae pretium me facturum arbitror (14)

Nos

(11) In Diplomatario Styriae, inter Seccoviensia Num. CLXXI.

(12) Ex Tabul. Caesar. Vien. apud P. STEYERERUM S. I. loc. citat.

(13) Hac interserta Instrumentum pacis inter Duces Austriae, & Bohemiae Regem confectum, cujus initium hujusmodi est: *In Devomine amen. Gloriosum genus victorie, titulusque triumphi &c*

(14) Ex Tabul. Caesar. Vienn. apud P. STEYERERUM S. J. loco laudato.

Annus Christi 1337

Nos Karolus Dei gratia rex Hungariae, memoriae perpetuae commendantes tenore praesentium significamus, quibus expedit, universis. Quod quamquam ex dolosa, & iniqua suggestione, maliciosaque, & consuetitia instigatione quorundam pravorum hominum, inter fratres zyzania, & discordias seminantium, & bono pacis spreto, dissensionum cum magnificis Principibus, Dominis Alberto, & Ottone Austriae, & Karinthiae Illustribus Ducibus fratribus nostris karissimis pridem in aliquantulo tempore in quandam litigiosam discordiam devenissemus, tamen nunc tandem, quia omnino est supremae nostrae intencionis, totiusque nostrae perpetuae voluntatis, & cum ipsis Dominis Alberto & Ottone Austriae, & Styriae, & Karinthiae ducibus praedictis, fratribus, & consanguineis nostris karissimis, ac Dominiis suis perhemnaliter in plena, firma, & perpetua pacis unione, mutueque dilectionis perpetuo stabilimento, prout etiam ex vinculo, & unione consanguinitatis, favente Domino, cum eisdem sumus annexi, nos & nostri heredes, ac successores juxta continentiam nostrarum literarum patentium compositionalium sub appensione nostri, & quorundam Prelatorum, Baronum, & Magnatum nostrorum fidelium sigillorum super ipsa liga, & perpetua compositione confectarum, a modo fideliori duximus consilio irrefragabiliter, & inviolabiliter stare perpetuo, & persistere prorsus, & per omnia intendamus, & volumus ipsas literas patentes compositionales inter nos, nostrosque heredes, ac successores, & regna nostra ab una, item quondam excelsum Principem, Dominum Fridericum, Romanorum regem semper Augustum divae recordationis similiter fratrem nostrum, karissimum Albertum, & Ottonem Duces praedictos, eorumque heredes, ac heredum suorum successores, Ducatus, Dominia, & terras suas parte ab altera, videlicet anno Domini M CCC XXVIII. undecimo Kalendas Octobris, regni autem praedicti Domini Friderici regis anno quartodecimo in Brukka circa fluvium Saar confectas, & emanatas, omnes, & singulas compositiones, obligationes, & ordinationes, renunciationes, & cessiones, ac generali vocum prolacione, quaelibet federa, condicionesque earum, seu eorum universas in eisdem articulatim insertas plene continentes, nostris, Prelatorum quorundam, & Magnatum regni nostri, de quibus jam nunc aliqui obierunt, & obiisse dignoscuntur, sigillis signatas, & roboratas, quibus promissis, & singulis promissorum praestito corporali juramento ad sancta Dei evangelia, & vivifice Crucis lignum inviolabiliter, & irrefragabiliter per nos, nostrosque heredes observanda continebantur, & continentur, cum consequentibus nostris literis confirmatoriis, videlicet anno Domini M.CCC.XXXI in Posonio quarto nonas Septembris tunc a nobis emanatis, utrasque scilicet, quoad omnes clausulas, condiciones, articulos, puncta, poenas, renunciationes, cessiones, & obligaciones quascunque in eisdem literis compositionalibus originalibus contentas, & expressas, praeterquam de magnificis Principibus, Domino Johanne rege Bohemiae, & Ottone Duce Austriae, qui licet in praedictis tractatibus ante Brukkam juxta fluvium Saar confectis per nos, sicut patet, in eisdem literis tam originalibus quam subsequentibus confirmatoriis Posonii, anno & termino rescriptis, emanatis excepti fuerunt, tamen nunc eo, quod idem rex Bohemiae, & Duces Austriae anno proxime praeterito, videlicet anno Domini M CCC XXXVI. in Enso die beati Dionysii literas unionis perpetuae inter se, & eos confecerunt, in quibus & nostrum nomen praeposuerunt, quas & nos jam ratas habuimus, et habemus praebendo eidem unioni perpetuam consensum, et assensum appositione nostri sigilli, de dicta exceptione, scilicet regis Bohemiae, et Ottonis Ducis Austriae praedictorum, ad ipsam per ipsos factam unionem Deo, & nobis gratam, et acceptam venientes, et attendentes eadem exceptione vacare dicte per ipsis adinate nove unionis, et per nos ratificate volumus nec valere, imo consideratione dicte communis, et paris unionis deinceps vires penitus non habere, denuo roboramus, innovamus, et confirmamus, ac dictis Dominis Ducibus, fratribus nostris, filiis et heredibus eorundem, heredumque suorum successoribus, ac Ducatibus, terris, et dominiis suis ad perpetuae dilectionis mutuae unionem, nec non pro commodiori, et tranquilliori statu regnorum, dominiorum, et terrarum hinc inde utriusque nostrarum, denuo simpliciter praestito, et etiam innovato super sacrosancta Dei evangelia, et salutiferae Crucis ligno, eodem corporali juramento, absque omni dolo, fraude, nequicia, iniquitate, et malicia perpetuo valere, tenere, indissolubiliter permanere, et conservare promittimus, et assumpsimus firmiter per praesentes nostras confirmatorias literas, nos et heredes nostri iteratis vicibus, non obstante ex-

Annus Christi 1337

ceptione de rege Bohemie, & Duce Ottone Austrie in literis originalibus, & confirmatoriis premotatis factis, quam nonem ponatus, ut supra scribitur, reputamus, omnia & singula in ipsis compositionibus habita, & contenta, rata, grata, & accepta prorsus, & per omnia habentes, obligamus inviolabiliter, & irrefragabiliter conservaturos.

Adjicientes insuper ipsis Dominis Ducibus, fratribus nostris, filiis, & heredibus eorundem, sub eisdem prefati Sacramenti vinculo firmiter assumpmimus praefatibus, nos, filios, & heredes nostros obligando: quod si & quospiam, seu aliqui profugi, proscripti, & fugitivi, ac generaliter quicunque infidelitatis maculà respersi cujuscunque status, & conditionis existant, de Ducatibus, dominiis, & terris, seu de quacunque parte eorundem causa exeuntes, & defensores ipsorum ad regna nostra, seu ad quascunque partes eorundem, aut dominorum, & provinciarum eorundem venerent, & confugerent, nullatenus eosdem recipere, recolligere, seu reassumpmere, nec eosdem hospitari, quomodolibet ipsis palam, vel occulte juvare, vel defendere contra ipsos Duces Austrie, & filios, ac heredes suos per quempiam nostrorum, seu ad nos pertinentium, cujuscunque honoris, dignitatis, preeminentie, status, & conditionis di- cti nostrates existant in dictis regnis nostris, dominiis, & terris, seu in quacunque parte eorum, vel eorum aliqua sub illis patienter sustinebimus, ac nullo modo permittemus, prout etiam hec idem in dictis originalibus compositionalibus literis nunc de ea confirmatis, generali expressione, licet non tam clara declaratione expressum habetur, atque continetur. In quorum omnium, & singulorum premissorum confirmationem, & corroborationis munimentum, firmitatem, & stabilitatem perpetuam presentes concessimus literas nostras, sigilli nostri appensione communitas in ratihabitionem omnium premissorum. Datum Posonii feria quarta proxima post Nativitatem beate Virginis anno Domini MCCCXXXVII.

Agitur quoque de permutandis castris, que utrique occupaverant.

Complanata hunc in modum lis videri potuit, cum repente ob Castrum Anchenstein, quod in Hungaria quidem situm, sed in Austriacorum potestatem belli temporibus venerat, nova controversia oborta est, Carolo vehementer adnitente, ut id sibi, ac regno redderetur. Assensere duces, si rex vicissim arcem Sverczenburg, cum captivos, quos procursionibus suis ex Austria abduxerat, manu missurum se reciperet. Rex voluntatem ducum ratam sine mora habuit, & ut novo beneficio Albertum sibi conciliaret, arcem quoque Pernstal bona fide, & sine impendio se praeterea adjecturum publicis tabulis pollicitus est (15).

Nos Karolus Dei gratia rex Hungarie significamus tenore presentium, quibus expedit, universis, memorie commendantes: Quod quia Excellentes Principes Domini Albertus, & Otto Duces Austrie, Styrie, & Karinthie, fratres nostri karissimi, nos de castro Anchenstayn in partibus Hungarie sito, in Ungarico Etruyl dicto, mediantibus literis fide firmatis eorundem certificarunt nobis, vel filiis nostris reddendo, & assignando, ipsis Ducibus vice versa fide nostra Deo debita mediante promittimus firmiter, & spondemus, quod eodem castro Anchenstayn per nos, aut filios nostros habito, & apprehenso, castrum Swerczenpach vocatum, si ad nostram potestatem devenerit, ut in literis eisdem, quas ab ipsis Ducibus habemus, exprimitur, eisdem Ducibus immediate, & sine more dispendio, dolo, vel ingenio, occasione, excusatione, subterfugiis, aut colore quibusvis penitus semotis reassignare, & restituere salvum & integrum cum redditibus, & prefatis nobis deputatis, nos presentibus obligamus, spondemus insuper, & promittimus predicto Deo, debita fide nostra, quod, quam cito castrum Anchenstayn memoratum, sive Scherczenpach prenotatum, nobis presentabitur, & assignabitur, sive cujuslibet medio intervallo temporis sequetur, quos ab ipsis habemus Ducibus, a sua captivitate oneribus liberi debent esse penitus, & soluti. Et nihilominus Castrum Perstal vocatum, ipsis absque dolo, fatiga, & labore integrum restituemus, & restitui omnimode faciemus eo facto. In cujus rei memoriam presentes concessimus litteras appensione sigilli nostri communitas. Datum Posonii feria quinta proxima post Nativitatem beate Virginis, anno Domini MCCCXXXVII.

Non nihil tamen praeterea molestiae adhaeserat, ob damna, quae multa Hungarus Bohe-

(15) Ex Tabul. Caes. Vienn. apud P. STEYERER S. J. eodem loco.

Bohemo conjunctus anno abhinc priori Austriæ intulerat, quæ quem in modum constitutis utrinque arbitris sublata sit, suo loco referetur.

Annus Christi 1338. Sponsio cum Carolo Moraviæ Marchione de successione jure in Polonicum transigit.

Verum Carolus majoribus curis implicitus hæc alteri tempori servavit. Hærebat animo superius regum conventus, in quo cum Casimirum magna in se voluntate significatione ferri comperisset, certumque accepisset argumentum, alterutrum filiorum, si improlis rex decederet, ad regnum Poloniæ evocatum iri, ne quis ad tam pinguem spem obex e Bohemia opponeretur, Carolum Moraviæ Marchionem per Legatos aggressus, facile eo pervenit, ut non modo, si id eveniret, prorsus non invitum se fore, sed ope præterea, & consilio adjuturum sponderet. Itaque pactorum tabulas, quibus mutuo utrinque fœdere illigarentur, consenpsere, jusjurandi fide communitas. Quas, quoniam res ad futurum annum narrandas non mediocriter illustrant, proferre e re annalium visum fuit. (16)

Transactionum tabulæ.

Nos Carolus Dei gratia rex Hungariæ, tenore præsentium, quibus expedit, significamus universis, & memoriæ commendamus. Quod cum nos ex nova parentela contractu inter Excellentem Principem, Dominum Carolum, inclyti Principis, Domini Joannis Bohemiæ regis primogenitum, Marchionem Moraviæ, heredes suos ab una, & nos, nostrosque filios parte ex altera, pro Domino Ludovico nostro primogenito, & ejus persona nunc inter, & firmato, exaltationem, & augmentum honoris ipsius Domini Caroli Marchionis, heredumque suorum, ut nostrum commodum proprium ad esse, e converso ipse nostrum, & heredum nostrorum, similiter ut suum proprium merito reputemus, quia nobis, nostrisque heredibus bona, & sincera fide promisit, sub virtute, ad sancta Dei Evangelia per eum præstiti juramenti, quod, si quandoque magnificum Principem, Dominum Casimirum regem Poloniæ absque heredibus masculis decedere contigerit ab hac vita, quod tunc pro suis viribus omnibus, & posse, nobis regi Hungariæ, nostrisque heredibus suum exhibebit, & præstabit auxilium, & juvamen, ut nos, nostrique heredes ipsum regnum Poloniæ, ex eo nobis debitum, seu tribuendum, suo adjuti subsidio assequamur, ut nostram deveniat in potestatem, ac pleno jure nostro vel heredum nostrorum regimini sit subjectum. Et quia etiam sub eodem præstito juramento nobis promisit, quod si ad cessionem prædicti Domini Casimiri absque herede ante consummationem matrimonii inter Dominum Ludovicum, nostrum primogenitum præfatum, & præcellentem virginem Dominam Margaritam filiam suam de novo firmatis, fieri contingat, non minus ad promissa obtinenda suum posse exponet, quibus jam ipsum matrimonium esset consummatum.

Nos e converso pro nobis, nostrisque filiis, & heredibus memoratis, sub virtute per nos sibi præstiti juramenti similiter promittimus, & sincera fide asserimus; quod si præfatus Dominus Casimirus rex Poloniæ, residentes, Principes, & Vasallos, Civitates, castra, homines, seu quæcunque jura suo genitori, & sibi, ac inclyto Principi Domino Joanni Duci Carinthiæ, ac fratri ejusdem Marchionis, in ipso regno Poloniæ, quod ipsi Duces, Principes, & Vasallos competentia, quibuscunque censeantur nominibus, sibi vendicare, & attrahere conarentur, ipsi forsitan Duces, & Vasallos regis Poloniæ, & Domini Marchionis, ac fratris sui prædicti, seu homines hostiliter invadendo, & si ab his conatibus ad diligentem requisitionem nostram, quam cum diligentia nos interponere promittimus, desistere non curarent, ex tunc nos præfato Domino Casimiro regi Poloniæ, heredibus, & successoribus ipsius adversum Duces, Vasallos, & homines prædictos nullum debemus dare auxilium, & juvamen.

Præterea nos pro nobis, & nostris heredibus ipsi Domino Marchioni, suisque heredibus, sub eodem fidei juramento sincere promittimus, quod, si processu temporis regnum Poloniæ, ut præmittitur, in nostram, aut successorum nostrum, vel nostrorum deveniret potestatem, quod tunc nos, vel nostri heredes dictos Duces, præfato Domino, Johanni regi Bohemiæ genitori ejusdem Marchionis, sibi, & suo fratri subjectos, civitatesque, castra, homines, & Vasallos, seu alia jura quæcunque ipsis Duci-

(16) Goldastus in Appendice Document.
Annal. Reg. Hung. Part III.

Anno Christi 1338.

Ducibus, Principibus, & Vasallis competentia in dicto regno Poloniæ, quibuscunque distinguantur nominibus, nobis, vel nostris hæredibus vendicare, usurpare, & attrahere non debeamus per nos, vel alio quovis ingenio, publice vel occulte imo, si saepe dicti Duces, Principes, & Vasalli, Civitates, castra, & homines memorati regis Bohemiæ, Marchionis, & fratris ejusdem prædicti, se nobis, aut nostris hæredibus regnum Poloniæ tunc habentibus, subjicere vellent, & appeterent eorum proprio voluntate, hos in Vasallos, & homines nostros acceptare, & recipere non debebimus, nec quidquam cum eis disponendo quoquo modo in eorundem regis Bohemiæ, ipsius Marchionis, ac fratris sui præjudicium, & gravamen hoc specialiter adjecto, quod nos, nostrique hæredes, nulli penitus Principum, seu hominum, cujuscunque conditionis existant, nostrum impendemus, seu exhibebimus auxilium, qui prædictos Duces, Principes, & Vasallos, Patronos ipsius Marchionis, & fratris sui, ab ipsis, & eorum potestate alienare quomodolibet attentarent, imo ipsos Dominum regem Bohemiæ, Marchionem & suum fratrem in juribus, in dictis Ducibus, Principibus, & Vasallis, ipsis competentibus favorabiliter prosequemur.

Hæc igitur omnia, & singula, & quælibet præmissorum, prout de verbo ad verbum præsentibus sunt inserta, sub virtute prius præstiti juramenti ad sancta Dei evangelia attendere, & custodire promittimus, & firmiter, ac inviolabiliter observare. In cujus rei gestæ memoriam, nostrum sigillum præsentibus duximus appendendum. Datum — in Wissegrad, Dominica invocavit, anno Domini MCCCXXXVIII. Hactenus pacta conventorum; ex quibus certi præterea redditur, Margaritam, quæ Caroli Marchionis primogenita erat, Ludovico desponsam fuisse, quod tamen matrimonium serius postea coaluisse, in loco memorabimus.

Dalmatæ novarum rerum cupidi ad fidem, & officium revocare frustra.

Dum alienus regnis, filio suo comparandis Carolus studet, novæ in Dalmatia factiones interim sunsere. Nelipitius comes Tinini, & Cetinæ interea, cum Carolus externis bellis occuparetur, dominatum clandestinis machinationibus in Dalmatia sibi parabat, ad quem cum se aliter eluctari non posse videret, quam si Breberienses comites, quorum potentia in immensum jam excreverat, opprimerentur, de conciliandis sibi Dalmatis, ac Croatis cogitabat. Et Croatiæ quidem optimates, tametsi fastum Breberiensium impatienter ferrent, tamen Nelipitii foederibus Caroli metu venti, accedere minime ausi sunt; Sibenicenses contra, Tragurini, ac Spalatenses inito pacto quadringentos pedites se daturos spondebant, si Nelipitius vicissim polliceretur, nihil se sive adversum Hungariæ regis, seu Venetorum ditionem commissurum esse. Hæc dum fiunt, Gregorius Corbaviensis comes Hungariæ clientelaris, metuens, ne seditionis malum Croatiam quoque, ac Sclavoniam corriperet, misso nuncio Carolum de periculo edocuit, fassusque haud aliter rebus consuli posse, quam si Pauli, defuncti Bani filios, ac Nepotes in gratiam receptos, Nelipitio opponeret: hos operam daturos, ut Tiniensis Comes, qui sibi occultis viis tyrannidem compararet, nullo regis impendio, facileque opprimeretur. Assensit postulatis Carolus, simulque ad Tragurienses, ne seditiosos re, aut consilio adjuvarent, scripsit. (17)

Carolus Dei gratia rex Hungariæ — fidelibus suis Rectoribus, judicibus, & toti communitati civitatis Tragurii salutem, & gratiam. Nullum dubium habemus, nec habemus de vobis, quoniam semper nostræ Majestati, & sacræ Coronæ regiæ cum omni fidelitate fuistis, & estis in præsenti, quoniam nostrum bonum pro vestra quiete, & vestro bono est, & e contra. Ob hoc velut nostros fideles dulciter rogamus, admonemus, & inducimus, quatenus nostris, rebellibus, & illis, qui nobis fideles non sunt, nec favore, nec consilio, & auxilio assistatis, specialiter eisdem nulli hospitalitatem facientes. Datum Wissegrad sabatho proximo ante Dominicam Reminiscere MCCCXXXVIII.

Ex Corbaviensis Comitis opera ad illatur.

His suas quoque literas Gregorius Comes ad Tragurienses adjecit, quibus mandatum sibi ab rege significat, ut Pauli Bani filios, nepotesque adversus quoscumque molitiones tueretur, &c, quo facilius cives a Nelipitii foederibus abstraheret, addit, Carolum primo quovis tempore in maritimas Dalmatiæ partibus affuturum, & turbarum caussas per sese cogniturum. (18) Literæ in hæc verba scriptæ sunt.

No-

(17) Apud Lucium lib. IV. Cap. XIV. (18) Ibid.

Nobilibus, & sapientibus viris D D - - - honorabilibus, Comiti, judicibus, & consiliariis Civitatis Traguriensis, amicis suis Carissimis, & tanquam fratribus peramandis, Gregorius Comes Corbaviae salutem, & prosperis successibus abundare. Ex adventu prospero nuncii nostri ad Dominum regem Hungariae, cum plena intentione, & literis gratiosis, nobis directis, multo nobiscum congaudere debetis: dedit enim nobis idem Dominus rex per suas literas in mandatis per nuntium nostrum, nobis ut fidelissimis sacrae regiae Majestatis ipsius literas destinare: habemus etiam ex praecepto, ut protectione, & favorabili affectu in adjutorium, & juvamen filiorum Pauli Bani, & nepotum ipsius, cum ipsi cupiunt gratiam, & concordiam invenire cum supra scripto Domino rege, asserens se omni dilatione postposita ad partes maritimas properare. Scriptum in Bichigio in Caena Domini feria quinta. Sed rex, ut confirmatum habebat, in Dalmatiam profectus Ruthenorum Duce adventu prohibitus est. Nomen illi *Lathko*, atque idem fortassis, cum quo crebras armorum collationes Carolo intercessisse alias a nobis narratum est. Advenerat lectissimorum equitum caterva stipatus Wissegradum, ubi a rege honorificentissime acceptus in Hungarorum se amicitiam, ac fide perpetuo mansurum data sponsione promisit, & non multo post, quam foedera icta fuissent, amplissimis muneribus donatus in Russiam rediit.

Tam profusae largitiones regem ad consilium haud satis laudabile, quodque Roma improbarat, adduxere, ut Ecclesias, & Praesules exactis vectigalibus ac tributis onerare, aliisque, quibus gloriam suam magnopere obscuratum ibat, agere non vereretur. Quae cum praeter regni consuetudinem fieri, neque modum licentiae poni viderent Episcopi, opem a sede Apostolica implorabant, & rei gravitatem libello supplici Benedicto Pontifici exposuere (19).

Significant sanctitati vestrae devoti, & humiles filii vestri episcopi Hungariae, & maxime ii ix eidem, qui de salute regia, & de bono statu regni, ac Ecclesiarum Dei, & vestrarum devotorum animarum, potiori vigilantia intendunt, in primis quod status ecclesiarum, libertatis, & privilegia, regni etiam immunitates, ac jura sub poenitus annullata, aut in excidio lethali constituta existunt. Tum prolixa oratione, quo loco res constitutae essent, magnaque libertate explicant. Regem e quo rerum potiretur, generales ordinum conventus vetare, in quibus regni status ex communi consultatione hactenus temperari consueverit: obturato hoc fonte, caetera omnia, quibus publica felicitas comprehenderetur, languere. Nobiles sine judiciorum ratione magistratu dejici: libertatum praerogativas, quibus Hungaria e sanctissimis regibus, Stephano, Ladislao, aliisque ornata fuisset, passim aboleri, tametsi rex sacramento spopondit, se ad praefinitum tempus eas in pristinum statum revocaturum. Quod cum jam effluxisset, adeo plerorumque animos exulceratos esse, ut metus sit, ne privatae injuriae dolor in apertam seditionem erumpat. Neque melius cum Episcopis agi, quorum auctoritas, quae quidem ex regni legibus maxima adhuc fuisset, ita obsoleverit, ut, cum res Dei, & suas agendas apud regem haberent, foedissimam repulsam patiantur. Si quem mori contingat, ejus bona, sive ecclesiastica, sive paterna essent, continuo a regiis ministris occupari, vixque relinqui tantum, quantum humando Praesulis corpori satis sit sive ad necessitatem, seu dignitatem. Atque eorundem ministrorum opera fieri, ut, si quis administrandae Ecclesiae admoveatur, ingentem vim auri pendere magno libertatis praejudicio debeat, quo fit, ut Ecclesiarum bona profanis hominibus oppignorata haud leve detrimentum capiant. Neque id inconsulto rege patrari, cum uterque Archiepiscopus ducentas, Episcopi ceterique quinquaginta argenti marcas ineunte quovis anno Xeniorum nomine offerre cogerentur. Juris autem rationem adeo ab aequitate defluxisse, ut profanis hominibus triginta annorum praescriptione contra Ecclesiasticos se tueri integrum sit; his contra ne centenariam quidem adversum illos patrocinari, nisi privilegiorum instrumenta exhibeant, quae tamen Tartarorum irruptione Belae temporibus aut flammis corrupta, aut hominum rapacitate sublata constet. Hac praerogativa cum privati essent, nihilominus ad signa militaria tam seculares, quam regulares Praesules jussu regio compelli, quae

 sequi

(19) RAYNALD. ad annum 1338.

Annus Christi 1338

Ruthenorum Ducem Visegradi splendide excipit.

Ab Episcopis Hungaricis ... porrecto libello supplici.

Praecipua hujus capita.

Anno Christi 1338.

sequi nisi Schismatici, cum in regnum irrupesint, inferrentur, officii ratio vetaret. Ex his Pontificem facile cogiturum, quæ Clericorum ratio, quorum & auctoritas, & dignitas inferior sit, haberetur, quos ad profanum tribunal rapere Judices passim soleant, sique in certo arbitrio ad liquidum damni non possit, ad singulare etiam certamen provocare, quod, cum ex Canonum lege detrectare juberentur, plerumque fieri, ut, tametsi jure superiores sint, ex aliorum libidine causa cadant. His, ut in principio indicavi, prolixe expositis, in hæc verba accusationem concludunt: *Unde, cum in præmissis, & in similibus, ad quem recurrere pro remedio salutari post divinum auxilium neminem habeant, possint, vel debeant, nisi profundam providentiam vestræ Clementissimæ Sanctitatis, formidantes ultra modum apud Dei judicium, & vestræ Sanctitatis examen districte redargui de taciturnitate, & tanta calamitate Ecclesiarum, & etiam animarum, ne præmissa in detrimentum Ecclesiarum vestrarum, & regni Hungariæ, quod semper devotum, & peculiare Sanctæ Romanæ Ecclesiæ extitit, per diuturnitatem ab aliis regni successoribus in exemplum trahi valeant, supplicant vestræ benignæ Sanctitati, quatenus Sancta vestræ celsitudine Sapientia, & justitia, quæ de vestra Sanctitate cum Dei laude per orbem prædicatur, de benignitate Sedis Apostolicæ præmissis dignetur compassivis visceribus misericordibus remedio succurrere opportuno, ita tamen pater sanctissime, quod propter relationem præmissorum, regia indignatio non possit invenire contra quem, vel quos ex his partibus, vel aliis quæ quoque modo debachari, quia aliter tam Prælati, quam multi inevitabiliter subjacerentur scandalo, & confusioni, aut periculo personali.*

Papa criminationis libellum ad regem transmittit.

Pontifex auditis Episcoporum querelis, sive miraretur, quod hactenus in re tam gravi siluissent, sive, cum respublica profana perinde in periculo esset, nemo tamen Optimatum quereretur, libellum supplicem, qui criminationum capita continebat, Carolo transmisit, ut, si veritate accusatio niteretur, emendaret: simul gravissimis verbis conscriptam epistolam addit, qua eum Majorum exemplis ad reverentiam Ecclesiæ præstandam adhortatur (20)

Carolo Regi Ungariæ.

Si diligenter attenderes fili Charissime gesta magnifica, & pia devotionis insignia, quibus progenitores tui, Catholici reges, & Principes regnorum Franciæ, Siciliæ, & Ungariæ, de quorum claro germine processisti, ad Deum, & Ecclesias reclinatione devotionis, & fidei claruerunt, easdem ecclesias, & personas ecclesiasticas, bona, & libertates earum sua potentiæ clypeo protegendo, easque in sive munificentia, erga illas immensitatem pro mensura potentiæ multis libertatibus ampliando, & commoda plurima, & immensa beneficia tibi misericordi, & miraculoso munere Dei collata, qui te ab olim ad regnum Ungariæ ad personam tuam jure hereditario devolutum, ab annis teneris sub aliorum tutela non tuta, & ambiguus Curatorum cura deductum, & inter manus extraneas, tanquam pupillam oculi salubriter custodivit, cujus gratia de virtute in virtutem proficiens, ac in virilis, & robustæ ætatis annis perveniens, regnum tuum in diversas partes multorum tyrannide laceratum, eodem tyrannis sola virtute divina sublatis, ad integrum, & solidum tuum dominium reduxisti, & de tuis hostibus paganis, & aliis per concessas tibi dextera divina victorias feliciter triumphasti, ut obitionem non duceres, sed ad nutus tua memoriam, ut teneris, frequentius revocares, zelus Domini, & Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum regni tui in te exardesceret velut ignis, & quid Domino retribueres pro omnibus, quæ retribuit ipse tibi, ut te ingratitudinis rubigo non tangeret, jugis meditationis studio cogitares.

Cum igitur, sicut multorum minus grata relatio ad Apostolatus nostri deduxit auditum, multa per te insolita, & damnosa gravamina Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis hactenus sint illata, & quasi in consuetudinem dispendiosam Ecclesiæ jam deducta, quæ dicenda est verius corruptela, continue inferantur, & per alios nobiles regni tui per dissimulationem, vel potentiam tuam, eisdem Ecclesiis, & personis in gravem divinæ majestatis offensam, similia irrogentur, ex quibus, si vera sint, regem regum, & Dominum ultionum contra te, & domum tuam graviter provocari dubium non existat, nos

præ-

(20) RAYNALD. ad annum 1338 Num. 24.

pravissis, si veritati nitantur, quæ in tuæ salutis periculum, & famæ dispendium redundare noscuntur, saltem consentiendo nequeuntes conniventibus oculis pertransire, quin illa patentis ante oculos mentis tuæ prout ad apostolicæ servitutis spectat officium, paternis objurgationibus arguere studeamus. Tum precibus imperia quoque miscens, regem obtestatur, ut injurias, quas Ecclesiis intulisse ferebatur, offensum Numen conciliare sibi ne intermittat. *Datum Avinione XII. Kalendas Augusti, anno IV.*

Anno Christi 1338.

Quem finem accusatio acceperit, non constat: neque omnibus illius capitibus fidem a Pontifice adhibitam esse ex literis, quas paullum ante adduximus, perspicuum quoque est. Certe, si non vane conjectamus, magnam partem criminationis exaucťam fuisse facile conficitur; quod Pontifex in principio sequentis anni Carolum rursus literis convenerit, in quibus cum ejus in Deum, ac Dei Matrem Virginem singulare pietatis studium collaudet, veniamque faciat, ut certam precum summam, quam Deiparæ se quot diebus persoluturum voto spoponderat, reipublicæ causa in arctiorem numerum contraheret, verisimile est, accusationem aut non omni ex parte veritati innixam fuisse, aut in principio sic sopitam, ut Pontifex de Carolo optima quævis sibi polliceretur. Ne conjecturæ id solum quis a me tribui existimet, testes literas, quod magnam partem ad profanos etiam annales attinent, afferre libuit. (1)

1339. Exaggerata videtur fuisse magnam partem accusatio.

Charissimo in Christo filio Carolo, Regi Ungariæ illustri.

Paternæ Charitatis affectu, quo tuæ celsitudinis personam velamur in Domino Jesu Christo, prosperi tui status diligentes augmentum, tuique regni tranquillitatem assiduam affectantes, petitiones tuas, quas ex intentione devotæ pietatis prodire perpendimus, libenter audivimus, & favorabiliter exaudimus. Sane sicut expositio nobis tuarum literarum series indicavit, tu jam dudum tempore, quo in puerili quasi constitutus ætate, cum ad regnum Ungariæ, quod Magnates ipsius, tunc a recto devii justitiæ inter sese diviserant, & tenebant, ductus fuisses, considerans te in recuperatione dicti regni, & ejus regimine assequendo auxilio divino fore usum, cujusque suffragante gratia satagens cum ob hoc, tum etiam, ut ipsorum Magnatum, tunc temporis tibi parere non curantium astutias & insidias sine tuo periculo personali evadere posses, diversis temporibus, & votibus Deo vivo, & vero, ac Beatissimæ Virgini Mariæ, genitrici suæ, ipsiusque Sanctis voto emissis devota de dicendis orationes dominica, & angelica salutationis ad dictam Virginem, ac legendo antiphonam, Salve Regina, quæ quidem oratio, & salutatio certis diebus ad centenum, & quibusdam aliis similiter diebus ad ducentenum jam numerus pervenerunt, certis etiam lectionibus de eadem antiphona adjunctis eisdem, unde cum ex repetitione frequenti, seu quotidiana orationes, salutationes, lectiones, antiphonæ, aliarumque lectionum præfatarum instantia te consiliis, & negotiis ejusdem regni, ac terrarum tuarum, & aliis in eorum regimine, atque justitia ministranda impediaris multipliciter, ac etiam occuperis, nobis devote, ac humiliter supplicasti, ut vota hujusmodi commutare, teque super eis alleviare juxta circumspectionis apostolicæ providentiam dignaremur.

Quod Pontifex a pietate studio regem collaudavit.

Quamvis igitur ferventibus studiis amplectamur opera pietatis, ea tamen cum sint ratione mensura, de ratione, & ex potestate nobis coelitus elargita in alia etiam pia compendia possumus commutare. Quare tuis devotis supplicationibus inclinati, frequentiam, & quotidianam instantiam hujusmodi orationum, & salutationum præfatarum dictis diebus ad quindenum numerum restringimus, & etiam limitamus, & ab ulteriori, & numerosiori earum absque, diurno, vel nocturno auctoritate apostolica te absolvimus, tecumque super hoc dispensamus de gratia speciali. Volumus autem, quod illis diebus, quibus te per votum obligasti ad dicendum orationes, & salutationes præfatas, ultra quinquagesimum numerum, duodecim pauperes præter illos, quos communiter consuevisti benigne reficere, vel pascere, seu illis refectionem divinæ pietatis amabilem impendere tenearis - - - Datum Avinione XVI Kalendas Februarii, anno V. Haec si quis cum criminatione anni prioris contendat, facile judicium conficiet, aut resipuisse regem, aut non rite accusationem adornatam fuisse.

Dum

(1) RAYNALD. ad annum 1339.

Anno Christi 1339. Jus successionis Polonicae ad Carolum, & ejus filios transfertur.

Dum haec in Hungaria fiunt, Casimirus Poloniae rex, quod filiam solum superstitem haberet, neque spes esset, ut haeredem ex Anna uxore susciperet, Cracoviam ad VIII. idus Maji optimatibus comitia indixit, in quibus de regni successore deliberatio institueretur. Re in consultationem proposita varias sententias, ut quis commodorum, aut spei ratione ducebatur, certatum est. Fuere qui Zemovitum, aut Januslium Massovienses Duces eo honore dignos censerent, alii Uladislaum Ducem Oppoliensem malebant, quorum nemo esset, qui non e vetusta Poloniae regum prosapia incunabula accepisset. Casimirus cognita suorum voluntate, & collaudato studio, quo in rem publicam ferrentur, senatorum opinionem refellere aggressus, Oppoliensem quidem omnium, quos in Candidatorum numero locassent, dignissimum affirmabat videri, qui ab suo obitu rerum poiretur, sed quo minus eorum sententiae subscriberet, crebras illius ad Bohemum defectiones in causa esse, dedisseque nuper adeo versatilis in omnem partem animi argumentum, dum ejus machinatione jura in Silesiam renunciare ingratus coactus esset. Massoviensium autem ne meminisse quidem illos oportere, qui a multo tempore stipendiarii essent, id neque ad Polonorum gloriam, neque ad regni dignitatem quidquam momenti allaturum, si feudi jure obnoxius liberis dominaretur. Sibi, nisi aliud malint, hanc sententiam sedere, ut ex Caroli regis Hungariae filiis, Ludovicum, aut Stephanum accersant, juvenes ingentium virtutum, & animorum, quive, cum ex Polona Matre sanguinem hauserint, amplificaturi regni majestatem essent, neque defuturas illis Hungarorum opes, quibus Poloniae fines non modo adversum hostes defendant, sed amplissimis etiam accessionibus proferant. Pervicit rex cum auctoritate sua, tum commodorum, quae illhic regno obventura videbant, ratione, ut omnium sententiae in Carolum Hungariae regem, sororis suae virum, ejusque filios inclinarent. (2)

Eam ob causam Poloniae liberalitate in Hungaria habet.

Casimirus re, ut optabat, confecta, dimissoque Conventu mox in Hungariam cum splendidissimo Procerum, ac equitum comitatu profectus, Wissegradi Carolum convenit. Rex, cum primum in propinqua Polonum esse intellexit, ut affinem suum pro dignitate acciperet, eum frequentissima omnium Hungariae Antistitum, ac optimatum Corona obviam progressus venientem summa amoris significatione salutavit, paucisque post diebus, quod caussam adventus non ignoraret, habito utriusque regni Principum Concilio regem publico honore exornavit. Hic Casimirus, cujus rei gratia adesset, palam disserit, ac orbitatem caussatus Ludovicum ex sorore nepotem, Caroli primogenitum in filium cooptavit, regnique ab suo obitu haeredem constituit. Id aspectantibus Poloniae proceribus, & voluntatem Casimiri ratam habentibus, patratum, ac deinde in tabulas relatum est. Carolus ea beneficentia mirum in modum recreatus regem, ac Poloniae Principes omni officiorum genere, & muneribus excultos ab se dimisit.

1340. Adversus Bosnenses haereticos a Pontifice stimulatur.

A profanis curis ad sacras conversus rex, Geraldum, qui Minoritis summa potestate praefuit, ad Stephanum Bosniae Banum Pontificis hortatu miserat, ut huic adversum Patarenos consilio suo adesset. Acceptus est a Stephano liberaliter, facileque se in Ecclesiae Romanae arbitrata futurum, ac Patarenos e regno ejecturum pollicitus est, dum a schismaticis, qui & finitimi, & eam regni conversionem haud multum laturi essent, periculum ne ingrueret: tamen, ne mala fide secum agi Papa existimare posset, operam daturum se, si Hungariae rex subsidiarum militem sibi mitteret, ut ea hominum colluvies, quae Bosniam erroribus suis fere totam inquinasset, ex ditionibus suis penitus eliminaretur. Quod ubi Benedicto Pontifici nunciatum est, Carolum per litteras vehementer orabat, ut reliquis triumphis, quos ex fidei hostibus adhuc egisset, gloriam quoque restitutae in Bosnia religionis adjiceret. (3) Cum (inquit) *sit ad magnum gloriam tuam, & firmitatem regni tui cedere dignoscatur, si de praefata terra Bosnensi dicti haeretici tuo ad hoc suffragante praesidio exstirpentur, serenitatem regiam rogamus, requirimus, & hortamur attente, tibi in remissionem peccaminum injungentes, quatenus divinae retributionis intuitu, & requisitionis Apostolicae interventu eidem Bano omnibus modis, viis, & sin-*

(2) Cromerus rer. Polonic. Lib. XII. (3) Raynald. ad annum 1340.

studiis, & consiliis, & auxiliis opportunis, quibus melius cognoveris expedire prudenter, & potenter assistas; ut idem Banus de terra præfata possit evellere præfatam jam antiquam in ea contagionem hæreticæ pravitatis, & in ipsam reducere divinum cultum, & ecclesias exinde destructas in statum pristinum ad laudem divini nominis restaurare, ita, quod exinde præmium consequaris retributionis æternæ, & regno tuo ex reductione dictæ terræ ad lucem Catholicæ veritatis proveniet, & incrementum pacis, & securitatis augmentum. Datum Avenione II. Kalendas Martii, anno VI. Nec dubitem, Carolum pro suo in Ecclesiam studio, Pontificis voluntati cæteroquin morem gessisse. Sed de Stephano crebrius deinceps recurret narratio.

Annus Christi 1341

1341 Nova cum Austriacis lites

Interea novæ rursum controversiæ occasio cum Alberto Austriæ Duce oborta est, qui, tametsi semel, atque iterum fœdus cum eo pepigisset, & publicis, ut alias narratum est, firmasset tabulis, tamen damnorum causa, quæ mutuis procursionibus illata erant, prope ad rescindenda pacta animum adjecit. Neque enim fieri hæc a se oportere, quod Austriaci vicissim infestis signis Hungariæ partem percursassent, Carolus contendebat, Albertus contra, tametsi id non diffiteretur, pro injuriarum tamen compensatione, nisi damnorum ratio utrinque contendatur, ab se acceptum iri diserte negabat. Hæc litium origo exstitit, ex quibus ne novum rursus bellum recrudesceret, Carolus Marchio Moraviæ, qui priorum quoque fœderum auctor erat, regem Hungariæ Posonii convenit, & publicæ tranquillitatis causa exoratum, facile illo adduxit, ut constitutis utrinque arbitris controversiam dirimi pateretur. (4) Quin ne planiora omnia essent, neque amicitia novis querimoniis interrumpi posset, editis literis arbitrorum judicio standum se recepit. (5)

Nova pactorum conventiones dirimuntur

Nos Karolus Dei gratia Rex Hungarie, memorie commendantes tenore presencium profitemur. Quod amicabilem, & fraternam confederacionem habentes de puritate unionis, & amicicie inter magnificum Principem, Ducem Albertum Austrie, fratrem nostrum Karissimum, & nos fraternis observanda, nec non pro pace, terrarum nostrarum tranquillitate, utrinque firmiter, & indissolubiliter conservanda, disposuimus mutuo super dampnis, injuriis, hinc inde terris, & hominibus nostris alterutrum hucusque illatis, & aliis factis, & illatis, amicabiliter concordare hoc modo, quod frater noster, Austrie Dux tres, videlicet Venerabilem in Christo Patrem, Dominum Petrum, Episcopum Syrmiensem, Thomam Vayvodam Transilvanum, & Comitem Paulum de Merkenstorff, de nostris Consiliariis recepit, & elegit, quod si quis illorum trium interesse non poterit, eidem loco Comitem Nicolaum, filium Salan, Comitem de Turuch (6) *assumpsit. nos vero similiter de consiliariis dicti fratris nostri, Austrie Ducis etiam tres, videlicet Comitem Ludwicum de Otting, Comitem Ulricum de Phanberche, Ulricum de Pergow recepimus, & elegimus pro nostri parte, quod si eorum illorum aliquis interesse non posset, Comitem Chunradum de Schomberch loco assumpsimus ejusdem.*

Quibus prenominatis modo premisso una cum fratre nostro karissimo Duce Austrie pro nostri parte plenam dedimus, & presentibus damus potestatem, injurias, dampna, nobis, ac fratri nostro Duci Austrie, nec non terris, & hominibus nostris hinc inde facta audiendi, cognoscendi, arbitrandi, ac diffiniendi, quemadmodum ipsis visum fuerit expediens, sic tamen, ut injurie, ac dampna fratri nostro predicto, nobisque specialiter facta, pro aliis dampnis, ac injuriis decidantur, & ad hoc exsequendum nos una cum fratre nostro Austrie Duce predicto, prefatis personis terminum conveniendi prefiximus ad medium XLanam proxime venturam, scilicet, ut predicti tres per dictum fratrem nostrum Ducem de nostris consiliariis recepti in predicto termino venire debeant in Civitatem nostram Posonium, alii vero tres de Consiliariis fratris nostri per nos recepti ad terminum prescriptum Haymburgam venire debeant, & in ipsis de loco communi, ipsis ad conveniendum competenti, inter premis-

G

(4) Chronicis in Commentario vitæ sue pag. 104.
(5) Ex Tabular. Cæs. Vienn. apud P. Steyerer S. J. loco sæpe laudato.
(6) Opinor legendum esse Turocz.

Anno Christi 1341.

deant, & concordent, ubi partes eadem, injurias utrinque, damnaque præsentes, & læsis, ac dampnificatis satisfactionem, & emendam debitam faciant de illatis. Ratum, gratum, ac firmum habere volentes ex parte nostri cum effectu quidquid per prædictos sex ordinatum, arbitratum, vel definitum fuerit in præmissis. Dantes has præsentes sigilli nostri munimine roboratas, in robur, & testimonium eorundem super eo. Datum in Civitate nostra Posonii in die Beati Briccii Episcopi, anno MCCCXLI. Quo judicio arbitri litem diremerint, a nemine consignatum reperio. Credibile est, mutua damnorum compensatione amicitiam in solidum confirmatam fuisse, quod controversiam hanc nusquam deinceps suscitatam ullus scriptorum, quod sciam, commemoret.

1342. Rem monetariam publicis Comitiis reformat.

Redintegrato cum Austriacis fœdere ingenti animo rem monetariam complexus, publicæ fidei, ac regno consultum ibat, quod neque præfecti ærario satis curate illius rationem administrarent, & pecuniæ aliunde regno invectæ, quarum pretium neque satis præscriptum, neque ubique idem esset, ingentes in rerum publicarum tractatione difficultates, ac damna peperissent. Quibus ut caveret, habita cum Optimatibus frequenti consultatione, diploma, quo quem in modum rem pecuniariam universe per regnum constitutam vellet, prolixe, ac minutim explicat, in hæc verba vulgavit. (7)

Nos Carolus Dei gratia rex Hungariæ, memoriæ commendantes tenore præsentium significamus, quibus expedit, universis. Quod nos Prælatorum, & Baronum nostrorum voto unanimi, & de consilio eorundem, consideratis fidelitatibus, & industriosis virtutibus Magistri Ipoliti Castellani de Arva, fidelis nostri, Comitatum Cameræ nostræ de Kremnycz, cum omnibus Comitatibus, Districtibus, villis, Oppidis, qui, & quæ ab antiquo ad eandem Cameram nostram dignoscuntur pertinuisse, scilicet, cum Comitatibus Nitriensi, Neveradiensi, Bosiensi, Posoniensi, Hontensi, Trencheniensi, de Zolyom, de Pesth, & de Komaron ex alia parte danubii, scilicet a Posoniensi, & Bachiensi, partibus situatis, eidem Magistro Ipolito, pro octingentis marcis, partim in florenis, seu aureis denarus, Camera nostra ejusdem cusis, & cudendis, partim vero cum integris Cameræ nostræ monetis, annorum præteriti, tertii, & quarti, & præsentis per totum regnum uniformiter discurrendis ad modum anni præteritis tam per ipsum, quam per alios regni nostri Camerarios amplius dis, nobis in terminis infra scriptis persolvendis anno Domini millesimo, trecentesimo, quadragesimo secundo, a data præsentium per anni circulum, simul cum decimis archiepiscopalibus, dedimus iterato, & locavimus ad exercendum, procurandum, & tenendum isto modo. Tum constituit Archiepiscopo Strigoniensi, Magistro Tavernicorum, Comite itidem Parochiano, ac Nobilium Judice, qui ne qua fraus irrepat, diligenter viderent, pondus, pretium, normam, ac modulum feriundi argenti præscribit, Viennensis, ac Bohemici æris usum antiquat, depravatoribus monetarum mulctam scribit, ac in falsarios gravissimis pœnis animadverti jubet. His in hunc modum finitis ita pergit: *Ut autem idem Comes Cameræ memoratam summam pecuniæ obligatarum marcarum nobis facilius solvere possit, eidemque decrevimus, ut in octavis festi Nativitatis beati Joannis Baptistæ ducentas marcas, item in octavis Nativitatis Beatæ Virginis iterum ducentas marcas, & inde simili ducentas marcas in octavis beati Martini Confessoris, residuas vero ducentas marcas in octavis dicti festi Nativitatis Beati Joannis proximum solutionem faciendo, in terminis se se invicem subsequentibus nunc venturis, hic in Wissegrad cum monetis gravatis, modo præmisso nobis tenebitur, poenam dupli incurret, si aliquem terminorum præmissorum obmiserit infestatum. Datum in Wissegrad in festo Purificationis Virginis gloriosæ anno supradicto, videlicet millesimo, trecentesimo, quadragesimo secundo.*

Fatalem post rebus humanis eximitur

Hæc tametsi ad instaurandam rempublicam magnis curis a Carolo constituta sint, curarum tamen suarum fructu uti non potuit, quintum post mensem XVII Calendas Augusti letali febre correptus, & præter omnium exspectationem exstinctus. Cum primum mortis fama per regnum increbuit, *tantus omnes,* ut scribit Bonfinius (8), *mæror incessit, ut publico planctu quateretur Hungaria.*

Ante-

(7) Habetur in corpore juris patrii.
(8) Dec. II. Lib. IX.

Antistites, Proceres, populus, ac nobiles juxta hoc dolor omnes afficit, nemo fuit ex Hungariæ finitimisque, ad cujus animum mœror iste non penetrarit. Præsertim Elisabetha, Ludovicus, ac Stephanus, ad quos propius dolor attinebat, ejus obitum effusum deplorarunt, exoctis undique Pontificibus, regulis Optimatibus, & Collegiis Sacerdotum: corpus editiore thalamo resupinatum, cui trabea coccina, gemmatum diadema, item ensis, aureaque calcaria, ac cetera regia insignia aderant. Ad præstitutum exequiarum diem ex urbibus, & pagis innumera multitudo convenit, profusi tot gentium ululatu omnia resonabant, funus ad divæ Virginis ædem elatum, omnes ordines pulla veste funus honestarunt. Peractis rite sacris, postridie bucentauro imposuere, ac secundo amne Budam cum maxima Comitatum classe delabitur: instaurata ibi exequiæ. Postero die Albam effertur; quæcunque vicos, & oppida tangebat, viri cum mulieribus fusis crinibus occurrere, redintegrare funus, & ad continuandum luctum fessam multitudinem irritare. In itinere Laurentius, unus e Proceribus, Sclavonica gente natus, vir spectatæ virtutis, ac roboris, ejus quondam vexillarius, signa ante funus regia passim prætulit: processere tres equites cataphracti, purpura, gemmis, auroque conspicui, qui ejus arma præferebant. Struthione pro aquila, Carolus usus est. Hi dominum exstinctum passim ingeminare, pia ceteros necta ad luctum provocare. Demum in divini Stephani basilica corpus palam reconditum: ubi satis superque conclamatum est, gemmata arma, vestes, vasa aurea, ac ingens donativum templo affixum. Insequenti mense Casimirus e Polonis, ac Joannes Moraviæ regulus (9), & Caroli imperatoris frater, Vissegradum cum honestissima nobilium, Pontificumque turba convenere, funus plenissime instaurarunt, & Albam deinde profecti Carolo rite parentarunt, ac se regi justa persolvisse rati, reginam, item Ludovicum, ac Stephanum dolentissime consolati sunt. In Caroli funere Csanadinum Strigoniensem metropolitam, ornatissimam de laudibus ejus orationem habuisse ferunt, qua maximum lacrimarum profluvium exhausisse dicitur. Hæc Bonfinius.

Annus Christi 1342.

Luctus, quo Hungaria ob regis mortem contabuerat, ad reliquas quoque Europæ partes, imprimis Galliam, & Austriam pertinuit. Pontifex Avinione, Albertus Austriæ Dux, cum in Carinthia reipublicæ causa moraretur, cognita Caroli morte honorificentissimas exequias habuere (10). Fuit Carolus, si quis alius regum, optime de Hungaria meritus, qui regnum inde ab Stephani V. temporibus partim domestico factionum studio, partim hostium incursionibus pene in ruinam collapsum, magna felicitate discriminis eripuerit. Tanto majore omnium dolore elatus, quanto minori amore ad solium a plerisque acceptus immortalem apud Hungaros rerum gestarum memoriam consequi poterat, nisi Ludovicum filium reliquisset.

Hungariæ ob regis mortem luctus ad exteros quoque gentes.

(9) Hoc loco error subest. Nam Carolus tunc primum sequente Cæsar electus est: deinde Joannes, cujus Bonfinius meminit, pater Caroli, ac Bohemiæ rex dicendus erat, nam Joannes Caroli frater, ducta Margaretha Maultascha Comes Tyrolis & Dux Carinthiæ fuit, serius postea Moraviæ præfectus.

(10) Chron. MS. Biblioth. Trautmanst. Lib. VI. cap. 10. pag. 438

LIBER II.

LUDOVICUS I.

Anno Christi 1342. Ludovicus admotus regno.

Moerore, qui a Caroli morte omnium animis insederat, nondum absterso, Ludovicus decimum, ac septimum aetatis annum jam ingressus a Csanadino Singonensi Archiepiscopo ingenti omnium acclamatione rex ex more inauguratus est, pompam Elisabetha matre, Villermo Palatino, Thoma Transilvaniae Vayvoda, ceterisque Hungariae optimatibus, ac Episcopis plerisque cohonestantibus, (11) feruntque neminem unquam tot favoribus, & tam alacri omnium ordinum consensu regem creatum esse, quasi, quod tergiversatione olim in patrem peccatum fuit, celeritate eligendi in filio sarcire voluerint. Fuitque tanta universorum de Ludovico concepta exspectatio, ut, cum optimas quasque Hungarici, ac Gallici sanguinis dotes junxisse visus esset, ex juventutis alacritate, quam mira morum gravitate temperabat, regnum non modo adversum hostes fortiter defensum iri, sed magnis praeterea incrementis auctum ad summum gloriae fastigium evehendum sibi pollicerentur.

Saxones domat & Valachos in fidem recipit.

Neque vanas suorum fuisse spes, continuo, ut regnum adierat, domitis Saxonibus, & Valachis pacatis ostendit. Saxones quos ab Geisae II. temporibus eam Transilvaniae partem, quae Valachiae finitima est, coluisse narravimus, ab Caroli excessu rerum novitate freti, contemtaque successoris adolescentia defectionem moliebantur, interceptisque regiis vectigalibus obedientiam aperta seditione detrectabant. Ludovicus seditiosorum perfidiam in principio niciscendam ratus, habito per regnum delectu magnis itineribus ingentem Procerum, ac militum copiam secum trahens in Transilvaniam movet, captisque primo impetu oppidis plerisque, quae in factiosorum potestate erant, Saxonum contumaciam fregit. Sumta ex perfidiae auctoribus poena, ceteris, quod magis ex aliorum arbitrio, quam sua voluntate peccassent, magna facilitate veniam perfidiae fecit. Valuit clementiae exemplum ad Valachos, quorum Vayvoda, idem Bazarabus, qui Carolum dolo pene interceperat, audita Ludovici magnanimitate in Transilvaniam magna suorum stipatus caterva ad regem adiit, oblatisque mille auri libris, se in ejus clientela perpetuo futurum pollicitus est. Ludovicus accepto in fidem Bazarabo, patrisque errorem facilitate sua corrigens in Hungariam reverti, magnam non domi modo, sed apud exteros quoque a profligatis Saxonibus gloriam consecutus. (12)

1343. Roberto Siciliae rege defuncto, Pontifex Andream, & Joannam ab regni administratione excludit.

Reduci tristissimus ex Italia nuncius affertur, Robertum Siciliae regem fato defunctum, & regnum domesticis turbis permisceri. Cum enim Joanna, & Andreas, ad quos constituto jam matrimonio haereditas attinebat, nondum illius aetatis essent, ut rempublicam per se capesserent, Robertus ultima voluntate regni administrationem in Sanciam Conjugem, Philippum de Sanguineto, Gaufridum de Marsano, & Carolum Comitem Artusium, viros huic muneri haud impares traduxit, quoad Joanna vigesimum quintum aetatis annum attingeret. At illa auctoritatem suam tam arctis limitibus circumscribi aegre ferens, juvenili levitate, spretisque, quos sibi avus consiliorum arbitros constituerat, viris, regni jura non tam administrabat, quam pessumdabat. Quae, ubi Clemens ejus nominis VI. Pontifex Maximus intellexit, quod regnum Siciliae Carolo I. fiduciario jure sedes Apostolica credidisset, administrationem ad se attinere ratus, antiquatis omnibus, quae Robertus ultima voluntate sanxerat, Aymericum Cardinalem S. Martini in mon-

(11) Chronicon. Budense.
(12) Joannes Archi Diaconus de Kikulew, qui se Ludovici secretarium Notarium fuisse perhibet, itaque rerum fere omnium, quas Ludovicus gessisset, spectatorem, & confcium, Cap. II. & III. Tom. I. scriptor. rerum Hungar.

Anno Christi 1343

montibus publico diplomate regni procuratorem, quoad Joanna adolesceret, constituit. (13) Ea res miram animorum conversionem excivit, plerique Procerum, qui ferox Joannæ ingenium sua prudentia temperare debuerant, ejus levitati aperte faventibus, ut adeo novis edictis detrectantem ad officium revocare Pontifex cogeretur.

Neapolitanorum Procerum in Andream conspiratio.

Accessit malo publico domesticum, quod Joanna seu jam tum novos amores meditaretur, seu aliam ob causam viri consuetudinem pertæsa esset, ab Andrea sensim abhorreret: quo cognito magna Optimatum pars, ut Joannæ favores captaret, feminam, & juvenem in sententia apertis studiis confirmarunt. Juvat rem, quoniam primus hinc ad Andreæ cædem gradus factus est, ab ipso capite ordiri. Erat Pipinus, Altamuræ Palatinus magno apud Andream gratiæ loco, qui juvenis facilitate abusus, ut erat ingenium fortunarum & intolerabilis fastus vir, regni Optimates despicatui habebat. Hinc prima in Andream odiorum causa: collatis enim inter se consiliis Proceres Palatinum e medio tollendum censuere, neque ab Andrea, si hominem fastuosissimum porro fovere pergeret, manus se abstenturos, firmato inter se fœdere conspirarunt. Dominicus de Gravina, rerum, quæ tum gestæ sunt, spectator, & ex quo res Neapolitanas, quantum ad annales nostros attinebunt, deinceps depromemus, conjurationem in hæc verba complexus est. (14) *Invidi vero Palatini - - videntes inimicum suum tanto dicti Ducis* (Andreæ) *favore fulcitum, ira & furore fervidi, cum majores regni Magnates essent, habito consilio, & uno corde facti cum regina præfata, uxore sua* (Joanna) *Carolo Artus, Comite S. Severini, Comite Meleti, Comite Amirato, Comite Terlitii, Comite S. Angeli, Domino Roberto de S. Severino, Domino Raymundo de Baucio, Comite Catanzari, & fratribus pluribusque aliis regni Baronibus, & Magnatibus cogitaverunt destruere Palatinum, & Ducem etiam, si eum ultra vellet fovere. Consilio dato dictæ reginæ, statum dicti regni frontibus revolventes viro suo præfato, dictorum amatorum viri consilia adhærebat, semper existens cum eo ad lites - - ad tantum itaque suum reduxerat virum suum prædictum* (Andream) *ut vix posset sine licentia reginæ suam facere sibi Rubbam -*

Is fratrem de re edocet.

Andreas uxorium pertæsus imperium, diu multumque cum Hungaris, quos illi a patre relictos narravimus, consultabat, quem in modum periculo se expediret, & auctoritatem apud Conjugem, quam factiosorum consiliis alienum ab se animum præferre perspicuum erat, constabiliret. Carolus dux Dyrrachinus, quem consultationi interesse Andreas voluit, nihil aperta vi tentandum ratus, auctor ei fuit, ut missis in Hungariam Legatis, matrem Elisabetham, ac Ludovicum fratrem, de re edoceret, qui, quid facto opus sit, optime consulturi viderentur. In hanc sententiam itum ab omnibus est, missique Legati, qui, quo loco res Andreæ in Italia essent, ad regem perferrent. (15)

Ludovicus matrem propterea in Italiam destinat.

Incredibile dictu est, quam graviter eo nuncio Ludovicus sauciatus fit, qui alioquin Caroli Dyrrachini causa, haud satis æquo animo in Italos erat, quod is Talayrandi S. Petri ad vincula Presbyteri Cardinalis, avunculi sui opera Mariam Joannæ sororem sibi malo dolo surreptam matrimonio copularit. Sed dissimulanda hæc & regni, & fratris causa fuere, cui, ut opem in tempore ferret, matrem Elisabetham orabat, ut arrepto in Italiam itinere pro sua prudentia collapsis Andreæ rebus consuleret. Scripsit in eum finem ad Jadrenses, petitque, ut pro vetere in Hungaros amicitia duas triremes Segniam mitterent, quibus regina, cui necessarium in Italiam iter faciendum erat, in Apuliam commode trajicere posset. (16)

Eamque duorum triremium a Jadrensibus petit & impetrat.

Ludovicus rex Hungariæ - - dilectis fidi, Comiti, Judicibus, & Communi Civitatis Jadræ salutem, & omne bonum. Noverit bonitas vestra, quod Serenissima Principissa, Domina, & Dei gratia regina Hungariæ, genitrix nostra carissima ad

(13) Exstat id Diploma apud Raynaldum ad annum 1343. Num. 75.

(14) Apud MURATORIUM Tom. XII. Script. rerum Italic.

(15) Dominicus de GRAVINA in Chron.

(16) LUCIUS Lib. IV. Cap. XV.

Anno Christi 1343

ad visitandam Dominam Joannam eorundem regnorum reginam - - suam Consortem in Apulia transfretare proposuit: cum igitur pro transfretatione ipsius, & gentis suæ, galeæ & vasa, seu ligna - - (desunt) bene armata, bonitatem vestram petimus diligentia, qua majori poteritis, quatenus ex parte vestra duas galeas, quas habetis, & ligna, seu vasa nobis accomodare, seu imprestare, Segnam transmittere dominæ genitrici nostræ, pro transfretatione sua, & gentis suæ velitis, & placeat bonitati vestræ istud facere sine mora. Nam ecce ipsa Domina regina genitrix nostra, sub spe firma galearum, & vasorum prædictorum per vos mittendorum, arripuit iter suum in Segnam, & difficile est tam cum dominabus in sua societate comitibus, in maritima, exspectando galeas, & vasa, diutius commorari. Datum in Vissegrad die XV mensis Maji. Jadrenses lectis in senatu literis magna promtitudine se amicissimi regis voluntati morem gesturos rescripsere. Elisabetha cognito Jadrensium in se studio, partim filii fortunam miserata, partim visendæ Romæ, cujus desiderio dudum antea tenebatur, spe illecta facile precibus Ladovici detulit, ac itinere, Nicolao Palatino, Paulo Comite Curiæ regiæ, Thoma Ruso, Fratre Vito Episcopo Nitriensi, magnoque equestris ordinis comitatu stipata se accinxit, ingentes secum thesauros vehens, ex quibus & viarum impendia, & donativa constitueret. Argenti enim puri viginti septem, auri septemdecim millia marcarum, præter æs in quotidianos usus necessarium, Italiæ invexisse fertur. (17)

Elisabetha in Apuliam trajicit

Ubi emensis Sclavonia, ac Croatia, Dalmatiam tenuit, Jadrensium navibus in Apuliam traducta Andream cum Joanna, quæ officii magis, quam amoris causa occurrerat, & plerosque Proceres obvios habuit: his salutatis ingenti pompa, ac celebritate Neapolim urbe Divi Jacobi Apostoli ingreditur, ubi lætissimus concurrentium vocibus accepta salutem, pacemque regno intulisse videbatur. Exactis aliquot diebus, levatoque itineris tædio Conventum Neapolitano Principibus indicit, in quo cum non aliter regno melius consuli posse plerique sentirent, quam si Andreas cum Conjuge solenni ritu inaugurarentur, placuit, ut Optimates, quos secum ex Hungaria adduxerat, cum Beneventano Archiepiscopo Avinionem legationem obirent, atque summum Pontificem exorarent, ne tam justa totius regni vota porro morari vellet. Joanna, seu reginæ metu correpta, seu consequendæ dignitatis spe marito conciliata omnium maxime inaugurationis celebritatem perurgebat, quamquam, ut erat levissimæ inconstantiæ, haud multo post simulatam fuisse amicitiæ redintegrationem ex eventu patuit. (18)

Missique ad Papam Legatis filium coronari flagitat.

Romam pietatis causa profecta ingenti splendore accipitur.

Legatis Avinionem profectis, Elisabetha cum urbis Archiepiscopo & magna Nobilium frequentia ad lustrandam Divorum Petri & Pauli basilicam iter adornabat. In Campaniam progressa quacumque iter fecit, effusam ex oppidis, urbibusque magnam hominum frequentiam, qui visendæ reginæ studio confertissimi accurrerant, stipe, ac amplissimis largitionibus donabat. Inde paucos intra dies Romæ appropinquans ab Columnensibus & Ursinis, qui utramque Tyberis ripam cum frequentissimo Satellitio, ac Nobilitate Romana occuparant, sumtuosissima magnificentia & concursatione vulgi, vitam, ac felicitatem reginæ Hungarorum precantis accepta, ad D. Petri Ecclesiam deducitur, hic obviam Romanum Collegium habens (19) rursum magna honoris significatione salutatur, templumque ingressa, postquam orationi vacasset, tam splendida ad aras Numini dona appendit, ut pietate, an munificentia præcelleret, dubium esset. Ferunt præter quatuor sestertium millia, calicem ex solido auro, ac gemmis ornatum, tum tabulam argenteam gemmis quoque illustrem, quæ Divi Petri effigiem rarissimo artificio eleganter exsculptam, ac mirabili decore fulgentem referret, ab Elisabetha dono oblata, cujus causa dies anniversarius communi purpuratorum patrum consulto reginæ constitutus fuerit. (20) Lustratis eodem pietatis studio, ac liberalitate ceteris templis, mense Octobri Neapolim salva, & incolumis revertit. Hic nurum, multo, quam reliquere,

Donativis ad aras appensis redit Neapolim,

(17) Joannes Archidiaconus Cap. IV.

(18) Idem ibid.

(19) Bonfin. Dec. II. Lib. X. habet, Pontificem cum Collegio reginæ factum obvium: sed hoc loco sui oblitus fuerit, cum paulum ante Legatos Avinionem destinatos ad Pontificem indicasset.

(20) Raynald. ex notis Baronianis ad annum 1343. Num. 26.

Anno Christi 1343. *Filiumque in Hungariam jurat reducere*

rit, aliam competens pertæsique versatilem mulieris animum, & Andreæ haud fatis æquum, de reducendo in Hungariam filio cogitabat. Quæ consilii fama cum per aulam didita esset, magna omnes consternatione, præsertim Joannam, ac Proceres, veritos fortasse, ne Elisabetha eorum molitiones subodorata sit, & simulato etiam luctu affecit. Itaque precibus apud reginam agere, ne sibi dominum, & Joannæ conjugem ereptum vellet, quem, qui cura hacterus a teneris in Italia ad regni spes educatus fuerit, eodem reverentia, & officiorum significatione deinceps exculturi essent. Adjecit Joanna quoque blanditias, quibus fidem fecerat, se regni jura cum Andrea ex æquo parituram, confirmareque, ut non amore modo, sed obsequiis etiam, quæ conjugalis vinculi stabilitatem firmatura essent, maritum sibi perpetuo fœdere conciliet. (1)

1344. *Exorata Comiti montis Caveosi rum credit.*

His persuasa mater Andream Comiti Montis Caveosi, viro ætate provectæ, ac magna in Hungaros fide commisit, & Februario mense nurui, filioque bene precata Neapoli Barium discessit, unde Manfredium progressa, ubi cum quatuor triremes ab Andrea missas accepisset, exacta resurgentis Christi celebritate paucorum dierum spatio Segniam appulit. Ubi fama de adventu reginæ in Hungaria percrebuisset, Ludovicus cum Stephano fratre, & frequentissima Procerum corona obviam progressus, Matrem ad Dravum fluvium mutua congratulatione salutavit, salvamque, & ab exantlata itineris molestia incolumem eadem, qua ante priore profectionem inchoavit, die Vissegradum deduxit. (2)

Legati apud Pontificem Andreæ causam agunt.

Interea, cum regina ex Italia in Hungariam ferebatur, Legati, qui Andreæ caussam apud Clementem Avinione egerant, tametsi difficiliorem opinione sua in principio Pontificem nacti sint, tamen Ludovici, ac Elisabethæ, tum Siciliæ Optimatum, qui Andreæ præ Joanna fere favebant, auctoritate, & Joannæ precibus illo adduxere, ut Andream cum Joanna pari potestate regem Siciliæ inaugurari pateretur. Dederat propterea primum Januario, tum Februario mense ad Andream literas, quibus veniam illi regii primum tituli, tum coronæ quoque facit, si conditionibus, quas præscripserat, staturum se polliceretur. Illæ in hæc verba habent. (3)

Andreæ Regi Siciliæ illustri

Pontifex coronationis potestatem facit, & quibus conditionibus.

Multiplicatas devotarum precum, & supplicantium instantias, nobis per charissimos in Christo filios nostros, Ludovicum regem Ungariæ, germanum tuum, ac Sanciam, & Joannam Siciliæ, conjuges, & Elisabeth Ungariæ genitricem tuas reginas illustres, nonnullosque venerabiles fratres archiepiscopos, & episcopos, ac dilectos filios nobiles viros Barones regni Siciliæ, literalibus porrectas scriptionibus, & subsequenter per solemnes nuntios ad nostram propterea destinatos præsentiam, tam in camera, quam in consistoriis nostris, propositionibus satis elegantibus, sibita benignitate suscepimus, inter cetera continentes, quod cum tu charissime fili ejusdem Joannæ reginæ, ad quam regimen prædictum ex successione claræ memoriæ Roberti Siciliæ avi sui pervenisse noscitur, vir existas, ut convenientius, decentius, utilius, & honorabilius tuo, & ejusdem reginæ conjugis tuæ, quæ una caro tecum est, provideretur status, & tanto conjugio, & numerosa prolis exinde, sicut a Domino petimus, procreandæ consuleretur honori, nos adhibitis cautelis, opportunis, & idoneis, te insignire denominatione regii tituli, nec non ordinare, quod cum eadem regina, velut vir suus, coronari debeas, & inungi, de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur ejusdem precibus, & supplicationibus, plene, ac patienter auditis, & etiam intellectis diligentius, attendentes, quod tu fili dilectissime de prosapia defendisti devotorum regalium, quæ in fide, reverentia, & devotione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ absque deviatione qualibet hactenus continue persisterunt, & sperantes in Domino, quod tu progenitorum tuorum laudabilibus inhærendo vestigiis, in eisdem fide,

&

(1) Dominicus de GRAVINA in Chron.
(2) JOAN. ARCHIDIACON. Cap. IV Et GRAVINA in Chron.
(3) RAYNALD. ad annum 1344.

Anno Christi 1344

& reverentia, & devotione persistens, erga nos, & eandem Ecclesiam te clarum meritorum cumulis exhibebis, & gratum, quodque dilecto filio nostro Aymerico tituli S. Martini in montibus presbytero Cardinali A. S. L. cui administrationem dicti regni pro tempore, quo ad nos, & Ecclesiam memoratam eadem spectat administratio, committimus, partibus efficaciter, & intendes, tandem super præmissis, & aliis negotiis hujusmodi non parum arduum tangentibus deliberatione cum fratribus nostris ejusdem Ecclesiæ Cardinalibus præhabita, prout tanti negotii exigebat qualitas, provida, & matura, die decima nona mensis Januarii, proxime præteriti sub certis protestationibus, ac cautelis opportunis, & idoneis in aliis literis nostris contentis plenius, & expressis, in nostro consistorio te hujusmodi regis titulo denominatione insignivimus, & ordinavimus, si protestationes, & cautelas ipsas admiseris, & compleveris, tuque, ac dicta regina uxor tua Legato prædicto super eadem administratione pro eodem tempore, nostro, & Ecclesiæ prædictæ nomine gerenda, & exercenda parueritis, ut indubie speramus, & supponimus cum effectu, & non aliter, tu cum eadem regina tanquam vir ejus coronari debeas, & inungi.

Ceterum cum nobis pro parte tua, & ejusdem reginæ fuerit humiliter supplicatum, ut alicui personæ idoneæ coronationem, & inunctionem hujusmodi faciendas, & impendendas in illis partibus committere dignaremur, nos, quamvis hæc ardua quam plurimum reputaremus, ut tamen multis laboribus, viarum discriminibus, et profusis expensarum parcatur, quibus tu, et ipsa regina subjaceremus, si vos venire ad nostram præsentiam propter hoc oporteret, si prædictas protestationes, & cautelas admiseris, & compleveris, tuque, ac eadem Regina Legato super administratione prædicta parueritis effectualiter, ut præfertur, eidem Legato, per quem coronatis, et inunctis prædicta hujusmodi commode fieri poterunt, concedimus opportunam super iis concedere potestatem - - - Datum Avinione IV. Nonas Februarii, Anno II.

Ludovicus ab Legatis, quid apud Papam confecissent, edocetur.

Hactenus Clemens ad Andream literæ in quibus illud fortasse mirum videri possit, Joannam, cui alias haud quaquam amice cum marito convenerat, nunc oblatis quoque precibus inaugurationem non sui duntaxat, sed Andreæ etiam causa urfisse: sed feminis artibus usam, ut exterta Aymerico Cardinali administratione conjugem uxorio imperio magis obnoxium haberet, ex rebus, quas postea narraturi sumus, perspicuum fiet. Ceterum Legati, in quem locum Andreæ res apud Pontificem adduxissent, Ludovico per litteras quoque significarunt: ac primum quidem jure successionis causam tuendam suscepisse, tum, ubi hac via parum proficerent, & dona agendum esse præterea viderent, hoc fr, ne causam penitus profligatam redderent, adductos esse, ut inconsulto rege quadraginta quatuor marcarum argenti millia Pontifici daturos se jurejurando pollicerentur. *Ludovicus regnatia probitate, ac fraterna charitate commotus, ne in discrimine ambitionis regni addiceretur Andreas, universum onus plane subiturum se recepit. Pontificis avaritiam, & mercali pene regni usuriam ægerrime tulit. Illud vel exaggerabat indignitatem, quod jure hæreditariæ possessionis tanti haberi cogeretur: tandem ne fraternæ dignitati deesset, extraordinaria regni tributa imposuit, ac perbrevi exacta in fiscum Pontificium misit.* Hæc Bonfinius (4) fortasse quam oportebat, in Pontificem iniquior, quod Raynaldus eam summam censui nomine persolutam haud obscure fateatur. Quidvis fit, Ludovicum, ut fratri assereret Siciliam, & Legatorum suorum fidem liberaret, tot prorsus marcarum millia, quod promiserant, Clementi misisse ex Joanne Archidiacono, qui regi a secretis epistolis fuit, compertum habemus. (5)

Poloniis adversum Bohemos suppetias mittit.

Sopita in hunc modum Italica tricis, Polonorum turbis rex ex improviso implicitus est. Exarserat grave inter Casimirum Poloniæ, & Joannem Bohemiæ reges bellum, quod hic Svidnicensem Ducem Casimiri fœderatum armis petiisset, ille contra Vuschovensem tractum a regno suo olim avulsum Poloniæ restituisset, ac Sapanensem Ducatum illata præterea vastitate fœdaret. Ea re tantum iratum Joannem Bohemum concepisse perhibent, ut, quamvis senex esset, & utroque oculo captus, sacramento tamen affirmaret, non prius se ab expeditione redi-

(4) Dec. II. Lib. X.

(5) In Chron. Cap. 4

Annus Christi 1344.

rediturum, quam Cracoviæ mœnia victor manibus contrectasset. Cumque ingentem adversum Polonos belli apparatum propterea adornaret, Casimirus Ludovicum per Legatos orabat, ne se in tam præsente periculo desereret, bonamque, quoniam omnia domi tuta, & pacata haberet, militum manum auxilio mittere ne gravetur. Ludovicus regi, cui perpetua ac singularis cum patre suo amicitia intercessisset, opitulandum ratus, lectissimum militiæ robur Nicolao *Zerchio*, & Petro *Poharagsio* ductoribus in Poloniam laboranti submittit: quorum ope Casimirus Joannem ad Cremnum pagum castra habentem ita crebris vexationibus infestabat, ut cum omnem sibi pabulationem interclusam videret, veritus, ne ad extremam inediam redactus parum decore ex Polonia exigeretur, sive ut alii malunt, Caroli filii, quem ad imperium evehere meditabatur, precibus impulsus re parum prospere gesta in Bohemiam rediret. (6)

Bela ad recuperandam Dalmatiam incumbit.

Percommode bellum Polonicum metu magis, quam clade absolutum est. Cum enim Ludovicus Stephanum fratrem Dalmatiæ ac Croatiæ Ducis titulo præficere constitutum haberet, easque Provincias decessorum socordiæ partim in Venetorum, partim privatas factiosorum ditiones venisset, ad reparandam eam jacturam animum ingenti studio applicat. Itaque collecto quatuor millium exercitu Nicolaum Sclavoniæ Banum, virum belli, & militiæ scientissimum in Croatiam movere jubet, ut regionem omnem, quæ superiorum annorum turbis excusso jugo privatam fere dominationem sibi paraverat, ad obedientiam revocaret. Nicolaus ut tam egregium Ludovici de se judicium opere ipso confirmaret, peragrata mediterranea Croatia in Tininensem tractum signa infert; ipsamque Tininum arcem, qua capta reliquæ Urbes ad obsequium sponte rediturae erant, arctissima obsidione circumvallat: sed fortuna conatui minime responsura videbatur, quod castrum prærupto monti insideret, & Nelipitii opera, qui primus eam portionem ab Hungaria avulserat, firmissimis operibus communitum esset. Præerat arci Uladislava defuncti Nelipitii conjux cum filio Joanne, & fautorum, quos ibi habuit, virtute ac præsidio vim propulsare apparabat. Nicolaus & loci situ, & quod cum femina armorum collatio sibi esset, absterritus, fame, ac intercluso commeatu arcem ad deditionem faciendam compellere censuit. Eam ob rem corruptis Tininensium agris, & vineis, nihil ancone inferri castro patiebatur, simulque montem arci propinquum speculatus, quanquam superatu arduus esset, tamen cum ad expugnandum munimentum multum momenti allaturus videretur, incredibili militum alacritate & patientia superans, Tininum ex eo machinis quatere aggressus est. Improvisa hac molitione obsessi animos demisere, & de conditionibus deditionis cum Nicolao agere occiperunt. Banus qui belli, non pacis arbitrium sibi ab rege creditum nosset, Legatos in Hungariam ire jubet, spem faciens, faciles apud regem aures nacturos, si posita contumacia ad pristinam obedientiam se redituros pollicerentur. Uladislava, quod tuendæ pacis alia via non superesset, Oratores ad Ludovicum celerrime expedit, qui implorata regis venia, se in ejus fide & clientela cum omnibus ditioribus futuram, arcesque, & oppida præsidio Hungarorum traditurum spondeant, modo rex veterum injuriarum oblitus, se pristino gratiæ loco consistere pateretur. Ludovicus & mulieri, & viduæ aliquid tribuendum ratus, pacem iis conditionibus, quas sponte offerebat, ratam habuit, & Legatos muneribus exculptos ab se dimisit. Sed mulier inconstans, & quorundam Croatiæ Optimatum consilio seducta, cum primum Nicolaus in Hungariam cum exercitu redit, violata turpiter pactorum fide Hungaros, quos præsidio illuc Banus reliquerat, ex oppidis, ac ditione exclusit. (7)

Quomodo capta illius gesta sit.

Dum hæc in Dalmatia geruntur, novæ rursum in Italia rerum conversiones initium cœpere. Nam cum Pontifex, Joannæ ætatem reipublicæ nondum ido-

Joannæ quæ a Pontifice post consulatur.

H

(6) Cromerus rer. Polon. Lib. XII. Miechov. Lib. IV. Cap. XVIII. Et Joann. Archidiacon. in Chron. Cap. V.

(7) Anonymus de obsidione Jadrensi Cap. I. II. & III. Tom. I. Scriptorum rerum Hungar.

Anno Christi 1344.

idoneam videns, regni administrationem Aymerico Cardinali, ut alias indicavi, credidisset, atque Joanna sponsionem etiam, qua se in arbitrio Legati Apostolici futuram pollicita est, publico instrumento, cui Andreas quoque *Jerusalem ac Siciliae rex* subscriptus legitur, vulgasset, paullum post poenitentia gestae rei ducta, Pontificem per legatos, & litteras flagitabat, ut, quando sibi reginae nomen tam liberaliter tribuisset, potestatem quoque, quo nomen majori auctoritate tueri posset, indulgere vellet. Victus importunis precibus Clemens Aymericum Avinionem revocat, & Joannam lege, qua pupillis publica rerum administratio vetatur, solutam pronunciat. Scripsit propterea ad Cardinalem, moneretque, ut prius, quam Neapoli discederet, cum regina, quid fieri velit, communicet, alioquin, si contra faceret, potestatem tam facile revocatum iri, quam liberaliter prius indulsisset (8)

Clemens -- Aymerico Tit. S. Martini in Montibus Presbytero Cardinali A. S. L.

Adjicimus exhortationi praedictae, quod eadem reginales praevia praematura, & diligenti deliberatione in consiliarios suos ac gubernatores, & administratores regni, & terrarum praedictarum cooperatores assumat: & retineat jam assumptos, qui Deum diligant, justitiam ament, & foveant, sui, & regni honoris, & commodi, ac suae salutis zelentur augmentum, avaritiam odiant, & lucra propria in suum, & regni, seu alterum dispendium non sectentur: & cum quorum suo consilio, quae agenda fuerint, expediat utiliter, & ea, quae non habuit, vel expediat, respuere non omittat, non obstante ordinatione aut jure praedictis, quae, quoad hoc ipsum arctius volumus, & juramento super hoc praestito, super quo etiam secum, si oporteat, dispensamus. Nec aliquibus consiliariis, quibus forsan afficiatur, tantum adhaerat, quod aliorum sapientum, & fidelium praetermittat consilio, vel contemnat, ita, quod in suum ac regni, & terrarum praedictarum gubernationis ullo dispendium, personarum acceptio minime tendere fili lucrum ad aliquo, quae magni ponderis extiterint, absque maturo consilio, & provida deliberatione praevia nullatenus procedere, sed potius sic se prudenter, & mature in omnibus suis actibus habeat, quod praedictorum regni, & terrarum populus in pulchritudine pacis sedeat, fiducia tabernaculis habitet, & requie opulenta quiescat, cultu justitiae, a se, suisque officialibus, & subditis observato.

Deum quoque in omnibus, & per omnia semper habens prae oculis sacrosanctam Ecclesiam, ejusque ministros reverentia, & honore debitis prosequatur, libertates ecclesiarum regni sui, ac jura defendendo, & manutenendo, easque non violando quomodolibet, nec permittendo ab aliis violari. Insuper Zelatricem justitiae, per quam thronus roboratur, & firmatur regius, se reddat continue, subditos suos a potentum oppressionibus protegendo, & defendendo, & manutenendo, easque non violando quomodolibet, nec permittendo ab aliis violari, insidiantibus, & raptoris bonorum furtum perversis, & damnatis militantibus criminibus regnum sic purgans, & mundans, quod potentia virtutis regali humana nocendi coerceatur audacia, & illaesa inter improbos innocentia persistere, his nihilominus subjungendo, quod si se consulte, prudenter, & provide nostris acquiescendo exhortationibus hujusmodi gesserit, ut optamus, eidem opportunis, & benevolis favoribus assistemus, alias autem, si contrarium de ipsa, quod avertat Dominus, super hoc audiremus, cum eam, regnum, & terras praedicta speciali dilectionis, & favoris oculo contemplemur, omittere non intendimus, nec possemus, quo minus de opportuno curaremus providere in hac parte remedio, sicut praedecessores nostros Romanos Pontifices fecisse in casu consimili legimus de regnis aliis, nequaquam eidem Romanae Ecclesiae specialiter subjectis -- Datum Avinione XIV. Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno III.

Sub potestatem Joannae in abolitionem regni administrat.

Quae quanquam post revocatum ab regni administratione Aymericum Cardinalem, provide constituta a Clemente essent, Joanna tamen eorum, quae promiserat, parum memor, ut primum rerum summam in suo arbitratu esse vidit, cum-

(8) RAYNALD. ad annum 1344.

cuncta regni officia (ut Gravina in Chronico scribit) (9) *per consiliarios pessimos regni Magnates incapita divisit, dictum Carolum Artus fecit Comitem Camerarum dicti regni, Comitem montis Caveosi, ut sic ordini efficietur, fecit Magistrum justitiæ regni, quod officium tempore nullus, nisi ex confirmatione summi Pontificis, Dominum Rogerium de sancto Severino fecit Logothetam, & Protonotarium regni, qui in tempore erat Archiepiscopus Barensis, Comitem Terlicii fecit regni Siciliæ Marescallum, Dominum Robertum fecit generalem Capitaneum Vallis Beneventanæ, & capitanatæ - - & horum gubernatione, & consilio atrus sic magna strage vivebatur in castro suo, quod introitus dicti regni videbantur sibi non sufficere pro medio anno, sicut tempore regis Roberti anno quolibet reponebantur in thesauro centenaria unciarum.* Atque ita distributis in conjuratos magistratibus sensim ad necem Conjugis Joannæ grassabatur.

Anno Christi 1344.

Ludovicus, qui Uladislavæ perfidia anno superiore vehementer irritatus erat, ad castigandam Dalmatarum, & Croatorum pervicaciam, afferendasque jure Hungarico provincias viginti millium exercitum fuomet auspicio Croatiæ infudit. Ut primum ad Bihacium castra metatus est, ingens omnes metus accepit, potentium, namque regis veritos: sed & regionem, quæ paullum post in Clientelam redditura erat, armorum potius metu, quam illato bello ad officium revocavit maluit, habuitque, dum Bihacii moram trahens incertos, quo evasurus esset, redderet, plerosque Croatiæ, ac Dalmatiæ Optimates jussis suis obsequentes. Joannes Nelipcii filius tradito cum omnibus ditionibus Tinino Ludovici clementiæ se permisit: Corbaviensis Comes, ceterique opibus, ac clientela potentissimi Dynastæ eadem facilitate accepto Hungarorum præsidio fidem regi addixere. Mladinus contra, & Paulus Banus, qui Ostrovittam, Clisam, ac Scardonam tenebant, fœderum pactis, quæ illis cum Traguriis, ac Spalatensibus intercesserant, confisi, detrectata obedientia defensionem, si rex vim moliretur, apparabant. (10)

1345 Rex cum exercitu in Dalmatiam profectus plerasque ad officium revocat.

Hæc inter Jadrenses inconsultis Venetis Ludovicum nobili legatione conspiciendum publico Senatus consulto censuere, sive honoris causa id facerent, sive Venetorum dominationem pertæsi ad Hungaros transire meditarentur. Missi sunt Marinussius de Botovano, Michael Blasii de Soppe, & Nicolaus Machi de Galellis primi ordinis viri, qui regem urbis nomine salutarent, & donativis, quæ amplissima ferebant, excolerent. Sed dum hi de industria, aut ob itineris difficultatem lentius progrediuntur, Ludovicus recepta in fidem Croatia, & parte Dalmatiæ, in Hungariam redijt. Ea fama, cum ad Legatos quoque allata fuisset, converso itinere Jadram repetunt: accepti sunt a Civibus illiberaliter, palam quiritantibus dedita opera Legatos viarum diverticula quæsisse, ne regis, a quo amicitia urbis salus & felicitas penderet, conveniendi sive tempus, sive locum nanciscerentur. Favebant civium querelis ingenui, ac nobiles plerique, qui Ludovico præ Venetis aperte studebant: itaque & numero, & auctoritate superiores novam legationem decernunt, jussique Oratores, ut regem in Hungariam cum dono, & muneribus consequerentur. (11)

A Jadrensibus Legatione excolitur

Veneti, qui ab Ludovici in Croatiam, ac Dalmatiam adventu, haud leviter consternati erant, neque, quid ab Jadrensibus ageretur, ignorarent, crebris litteris cives ad fidem adhortati sunt, favores, ac veterum prærogativarum indemnitatem polliciti: at postquam reduisse in Hungariam regem comperissent, non impune Jadrensium licentiam ferri oportere arbitrati sunt. Quam ob rem ingentem mari apparatum ad castigandos Cives toties in fide mutantes clam adornant, neve indicium rei, quam moliebantur, ad Jadrenses perferretur, omnia in præ bello simulabant; ipse adeo Dux Dandulus, quo cives suam incautos magis redderet, collaudata eorum fide, & obsequio classem se proximo quovis tempore, ut adversus omnium injurias tutiores essent, missurum per litteras significavit. (12)

Jadræ bellum inferre Veneti moliuntur

(9) Apud Muratorium cit. Tomo
(10) Anonymus de obsid. Jadrensi Cap. IV.
(11) Idem ibid.
(12) Anonym. de obsid. Jadrensi Cap. X.

Anno Christi 1345
Simulata per literas amicitia

Andreas Dandulo, Dei gratia Venetiarum, Dalmatiæ, atque Croatiæ Dux, dominus quartæ partis, & dimidiæ totius imperii Romaniæ, Nobili, & sapienti viro Marco Cornario, de suo mandato Comiti Jadræ, ac prudentibus viris, Judicibus, Consilio, & Communi Jadræ fidelibus dilectis salutem, & dilectionis affectum. Denotamus vobis, quod ad vestram, & ad aliorum nostrorum fidelium, & terrarum Sclavoniæ securitatem, & conservationem, totis viribus eligere, & facere vestrum Capitaneum Generalem, quem cum nostris galeis, & armada breviter ad ipsas partes mittemus, parati etiam omni alio subsidio subvenire, ut videbimus convenire, hortantes fidelitatem vestram quatenus perseverare in fidelitate vestra constanter, sic vos in cunctis occurrentibus fideliter, & prompte habere studeatis, quod nostram gratiam valeatis uberius promereri, & cognoscamus operis per effectum vestram dispositionem in omnibus nostris honoribus fideliter præparatam, ut confidimus, & speramus. De novis autem sitis soliciti inquirere, & nobis facere manifesta. Data in nostro ducali Palatio, die XXIII Julii XIII. Indictione.

Durissimas Jadrensibus conditiones præscribunt

Simulatam tamen fuisse amicitiam haud multo post cognitum est, dum Petrus Canalis Venetæ classis præfectus cum quinque triremibus ad Jadrensem portum appellens Comitem urbis, pluresque cum eo Jadrenses Patricios colloquii specie ad Prætoriam navem evocasset. Quos, ut in potestate habuit, ferrum ex portu recedens captivos esse declaravit, nisi intra quatriduum Venetos, qui in urbe essent, cum fortunis, & supellectili injuriarum indemnes ad classem venire sinerent. Ea de causa Bivaldo, erat is unus ex Patriciis, se potestatem facere, ut rem ad senatum referret, civesque, quæ Venetorum Ducis voluntas sit, edoceret. Nova denunciatione mirum in modum commoti cives Nicolaum ex ordine Prædicatorum ad Canalem mittunt, visurum cujus auctoritate classis Præfectus in fœderatos, ac socios vim adornaret, simul veniam poscunt, ut legatos Venetias expedire sibi integrum esset. Ea citra difficultatem impetrata Nicolaum Jadrensem Archiepiscopum, Marinusium, & Thomam de Petrizo ad Ducem abire jubent, oratum, ne se, qui sponte olim clientelam professi fuissent, nullo merito suorum injuriis destituerent, quæ illo graviores essent, quo magis in immeritos & a sociis inferrentur (13).

Vix legati accepta publica fide ex porta solverant, cum Classiariorum sævities Jadrensium animos vehementer exacerbavit. Redierant forte fortuna ex propinqua urbi insulis Cives, cumque lembis suis classem prætervehuntur, Veneti miles in nihil tale metuentes impetum facit, & fortunis omnibus exutos partim aquis mergit, partim inhumanissima cæde trucidat. Tam nefario facinore haud levis suspicio Jadertinis oborta est, Venetos amicitiæ simulacro vim apparare: ne quid temere tamen in re tam gravi constituerent, rursus Nicolaum ad Petrum Canalem ablegant, qui partim de illata injuria, violatisque induciis quereretur, partim omni studio Præfectum exoraret, ut, quoad Legati Venetiis redeant, suos a vi & armis temperare juberet. Hic Præfectus posita larva, Legatos frustra exspectari diserte edixit, sibi ab Duce arbitrium commissum, ut defectionis reos, cujus nuper missis ad Ludovicum Hungariæ regem oratoribus, manifesta indicia dedissent, pro gravitate criminis puniret: bellum pro foribus esse, nisi muros urbis funditus subruant, traditisque castris, ac munimentis in arbitrio Venetorum se deinceps futuros pollicerentur. Cum hæc Nicolaus in urbem afferret, incredibile dictu, quanto fremitu in

Itaque in Ludovici clientelam concedere statuunt.

Venetos conclamatum sit. Erat ex Patriciis quidam, cui magna in civium animos potestas, & auctoritas fuit, qui, cum de Venetorum fastu referri ad senatum audiret, haud diu consultatione tempus teri oportere palam asseverabat, quin arma acriùs in superbum hostem corripienda esse: pubem belli capacem, & amantem; commeatum in sesquiannum præterea suffecturum, muros operibus militaribus communitos, præcipue autem civium animos ad tolerantum fortiter exercitos felicem exitum spondere, modo, si urbs a Venetis mari, terraque obsideretur, de accersendis subsidiis maturè, & diligenter cogitarent: quæ non aliunde melius, citiusque comparari posse arbitretur, quam a Ludovico, fortissimo, ac potentissimo rege, qui & veteris amicitiæ causa, & spe urbis nobilissimæ in suam ditionem redigendæ commu-

(13) Idem Cap. XII.

missurus non sit, ut Venetorum injuriis porro objicerentur, qui foederum olim fidi fuissent socii: tantum ne tempus mora corrumpant, mittoque Legato, se, urbem, liberos, ac fortunas omnes in ejus arbitrio futura polliceantur. (14)

Anno Christi 1345

Miro omnium consensu accepta est suadentis oratio, missusque Franciscus de Georgio, qui Ludovicum de Jadrensium periculo certum redderet. Is XVI die Augusti sub crepusculum urbe egressus magnus itineribus intra paucos dies Vissegradum pervenit, regemque de iis, quae Senatus consulto sancita essent, singulatim edoctum, ita commiseratione commovit, ut spem certam oratori faceret, se, cum primum delectus per regnum fecisset, non modo urbem in fidem recepturum, sed daturum praeterea operam, ne cives, qui spem omnem praesidii in se collocassent, quidquam detrimenti ab Venetis paterentur. Agerent interea sedulo, & quae defensioni necessaria essent, navarer curarent, se cum exercitu haud multo post affuturum.

Itque regi permissionem significant

Jadrenses nondum ad apertam vim progressi, semel atque iterum rantiorum rusticatione Classis Praefectum, quo animo ad pacem ineundam esset, periclitandum censuere: sed is novis militum supplementis, quae Marcus Justinianus adduxerat, ferocior factus omnem foederum tractationem abrupit, nisi Jadrenses iis conditionibus, quas antea dictaverat, se staturos promitterent: simul ad oppugnandam communius urbem Justinianum cum XX millibus terrestri itinere in Jadrensem agrum immittit, ipse maris aditus, vocatis in suppetias Traguriis, ac Spalatensibus, classe obsepit, ne qua parte commeatus, aut subsidiariae cohortes urbi importari possent. Cives ad extrema se adactos conspicati neque animos demisere, neque ulli operae, quae ad defensionem facere videbatur, parcebant. Urbem, qua parte continentem respicit, fossis, vallis, ac ceteris ex militari arte congestis operibus adversus omnem impetum egregie firmare, portum, qua se in sinus sinuabat, congestis lapidum acervis, mersisque navigiis in totum reddere, quodque satis diu urbi praesidio fuit, ingentis molis, ac pondens catena, quam tredecim ferreis tignis communiverant, occludere, ne classis, nisi cum manifesto naufragii periculo, urbi propius subire posset. (15)

Urbemque ad defensionem egregie comparant

Comparata hunc in modum ad defensionem urbe, tametsi hostis impetum se propulsaturos sperarent, maximam tamen praesidii spem in Ludovico habuere, quem Venetis ob surrepta Dalmatiae Oppida perinfensum noverant, & potundae Jadrae desiderio suppetias allaturum non de nihilo sibi persuadebant. Neque multo post Legatus, quem in Hungariam abiisse narravimus, adfuit, literasque, quibus Jadrenses de auxilio certos reddit, in haec verba conscriptas attulit. (16) *Ludovicus Dei gratia rex Hungariae, Nobilibus viris, Judicibus, Consilio, & communitati totius Jadrae animum ad grata paratum cum salute. Nunciavit nobis Nicolaus Banus totius Sclavoniae necessitatem vestram, super qua statuimus esse proximus cum tota potentia nostra juvare vos, & praeparamus celeri gressu succurrere vobis, unde viriliter vos teneatis, & regatis. Data sub alto Castro, die XXV mensis Augusti.* Non est facile dictu, quo urbis gaudio litterae ob propediem affuturum auxilium acceptae a Jadrensibus fuerint, quod ut undequaque cumulatum esset, ad Andream quoque Siciliae Regem nuntios expediunt, ut, cum Ludovicus terrestri itinere affuturus esset, ipse navibus mare infestum Venetis redderet, quo salutem suam duobus fratribus, & Hungariae se debere grata ad posteros memoria profiteri possent.

Literas, & subsidii spem a Ludovico accipiunt

Id consilium ut opportunum plane rebus Jadrensium erat, ita ob turbas, quae in Apulia exortae sunt, in ipso principio adhaesit. Joanna, sive ob adulteriorum, quorum postulabatur (17), consuetudinem, seu aliorum consiliis instigata in dies magis ab Andrea abhorrebat, eamque ob rem inaugurationis solemnia ex viri odio differebat, ne maritum pari secum dignitate ornatum aestueri cogeretur, veritat fortassis, ut vitae licentia, si Andreas corona insigniretur, impune sibi abrepta esset. Quidvis in causa fuerit, illud constat, Carolum Dyrrachii Ducem communicato cum Cardinali Petragoricensi consilio, & literis coronationem dedita opera impedisse

Quae tamen ever tristis Andreae turbis intercepta fuit

(14) Idem. Cap. XIII. & XIV
(15) Idem. Cap. XIV
(16) Idem Cap. XVII
(17) RAYNALD. ad annum 1345. Num. 18.

Anno Christi 1345

se (18) Pontifex concludendæ cum viro Joannæ percupidus litteras eam crebro convenerat, quibus aperte denunciat, inauguratione irritum ut ne differret, simul Andreæ quoque eodem argumento scripsit, adjecit tamen, nullum ex nomine regio, & inunctione jus sibi comparaturum, si que Joanna improlis decederet, Siculum sceptrum ad Mariam defunctæ sororem, ejusque liberos devolutum iri his conditionibus si jurejurando subscriberet, & polliceretur postarum se a conjugis morte regiam potestatem, haud gravate passurum, ut Siculæ diademate cum Joanna inaugeretur aloquin si contra faciat, sacris omnibus se privandum ne dubitaret. In hanc sententiam Pontifex XII. Calendas Octobris litteras ad Andream consignavit. (19)

Proceres Neapolitani in necem Andreæ conspirant

Verum Andreas duodecimo prius die, quam litteræ signatæ essent, misera hili fato, & infami mortis genere e regno, & vita exturbatus est. Id qua ratione evenerit, ne modum quibusdam excedere videar, malui auctorem, qui tum vixit, magnamque partem rebus quas refert, immistus fuit, quam meo narratione complecti. (20) *Videntes autem* (inquit laudatus Scriptor) *regina prima uxor sua, Imperatrix, Carolus Artus filius suus, & multi alii, qui prævidebant proximum esse sibi tempus coronationis, cogitaverant illum perdere, priusquam sceptrum regale reciperet. Nam recepto sceptro sciebant firmiter perditionem eorum juxta vexillum (1), quod de novo parari mandaverat dux prædictus Ipse autem dux semper consilio Ducis Duratii utebatur Sed Palatini vana gloria, & superbia fuit magnifico suo necis Et convocatis omnibus malevolis proditoribus dicti Ducis Andreæ ordinaverunt dictum Ducem Andream perimi facere extra Civitatem Neapolis, quia intus nullo modo fieri poterat nobis Ducis Duratii supra dicti. Et adeuntes proditores ipsi ad Ducem eundem prædixerunt ei: Domine rex! si digentur vestra Majestas sequenti die summo mane equitemus ad venationem versus Urbicellam cum canibus, & falconibus Et sollatiemur sic venando per dies aliquos nunc in Capua, nunc Aversa, nunc per alia loca Casalia terræ laboris (2) ibimus festinando. Dux autem miser animo juvenili acquiescens verbis fallacibus iniquorum ad venationem eandem se promisit iturum. Mane autem facto, cursus viri* [illegible] *eundem Dominum simul cum regina, Ammiraque pluribus causæ consciis, & infinitis, & paratis equis, alisque necessariis rebus præmissis apud Aversam venando euntes, apud Aversam ipso sera hospitati fuerunt. Et cena parata discubuerunt cum magno gaudio, quod vere resultavit ad magnam tristitiam hujus regni sallitque ipso fere gaudio pluribus, bona noctis hora gaudere fingentes cum Duce præfato, & jam appropinquante somno oculorum palpebris, paratis infidis suæ necis, omnes de hospitio regio exiverunt, remanentibus tantum infidelibus iis solitis Cameram regiam custodire Idem Dux miser cum uxore sua autem ingredientes thoro parato recubuerunt*

Dux noctem Aversæ cum Joanna agens, a sicariis evocatus,

A sicariis circumfunditur

Proditores autem nequissimi, qui dicti Ducis sanguinem sitiebant, in constituta prima noctis hora surgentes, ad Ecclesiam S Petri de Murrone [illegible] *ubi dux idem, & regina hospitati manebant, accedentes ad Salam ante Cameram dicti Ducis, prout statuti venerant cuncti, per custodem Cameræ vocari fecerunt Ducem* [illegible] *quadam occasione assumpta & vocantes eundem Dominum, subito Dominus idem excitatus a somno tanquam juvenis a lecto surrexit, & confidens de iis Cameratoribus, et quod noverat illos, aperta janua cameræ statim exivit inermis, quodam jupparello indutus, & sine caputeo, caligis tantummodo calciatus Et egressus foras in Sala, subito proditores iniqui manus injecerunt in eum, ut eum morte necarent, nam ferro mori non poterat, nec veneno, virtute (3) cujusdam annuli, quem sibi donaverat misera mater ejus Dux autem ipsi, qua juvenis fortis erat, & levis, visis infidis suæ mortis, viriliter viribus se defendens, atque horribilibus vocibus, evasit manus illorum excussis crinibus auresis, & sane caspata ad Cameram suam redire festinans curabat, ut exinde arma reciperet, se ipsum viriliter defensurus. Et cum venisset quasi juxta portam, quidam impiissimus*

Nota-

(18) GRAVINA in Chron.

(19) RAYNALD. ad annum 1345 Num. 24. & 25

(20) Dominicus de GRAVINA in Chron. apud Murator cit. Tomo.

(1) Erexerat, ut idem auctor habet, vexillum cippo ornatum, quo se, si rerum potiretur, refractarios incisurum innuebat.

(2) Est provincia regni Neapolitani

(3) Id quam fidem mereatur, Lectoris arbitrio relinquo.

Notarius (margo Codicis (4) MS. Nicolaum de Milacio nuncupat) adstans ibidem ferrum in dicto janua statim terruitur, & sic miser Dux nequens intrare, sed divertens ad portam Salæ vociferans auxilium fidelium requirendo, portas omnes clausas invenit, nec erat, qui ei manum porrigeret adjutricem, dicta regina silente, & diviece viri nullatenus procurante auxilii sui causam.

Anno Christi 1345. Frustra opem implorat.

Nutrix autem sua quædam Hungara, nomine Yfolda, clamorem sui filii, & Domini sentiens, timido animo consurgens a lecto, se faciens ad fenestram, auxilium Domino requirebat, & magnis vocibus tum ipse, quam miser Dux totum illud habitaculum concitabat. Verum tamen locus ille aliquantulum distare dicitur parum extra mœnia dictæ terræ, quia ideo fecerant proditores iniqui, ut, quia mysterium magnum erat, si quidem rumor esset, nullus sibi adesset adjutor. Impossibiles autem proditores stupentes quasi timore confusi, quasi incipiebant dimittere Ducem ipsum præ clamoribus nimiis, & rumore. Impassibilis tamen Bertrandus, filius Caroli Artus, qui potius aliis culpabilem se sentiebat, diabolico suffultus spiritu, eundem Ducem potenter accepit, & tum eo luctans tenuit ipsum, & convocatis aliis, ipsum Ducem ad quendam Gayfum (5) dicti Hospitii supra Jardenum (6) portaverunt eundem, & tum crinibus aures lacerantes, & duris calcibus opprimentes, funem sibi nectentes in gutture more furum suspenderant eundem, tenentes sic eum, usquequo necaverunt, & deinde ipsum in Jardeno inferiori a summo usque deorsum præcipitaverunt - -, & apertis januis dictæ salæ protinus abierunt, acsi nihil fecissent. Nutrix autem præfata sentiens cessasse rumorem, & inimicos penitus abiisse, accepto lumine Cameram suam egressa est, & ad Cameram Ducis, & reginæ accessit, & convocans filium altis vocibus & rumore nullum recipiebat responsum, licet intus regina consisteret. Igitur præfata nutrix in majori tremore conspicita, quærens dictum Ducem per Salam, & Cameras universas loci illius, omnes dormientes in loco illo, & monachos etiam excitavit, ut una cum ea quærerent dictum Ducem. Tandem perquirentes illum, subito rumor factus est per totam Aversam, & inventus est dictus Dux, laqueum habens in gutture, præcipitatus ab alto, quem dicta Nutrix, & fratres suscipientes in supradictam Ecclesiam induxerunt, & eum usque mane custodierunt ibidem, admirantes de causa, & de tali, & tanti Domini morte lugentes, & convocantes reginam, ac suos ejusdem Domini mutilantes, velut delicti conscia facta, confusa usque mane surgere non curavit.

Joanna ad tantum facinus connivente Dux cum sociis strangulatur & suffocatur.

Mane autem facto Conveniens universus populus ad reginam, volens scire talis criminis patratores, quibus vindicta fieret absque mora, fugientes robore addicta, vultum carentem lacrimis nesciebat erigere, quæ posset respicere quempiam. Tanta erat confusio sui delicti, & dicto Duce vero defuncto ad aliud hospitium statim ivit, & ibi ob suam conscientiam dicti Ducis moram traxit, timens, ne a populo vindicaretur. Notum itaque mortis dicti Ducis in hora quasi auroræ in Neapolitana Civitate protecta, & statim Dux Duratii, & fratres ejus, necnon Princeps Tarenti una cum Bertrando de Baucio, Montis Caveosi Comite, pluribusque aliis regni Comitibus, & Baronibus, tunc Neapoli sistentibus, ceterisque quasi Neapolitanis militibus, scutiferis, & civibus cum magno doloris ululatu, & ploratu, magnoque furore versus Aversam dirigunt iter suum, unusquisque Dominorum ipsorum cum sua familia in manu forti procedunt, & appropinquantes Aversam multos ploratus miscuerunt, & dolentes, & venientes ad corpus Ducis nostri, flentes aliqualiter super eum, omnes inclinato capite condolebant, & volentes de vere inquirere, quisquis causam necis ignorabat, & sceleris patratores. - - Ipsumetque die præfata regina, & omnes sui Comites, & Barones, ac cum omnibus proceribus venationis præfatæ de venatione capta redeunt Neapolim quieteri, & licet oculis lugere se fingant, tamen in aliquorum malignorum cogitationibus talis lætitia est in dolorem eorum cordis sui conversa, diabolo revelante, quod nec corpus dicti viri visitare, & flere curavit, sed ad Castrum suum veniens via recta processit, & nullus deinde de morte tali est amplius ausus loqui. Statimque

Ingens ob nefarium facinus inter Neapolitanos consternatio.

(4) Habetur in Biblioth. Augst. Viena. ex quo Muratorius desumpsit.

(5) Videtur Solarium æstivum innuere.

(6) Ita ex Italico idiomate hortum vocat.

Annus Christi 1345 *Corpus abjectum diu inhumatum.* *Ab Ursillo Minutulo conditur.*

que corpus tanti Domini diebus duobus, & ultra, ut aestimo, sic despectum, nullis Ecclesiasticis protectum obsequiis, omni privatum regio gloria, & honore. Nullus hoc corpus sepelire procurat, sed quisquis latitando murmurat, quisquis prophetizando suspirat, & cernentes corpus Domini insepultum, Majestatem regiam in terra prostratam quisquis condolet, & clamitat apud Deum.

Tandem cum nullus regalium, nullus Comitum, & regni Magnatum esset, qui sepeliri faceret corpus illud, vir Nobilis Ursillus Minutulus de Neapoli ipsius Ecclesiae Canonicus, & vicinus, convocatis suis parentibus, & amicis, corpus idem honorificis Clericorum cantibus, & obsequiis oppertunis, ut decet, quasi regiam Majestatem, pluribus cereis circa corpus idem accensis, honorificentius sepelivit, cujus diros interitus post suos necis casum infra tres dies usque in Apuliam, & ad Montis partes per totum regnum ventilatur fama volante, qui obiit anno Domini MCCCXLV. Indictione XIII. de mense Augusti XX. die mensis ejusdem.

Irritae ob caesum Andream lites.

Hactenus laudatum Chronicon, quod inculta quidem, sed candida, veraque rerum narratione lugubre Andreae fatum memoriae posterorum consignavit. Ceterum qua moerore significatione passim, palamque a Neapolitanis, Siculisque Andreas defletus sit, pene omnes illorum temporum scriptores testantur, qui nefandi criminis narrationem haud obscure in Joannam, neque exactae fama pudicitiae feminam, uterum enim ex Ludovico Tarentino prius, quam illi matrimonio jungeretur, ferebat, & virum, dum viveret, apertis odiis execrantem conjiciunt. Dignus est, quamquam oratorem magis, quam historicum referat, Petrarcha, qui prae omnibus audiatur. *O brevi* (inquit) (7) *multum mutata Neapolis! o infelix Aversa! vere Aversa nomen ex te factum? Aversa, inquam, prorsus ab humanitate, ac fide, quarum prima homini, secunda regi, & justo Domino debebatur: in te utriusque spreta reverentia, utriusque in te sacrum gentibus, factum foedus. In te enim fraude impia periit rex tuus, ferro utinam, aut visibili morte alia, ut hominum manibus interfectus, non ferarum dentibus, atque unguibus laceratus videretur. O nequo condita sidere, infausto signata vomere, exmentis exstructa sanguinis, & vepretis habitata cultoribus, magistra urbs crudelium exemplorum. Abunde impietatis, & crimen erat, animatam Principis sacro fonte effigiem, ad imaginem Dei factam, violare tam atrociter, tam superbe: nunc id scelus non in homine quolibet ausa es, sed mitissimum, innocentissimum hominum, & dominum tuum, & ante annos tui solicitum, tui amantem, satae nobilis puerum, magnae spei regem truculentissime lanıasti. Immo non tu, sed in te acres, & immites, dicam homines, an belluae? an quod adventitii generis monstri, qui orbem Italicum barbarica feritate maculantes, tuum, siumque regem non gladio, non veneno, dura licet, ac solita regum morte, sed velut mendacissimum, aut latronem infami laqueo peremerunt, & cujus vertici debitum, ac speratum diadema diu perfida tergiversatione distulerant, ejus collo restem, & nodos miserabiles injecerunt: ut exequiarum genera alia, & vita longiore dignissimi Corporis ludibria indigna praeteream, quae nostro forte silentio posteritati non tacebuntur. Tu quidem misera Civitas, haec perpessa tuis in penetralibus, quae omnes terras, & omnia saecula tristi sint inquinatura memoria. Ceterum & culpa expers, nisi quod potentia criminosis saepe confusio proxima est, & nec obstare poteras nec ulcisci, miseratione potius digna, quam odio.* Haec Petrarcha.

Ludovicus ad vindicandam fratris necem a Neapolitanis invitatur.

Revocatus a consternatione & luctu animus, primus omnium Carolus Dyrrachii Dux, Joannae multas ob causas, praecipue ob negatum Calabriae Ducatum, quem uxorio nomine petebat, infensus Legatos ad Ludovicum Hungariae regem cum literis expedierat, quibus atrocitatem necis, moerorem regni, populorum in Joannam odia prolixe explicat, oratque, ut fratris, mortisque vindex cum exercitu in Italiam properare ne differret: prona omnia inventurum, seque adeo studiis suis pleronumque animos absenti conciliasse, quorum amore, & opera complanatam ad regnum viam repperturus esset. (8) Sed his narrandis postea locus erit.

Edo-

(7) Epistol. familiar. Lib. VI. Num. V.

(8) GRAVINA in Chron.

Annus Christi 1345

Quaestio in Sicarios habita.

Edocto de fratris caede Ludovico, placuit, ne tam improbum facinus impunitate plures ad sui consecutionem alliceret, quaestiones in parricidas exerceri. Commodum non levis suspicionis indicia de Thomasio magnae olim apud Andream familiaritatis, & Nicolao Nosano vulgi rumore circumferebantur, quem haud quaquam contemnendum ratus Bertrandus de Baucio montis Caveosi Comes, idem ille, cujus fidei Elisabetha in Hungariam ex Apulia revertens Andream credidit, quemque Joanna dicundo juri, & dirimendis causis praefecerat, communicans cum Carolo Dyrrachino consilio, utrumque comprehendi jubet, paratumque sibi consentientes, dato publice, & aspectantibus Neapolitanis Scanis, tormentis excruciari mandat. Dolorum acerbitate fracti, facturos se, quidquid de Ducis morte cognitum haberent, pollicentur, eamque ob causam cum ex superiori loco, tum de industria illhoc, ut populo aspectabiles essent, torqueri nefarios placuit, ad Judices pro tribunali sedentes ducuntur; ex improviso Comes Terlicii ventus, ne conjuratorum nomina proderentur, ex turba, ubi hactenus latuerat, cum satellitio prorumpit, factoque in Thomasum impetu, hominem lingua crudelissime mulctat, rursumque populo immistus, quamquam aegre, inobservatus evasit. Ea res Civibus non de nihilo suspicionem movit, Comitem parricidii aut conscium, aut participem quoque fuisse: attonitos propterea Judices Nicolaus haud multo post caedis patratae seriem retexens, in ea opinione confirmavit, plura intellecturos, si Terlicium Comitem, & Chanciam (9), prostitutae pudoris, & magnae apud Joannam consuetudinis mulierem comprehendi juberent. Haud opus aliis indiciis fuit; convicti de crimine, equorum caudis alligati, ad locum supplicii raptantur, & gula elisa, populum vix a vi injuriaque temperantem mitigavere. (10)

Caedis patratores produntur.

Hae suppliciorum primitiae erant, cum in alios, Terlicii in primis Comitem animadversum; quem, ne fugae spacium haberet, Dux Dyrrachii concubia nocte nihil tale opinantem per armatos Satellites clam domo eductum, palatio suo, mari finitimo inferri jussit. Comprehensa quoque est Chancia, quae illi in uxoris paene loco fuit. Postridie, ubi illuxit, utrumque, ne quid potentiores, quibus parentela conjuncti erant, judiciorum rationibus obstreperent, ad triremem, quam in portu S Vincentii in eum finem adesse voluit, trahi imperat, & antennae palam affixos cruciatibus ad eliciendam veritatem torqueri. Adfuere urbis Notarii, qui reorum confessionem in publicas tabulas referrent. Haec cum palam, & probante populo fierent, adest Raymundus de Catania a Joanna submissus, qui ejus nomine quaestionem porro haberi vetaret, &, nisi utrumque liberum dimitterent, gravissimam a regina poenam in contumaces inflictum iri minaretur. Quo uno, opinor, ii satis refelluntur, qui Joannam ab omni parricidii suspicione purgare contendunt. (11)

Vetat Joanna quaestionem porro exerceri.

Judices id, quod re ipsa erat, suspicati, Raymundo quoque vincula jubent injici, & eodem cruciatuum genere in triremis antenna semel, atque iterum exagitari, qui, cum doloris impatientia, & conscientiae stimulis actus victas manus daret, auctorem, & primipilum atrocissimae caedis jurata fide prodidit. Cum enim loquendi copiam apud Judices nactus fuit, *confessus est*, ut scribit laudatum supra Chronicon, *quod Dominus Robertus de Cabannis miles, magnus regiae Curiae Seneschallus fuerat causa mortis Ducis ejusdem.* Nova hinc accusationis materies, & metus quoque Duci Dyrrachino incussus, quod Robertum magno in aula loco esse sciret, neque facile comprehendi posse, qui nunquam in publicum, nisi ingenti militum numero stipatus prodiret. Sed improbae caedis recordatio tantum apud Cives valuit, ut universi telis armati domum Roberti circumvallarent, ac quamvis repugnantem judicibus sisterent. Quorum imperio dum exquisitissimis tormentis cruciatur, omnem conjurationis seriem a capite exorsus, confessusque, eadem cum ceteris insidiarum, eorumque auctoribus sententia percellitur, Chancia,

Judices nihilominus insistunt

I quoad

(9) Joan. Archidiac. cap. IX. Chassam vocat.

(10) Gravina in Chron.

(11) Idem ibid.

Anno Christi 1345.

Et conju- [illegible]

quoad iterum, quem, ex Terlicii Comite ferebat, poneret ad pœnam futuro tempori servata.

Mortem genus, quo improbissimi Sicarii e medio sublati sunt, & a singulari cruciatuum pœna, & a rebus mortem consecutis, dignum omnino memoratu est. Etenim postquam criminatio juratis iterum testimoniis illustrata penitus fuisset, *tunc dictus Magister justitiæ* (ut idem (12) Gravina scribit) *familiam suæ militiæ armari mandavit, & paratis carrectis, & fergiis igneis* (13), *carnificibusque appositis in eisdem, præfatum Terlicii Comitem in unam carrectarum ipsarum catenis ferreis alligatum, & præfatum magnæ Curiæ Senescallum in altera pone mandavit: præfatum autem Dominum Raymundum nudatis vestibus fustigari mandavit usque ad forum Sancti Eligii de Neapoli, & postea cum prædictis Comitibus igne comburi. -- Ecce ducuntur ad vindictam damnati præfati, & carnifices cum tenaliis igneis carnem eorum absque misericordia sæpe mordentes, & alii corpora eorum fustibus verberantes, per unamquamque Rugam* (14) *Neapolitanæ Civitatis ducuntur, singulis clamantibus a majori, usque ad minimum:* Sic decet proditores singulos vestros pares similiter & pessima pœna plecti. *Aliqui expuebant eis in faciem, alii lapidibus eos cædebant. Dum igitur pervenerunt ad locum, quo ignis erat paratus, licet in eorum corporibus caro modica superesset morsibus tenaliarum ignitarum, Dominus Robertus præfatus paulo ante emiserat spiritum, dictus autem Terlicii Comes vivus adhuc erat. Tolluntur itaque de carrectis, & igni apponuntur, etiam & ii, qui frustati fuerunt. Et dum ponerentur ad ignem, tantus inibi concurrit populus tractatus usforus vindictam, quod omnes furiosi autem corpora eorum viva, & mortua, sicut erant de igne tollentes, gladiis incidebant velut ligna, & projiciebant ad ignem, & multi quidem artifices de ossibus eorum accipientes, aliqui taxillos, aliqui manicas cultellorum fecerunt ad rei memoriam sempiternam.* Hic sceleratissimorum hominum exitus fuit, neque ceteri, ut narrabimus, impunes abiere.

Ludovicus priusquam fratris mortem ulciscatur, Jadertinis succurrere cogitat.

Atque hæc tum plane in Hungariam, & Dalmatiam allata sunt, cum Jadertini a Venetis obsessi suppetias ex Hungaria exspectabant. Cives cognita Andreæ cæde, quo obsequium suum regi probarent, publicum omnibus luctum Senatus consulto decrevere. Ludovicus contra justo dolore commotus, ultionem, & dignas tam atroci facinori pœnas apparabat. Æger tamen animo, &, quam in partem prius arma sumeret, diu multumque anceps hæsit, nam & data Jadertinis fides opere ipso præstanda fuit, & inhumana fratris cædes ad vindictam concitabat: exactis in utramque partem momentis, ejusmodi consilium cœpit, Jadertinis primo, quo posset, tempore succurrendum esse, his liberatis necem Andreæ, quoniam infectam reddere jam non posset, tanto severiori animadversione postea vindicari oportere, quanto majoribus auxiliis post receptos in fidem Jadertinos, Italiam petiturus esset. Itaque Stephano Bosnæ, & Nicolao Sclavoniæ Bano imperia dat, ut obsessis nisi quanto possent militum numero suppetias veniant; ipse Viennam Austriacum contendit, ut conclusis fœderibus, & pacta armorum societate validior Neapolitano regno irrueret.

Et fœdera cum Austriacis renovat.

Erat tum Viennæ Ludovicus quoque Romanorum Imperator, qui quod sacrorum communione a Papa privatus esset, conquirendis ad recuperandum imperium auxiliis sedulo operam dabat. Facile se rex persuaderi passus est, ut non modo ad ineunda contra Joannam & Neapolitanos fœdera animum adjiceret, sed de conciliando quoque inter Cæsaris filiam, & fratrem suum Stephanum, Transilvaniæ tum Ducem, matrimonio diligenter ageret. Quæ consilia cum Pontifex rescisset, dissuadere summo studio per literas conatus est. *Regalem* (inquit) *itaque rogamus magnificentiam, & in Domino attentius adhortamur, quatenus diligenter attendens, quod pœnæ, ac sententiæ per processus promulgatæ prædictos, omnes & singulos participantes, seu communicantes cum Ludovico prædicto, aut ipsum pro rege, aut Imperatore habentes, seu ei respondentes, aut obedientes ut tali, apprehendunt, &*

(12) In Chronica.
(13) Opinor forcipes candentes intelligi.
(14) Nisi ex Gallico rue, quod plateam notat, iterum dicamus, non assequor, quid rugæ nomine veniat.

& ventos includunt, & in serenitate tui nominis, & ejusdem prosapiae vitore regalis nequaquam penens maculam deturpantem, tractatus super iis non admittas, sed eos, si forsan ignoranter admiseris, quamdiu praefatus Ludovicus sic extra communionem fidelium, & gratiam ejusdem Ecclesiae, tanquam putridum, & infectum membrum exstiterit, abjicias, & repellas. Datum Avinione IV. Kalendas Novembris anno IV. (16)

Annus Christi 1345.

His studiis occupatum Pontificem Massilienses Cives libello supplici interpellant, qui, postquam caedem Andreae comperissent, de sicariorum autem supplicio nihildum haberent cognitum, Clementem majorem in modum orabant, ut tam atrox facinus ne sineret inultum abire, sed se pro fide in caesum Andream observantia, & fide vehementer flagitare, quoniam injuriam suo regi illatam, Massilienses suam interpretarentur. Signatus est libellus IX. Calendas Decembris, & in haec verba porrectus. (17)

Massilienses vindictam caesi Andreae

Ad pedes sanctissimi, & beatissimi in Christo patris, & Domini nostri, Domini Clementis, digna Dei providentia sacrosanctae, & universalis Ecclesiae summi Pontificis, ad honorem, & sub litteris illustrissimae Dominae nostrae, Dominae Joannae Dei gratia Jerusalem, & Siciliae reginae, venientes, & consulenti Bernardus Gasqui, Petrus de Cepeta ambassiatores, & Petrus Amelii Notarius, electi, & missi per nobilem virum, Berengarium Andeberti militem vicarium, & generale Consilium, nomine, & pro parte totius universitatis vicecomitatus Massiliae, unctis expositionibus, & dura genibus singulis dictae pontificali beatitudini flexis genibus devoverunt humiliter, & devote, quod, sicut innotuit praenominatas personas universas dictae civitatis regnalis fideles plancibus, & ululatibus tristitiae fuerunt, vir altissimus memoriae recolendae Dominus Andreas Jerusalem & Siciliae rex, reverendissimae dominae nostrae reginae maritus, fuit nuinter in partibus regni proditionaliter, inhumaniter, & nefandissime interemptus, quo eventu tristissimo regnalis honor, & fidelitatis Massiliensis, & aliorum regnalium fidelium radicata devotio plusquam exprimere valeant, injuriantur, laeduntur, & doloribus quippe afficiuntur de tanto innocente Domino viris dati.

Postulant sicarios ad necem.

Unde eidem sanctitati devote, & humiliter supplicant, quatenus scrutari, & reperiri mandare dignetur de casu tam horribili veritatem, & reperta tanquam universalis Dominus provideat punitionem acerbam tali effectu fieri, regulatas metas excedendo, ut convenit contra ultores, & culpabiles quomodolibet dictae mortis, adeo quod, quantumcunque condicta agenda tanto sceleri infestibus, doloribus, injuriis, & offensis, quod dolor aequiparari non possit aliqualiter, licet insufficienter exsequenda punitione satisfiat injuriis, offensionibus, doloribus, & laesionibus ante dictis, quam utique mortem Massilienses universi proprias injurias, & offensiones, clamantes, reputantes, & habentes optant pro desideriis, ut fatiari possint in vindicta mortis tanti Domini innocentis, haberi, & dici singulares ultores, eorum fidelitatem utriusque cum operibus propalantes ad honorem regnalis Celsitudinis, & ventris sui remanentis, ut fama tenet, praegnantis (18), parati se offerentes nomine universitatis praedictae Civitatis Massiliae, ordinationes, & mandata dictae sanctitatis dominae super his, & aliis reverenter exequi, verendo nemini animose.

Praesertim etiam supplicant sanctitati praedictae, ut regnalem excellentiam, & praegnatum suum, quo in Dei potentia speratur tantae promissionis haberi Consolationis levamen, nec non terram, & fideles suos universos, & signanter dictam civitatem Massiliensem habere dignetur in suo favore protectionis, & benedictionis gratiae propitius commendatam. De quibus cum responsione, si quam facere placuerit dictae Dominae sanctitati petierunt dicti ambassiatores per dictum Petrum Amelii Notarium eis conficiendum fieri pro parte dictae Civitatis Massiliensis publicum, & publi-

I 2

(16) RAYNALD. ad annum 1345.
(17) Idem ibid.
(18) Ex hoc Capite non mediocriter eorum opinio videtur confirmari, qui Carolum Martellum, quem Ludovicus in Hungariam ex Italia traduxerat, Andreae posthumum fuisse memorant.

Anno Christi 1345.

blica instrumenta, ut semper pateat, & claveat fidelitas, & devotio hominum prædictæ civitatis Messinæ. Hæc Massilienses, sed ignari prorsus, si non consentiente, certe haud invita Joanna cædem Andreæ, ut ex coævo auctore supra monstratum est, patratam fuisse. Quæ cum passim cædis suspicione infimularetur, parum decori memor, needum deterso viri sanguine ad secundas nuptias, nisi Clemens Pontifex acriter obstitisset, transvolare meditabatur. Sed suus illam quoque ultor a tergo sequetur Deus.

Rex cum Alberto Austriæ Duce novas conventiones celebrat.

Ludovicus interea Viennæ commoratus non solum cum Cæsare, sed Alberto quoque Austriæ Duce foederum tractationi naviter studebat, ut futuræ in Italiam expeditioni viam sibi sensim complanaret. Et quia eorum causa, qui perfidia, aut aliis criminibus notati ex Austria in Hungariam, ex hac vicissim in Austriam profugerant, sæpe lites utrinque intercessere, verendumque fuerit, ne simultates pacem tot colloquiis, & consiliis tandem restitutam corrumperent, mutuus pactio ita utrinque convenit, ut neuter facinorosos homines intra regionem juri suo obnoxiam toleret, & constitutus limitum præfectus, profugos arceat, aut captos exquisito supplicii genere puniat. Tabulæ eam in rem confectæ ita habent. (19)

Nos Ludovicus Dei gratia rex Hungariæ, tenore præsentium significamus, quibus expedit, universis. Quod ad exstirpandum, & prorsus eliminandum omnes, & singulos malefactores de regnis, nostro scilicet Hungariæ, & inclyti Principis, Domini Alberti, eadem gratia Ducis Austriæ, Styriæ, & Karinthiæ fratris nostri karissimi, terris, & dominiis, cum eodem fratre nostro in hunc modum duximus concordandum, tractatibus Baronum, & Juratorum nostrorum utrinque desuper habitis, per nos conclusum, & traditum extitit, quod utrobique in civitatibus, & foris palam proclamari debet, & strictius percipi nostri nomine, quod universi, & singuli malefactores de nostris terris, & dominiis exire debent, & se penitus eliminare de eisdem, ac proxima Dominica subsequenti ante festum Nativitatis Domini nunc instans infra mensem. Sin autem iidem malefactores ultra illud tempus moram in nostris terris, & ipsorum moras fecerint, vel traherent, ex tunc Capitanei, & Judices subnotati, utrobique ad hoc deputati ipsos capere tenebuntur, & debebunt, faciendo justitiæ complementum de eisdem. Si vero dicti Capitanei, & Judices in metis, & confiniis, ut præmittitur residentes, præfatos malefactores non detinerent, & in eo negligentiam committerent, tunc nos, & frater noster Dux Albertus super eo debebimus, & tenebimus emendam statuere, transgressoribus infligendam. (20)

Insuper super damnis hinc inde alterutrum illatis condiximus, quod in festo Purificationis beatæ Mariæ proxime affuturo præfati advocati, & judices convenire debent, ad inducendum de damnis probabiliter, & notorie hinc inde illatis arbitratori nostra ex parte, quod passo sua damna in integram resarciantur juxta arbitrium, & dispositionem subscriptorum, qui per nos utrinque ad præmissa exequenda existunt specialiter deputati, videlicet infra metas, & terminos a danubio usque in Harpergh constituti per nos Comes Paulus de Mertensdorf, & St. Wayvoda Transilvanus, ex parte vero fratris nostri, Ducis Alberti, Ulricus Comes de Pamperg, Eberhardus de Walse de Drosendorph item infra metas & terminos a Bohemia usque ad danubium nostri ex parte deputati sunt, Chenyir de Ugud, & Thomas Nepos Castellanus de Wyvar, ex parte fratris nostri Ducis Alberti, Chunradus Comes de Schowenbergh, & Leutholdus de Chuoring. præterea infra metas, & terminos a fluvio Dra usque ad finis metarum Marchye, Nicolaus Banus totius Sclavoniæ, & Magister Chyko Castellanus de Kerezegh nostri ex parte, & Comes Cyhe Rudolphus, Otto

(19) Ex Tabular. Cæsar. Vienn. apud P. STEYERER S. J. in addit. ad Cap. I. pag. 235.

(20) Hoc loco sequentia interferuntur: *Præterea concordatum extitit benivolentiæ observandum, quod de una integra vasa in monte Deveni situata, nihil plus dari, & solvi præsenti debet, quam media libra denariorum Wyennensium, & urnam pro muneribus, decima, & vera mata, sicut ab antiquo moris fuit.* An Austria in Dewen quidquam fundorum habuerint, an aliud hoc loco intelligendum sit, non assequor.

Otto de Lichtenstein ex parte fratris nostri Domini Ducis predicti: item infra metas, & terminos de monte Harpergh usque ad fluvium Dra ex parte nostri Comes Paulus de Mestendorph, & Nicolaus Palatinus, ex parte vero fratris nostri Domini Ducis Alberti, Ulricus de Walse, & Gotschalcus de Neupergh exsistunt deputati.

Anno Christi 1345

Et si qua dampna infra dictas metas, & limites de novo subvenirentur, quod absit, predicti quatuor ad singulas metas, ut premittitur, per nos utrobique ad hoc nominati convenire debent, ad audiendum, & investigandum, ac ipsa eadem dampna determinandum, & expediendum infra mensem, que si tunc per eosdem determinari, & expediri non possent, nihilominus dampnum passus nullum sibi ipsi talionem facere, nec procurare debet quoque modo, sed dampnum sibi irrogatum ad nostri deferre audienciam debet, super eo emendam a nobis prestolando. Datum Wyenne feria quarta quatuor temporum post diem beate Lucie Virginis anno Domini MCCCXLV.

Hæc quidem hoc anno ab Ludovico gesta: sequente toto animo in vindicandam fratris cædem incubuit, quod ægre admodum ferret, administros sceleris ad supplicium quidem conquisitos, punitosque, quorum complices, si qui præterea essent, sacro fulmine hoc quoque anno Pontifex perstrinxerat, Joannam tamen, quæ fons caputque sceleris fuisse manifestis propemodum indiciis ferebatur, dissimulatione præteriri. Prius arma, quam sumeret, placuit rem jure experiri apud Pontificem, itaque missis ad Clementem oratoribus accusationem in hæc capita contulit. Neminem facile e regia familia a conspiratione immunem videri: Carolum quidem Dyrrachii Comitem, quod coronationem datis ad Talayrandum Cardinalem litteris retardasset, eademque opera ad nuptias cum Maria Joannæ sorore per fraudem irrepsisset, probabili indicio, spe fuisse ductum, ut ad Siculum regnum olim eluctaretur. Robertum autem Tarantinum satis indicare, quo animo sit, dum reginæ matrimonium aperte ambiret: neque Catharinam Imperatricem fraudis expertem publico rumore circumferri, quæ alterutrum filiorum Joannæ connubio jungere meditetur. Oratum se propterea summum Pontificem velle, ne solutis, quæ sanguineos stringunt, legibus, ulli ad ineundum matrimonium veniam faceret, alioquin, si facilem se præberet, eadem, qua illos, suspicione laboraturum, in quem jam pridem vulgi dicacitas proruppisset, quasi ad fratris cædem causam prudens, volensque suggessisset, cum ejus inaugurationem dedita opera tam diu prorogari mandasset. Itaque sperare se, facturum pro æquitate sua Pontificem, ut exauctorata Joanna, quæ maxima omnium fraternæ cædis causa exstitisset, regnum Siciliæ ad Stephanum fratrem, quem haud pauci Optimates ad capessendam rempublicam per nuntios exorarint, devolvi pateretur. (1)

1346. Joannam & Dyrrachinos Principes de patrata cæde apud Papam arguit.

Clemens, quod videret a cæde fratris ægrum adhuc Ludovici animum, neque porro irritare, neque omnia indulgere, quæ petebat, constituit, tum, quia se etiam obliquè peti non obscure intelligeret, ad singula suis capitibus distincta in hunc modum regi respondit. (2)

Respondet Pontifex, & iratum placare nititur

Clemens - - Ludovico Regi Ungariæ illustri.

Super eo, quod postulas, ut tibi, & prefato Stephano, germano tuo, prefatum regnum Sicilie dare, & locare velimus, breviter respondemus, quod, licet desideremus tibi, & dicto germano tuo, quantum cum Deo, & rationabiliter possemus, ipsis presertim temporibus, quibus vobis, sic dure afflictis, compatimur, complacere: attamen scire potes, & debes, fili dilectissime, quod hoc facere sine Dei offensa, & lesione justitie proficiabiliter non valemus. Cum enim dicta Joanna regina Sicilie, ad quam dictum regnum, hereditario, & successionis jure pervenit, in possessione pacifica dicti regni exsistat, pro quo nobis, & Ecclesie Romane fidelitatem, & homagium ligium prestitit, & investituram ipsius a nobis recepit, prout predecessorum suorum tempore exstitit observatum, non dum de dicto scelere convicta sit aut confessa, nec judicialiter dicto regno privata, vel quod dictum regnum perdiderit

(1) RAYNALD. ad annum 1346.
(2) Idem ibidem.

Anno Christi 1346.

declaratum, & ob hoc nondum sit certum, prædictum regnum ad nos, & Romanam ecclesiam ob causam hujusmodi, vel alias devolutum, videat, & prudenter attendat, quæsumus, regia Celsitudo, quomodo id, quod ipsa regina, tanquam domina, possidet, & quod adhuc nostrum esse non apparet, nec ad manum nostram, & Romanæ ecclesiæ pervenisse, possimus tibi concedere, & in hoc cum alterius injuria, & læsione justitiæ complacere.

S. Joanna criminis convicta fuerit, promittit regni Siciliæ...

In hoc autem fiduciam te volumus habere, quod, si dictam reginam de nece prædicta culpabilem reperiri, & ob hoc regnum ipsum ad nos devolvi contingat, super quibus & aliis supra dictis, si vias aliquas apertas, justitia, & ratione suffultas, res, quantum cum Deo, & justitia fieri poterit, favorabiliter admittemus ad te ennn, & germanum tuum prædictum, directis de domo Siciliæ procedentes spiritualem, & paternam considerationem habere intendimus, & inter alios tam ex causa prædicta, quam in consolationem defectibus tuorum, favorem apostolicum sine alterius præjudicio exhibere - - - - Porro super dispensatione matrimonii dictæ reginæ, super qua nihil tibi scripsisse reperimus, pro qua non sine devotione supplicasti, rescribimus, quod licet pro obtinenda dispensatione prædicta multoties, & a multis magnæ auctoritatis viris nobis fuerit supplicatum, attamen supplicationem hujusmodi noluimus exaudire, nec ad concedendam dispensationem hujusmodi intendimus properare, nec ad ipsam faciendam procedere, nisi justæ & rationabiles causæ subfuerint, quæ ad concedendam dispensationem prædictam movere merito debeant sinceritatis Apostolicæ puritatem.

Se ipsum suspicione purgat.

Illud namque non omittimus, quod mirari non debes fili amantissime, neque nobis aliquid imputare, si negotium coronationis Andreæ, fratris tui prædicti non per annos, ut scribis, sed per menses aliquos est dilata. Scis enim, quod negotium de se erat arduum, insolitum, & non clare sub juris regulis limitatum, propter quod, utrum de jure hoc posset fieri, multi magnæ auctoritatis viri probabiliter dubitabant, asserentes, quod Coronatio magis ex gratia, quam justitia dependebat & super ordinandis cautelis, quæ in Coronatione adhiberi debebant, non modica fuit altercatio, prout negotii qualitas exigebat. Et ideo tam ex iis, tum etiam, quia ambassiatores tui super protensione coronationis fiendæ vias varias tetigerant, quæ deliberatione haberent necessario prorogare, cum etiam propter diversa negotia, ad sedem apostolicam undique confluentia, quæ intermitti totaliter non decebat, negotium coronationis prædictæ aliquamdiu extitit necessario prorogatum.

Denique fili Charissime! mirari cogimur, quod celsitudo regia dilectum filium nostrum Taleyrandum tit. S. Petri ad vincula Presbyterum Cardinalem de sceleratæ neci germani tui conscium litterarum prædictarum serie diffamasse licet enim ipse in negotio dicti regni Siciliæ pro nepotibus suis interdum institerit, eorum justitiam allegando, & pro eorum promotione sine juris alterius præjudicio, jure in ipso negotio procedendo, non debuisti propterea, vel quovis alias existimare, quod idem Cardinalis, qui de præclara, & antiquo genere trahens originem, magna probitate, & litterarum scientia existit præditus, & multiplicibus virtutibus insignitus, tanti sceleris conscius fuerit, vel ei dederit auxilium, consilium, auxilium, vel favorem. Nam, ut cum veritate loquamur, audita nece prædicta, indicia evidentia, sicut patenter vidimus tristitiæ, & doloris ostendisse. Cessante igitur, quæsumus, apud te suspicione prædicta, quæ caret procul dubio veritate, credas, quod prædictus Cardinalis in prædicti regni, vel quocunque alio negotio, nihil sinistre ageret, quod divinam crederet offendere majestatem, aut maculam in gloriam suam poneret, vel suam, & domus suæ nobilitatem aliqualiter denigraret. - - - Postremo serenitatem tuam rogamus, obsecramus, & in Domino exhortamur, quatenus progenitorum tuorum clara sequens vestigia, qui tanquam benedictionis filii devotione purissima Romanam Ecclesiam, matrem suam sunt singulariter professi, considerans quoque favores, & beneficia, quæ progenitores tui reges Ungariæ ab eadem Ecclesia receperunt, in devotione ejusdem ecclesiæ studeas perseverare constanter, & ipsius, tanquam piæ matris, consiliis, & beneplacitis te coaptans, nihil minus sano ductus consilio attentare procures, quod possit in offensionem Dei, & prædictæ ecclesiæ redundare. Datum Avinione II. Idus Martii, anno IV.

Qui

Annus Christi 1346.

Quibus litteris tametsi non nihil Ludovicum detulisse constet, tamen postea, quam fraternae cadis dolor novis injuriis irritatus recrudisset, causam acerrime adversus Joannam instaurasse memorabimus. Nunc sedato tantisper animo ad liberandam fidem, quam Jadrensibus obstrinxerat, magno studio sese comparabat. Praemiserat anno superiore Bosniae, ac Sclavoniae Banos, qui obsessis civibus adversum Venetos auxilio essent. Sed illi illorum auro corrupti ita ostentanter rem militarem administrabant, ut Veneti perruptis catenarum repagulis, quibus portum, urbemque, qua mare respicit, tutum hactenus Jadrenses praestitere, castrum S. Damiani, unde urbs lacessi maxime quam poterat, occuparent. Ea re cives vehementer consternati, haud leve solatium ex Ludovici litteris, quas anno quidem priore exaraverat, reddi tamen ante mensem Martium non poterant, accepere, quibus eos, ut in fide constantes essent, adhortatur, seque haud multo post certissimum obsessis auxilium allaturum recipit. *Ludovicus Dei gratia rex Hungariae fidelibus suis, Judicibus, Rectoribus, Consilio, & Communi Civitatis Jadrae salutem, & gratiam plenam. Noverit vestrae Communitatis fidelitas, Nobiles viros, Ene de Fanfignis, Paulum de Grubogna, & Franciscum de Georgio, ambasiatores, & consocios vestros simul cum litteris vestris tractabiliter, & favorabiliter recepisse, ambasiatamque, & legationes vestras plenius audiendo intellexisse, quas super facto vestrae Communitatis fidelitatis sic providimus respondere. Petentes, & exhortantes ut in ipsa fidelitate nobis, & sacrae coronae impensa, &, ut firmiter credimus, impendenda constantes sitis, viriliterque perseverare velitis, & studeatis. Nos enim praesentibus promittimus, Communitatem vestram contra vos insultantes, & rebellantes cum gente nostra, & pro potentia nostra vos defensabimus, & protegemus. Ac ipsi in proximo, quo commodius poterimus, contra vestros aemulos propria persona ob defensionem vestri, Deo coadjuvante, properabimus, medio tempore, quoties necesse fuerit, de vestro statu, liberatione, & per nuntios, ut exinde certi instruamur, nos opportunius informare velitis, tamen praeter hoc statum Communitatis vestrae nunquam de secretario cordis nostri excedere dubitetis. Data in Vissegrad in festo S. Sylvestri PP. MCCCXLV.* (3) Neque segnius, quam pollicitus fuerat, toto regno tam frequentes militum delectus haberi jubet, ut exeunte Aprili cum centum millium exercitu, sed maximam partem ex equitibus conflato, Sclavoniam ingressus, Jadertinis suppetias properaret. (4)

His non absolutis in Venetos movet.

Eique Jadertinis periturus significat.

Veneti, quo magis rex Dalmatiae appropinquare ferebatur, tanto acrius obsidionem urgebant, ut urbe prius potirentur, quam Ludovicus sesqui fere annum laborem adventu suo inutilem redderet. Itaque quassatam machinis aliquot dies urbe assultum in XVI. Maji indicunt, quem ut sibi faciliorem redderent, triginta sex triremes portui succedere jubent, quae ex praegrandibus turribus interea, cum ceteri assultum molirentur, millibus telis muros defensoribus nudarent. In comparatis rebus cum praestitutus dies illuxisset, incredibili studio Veneti in moenia impetum faciunt, temereque magis, quam fortiter intrepidarem eluctantes miserabili strage caeduntur, tantaque tanta Jadrensium eo die virtus, & alacritas, ut protracta in longissimum tempus pugna, caesisque hostium octingentis, Venetos non modo a moenibus arcerent, sed clade suorum praeterea attonitos ex continente in naves effusissima fuga exigerent. Non dum undecimus a victoria dies effluxerat, cum Ludovicus septimo ab urbe lapide cum exercitu consistit. Tam propinquus hostis Venetos mire consternavit, neque quem in modum oppugnanda porro urbs, sed defensio adornanda, solicit, castrum multo suorum sanguine occupatum, novisque communitum operibus, summis viribus tuendum accipiunt, quod eo salvo, & incolumi usque ab obsidione se arceri, neque urbem, si rex cum exercitu adveniret, penitus liberari posse intelligerent.

Veneti obsidionem urgent.

Ludovicus, postquam miles ab itineris taedio levatus esset, cum duobus praetorianorum millibus, partim ut hostem specularetur, partim ut obsessos adventu suo recrearet, Jadrae appropinquabat. Cives ad urbis pomoeria venienti ob-

Rex propius Jadrae succedit, & praelium decernit.

(3) Anonym. de obsid. Jadrensi Lib. II. Cap. V.

(4) Anonym. de obsid. Jadrensi Lib. II. Cap. V.

Anno Christi 1346.

obviam effusi, ingenti gratulatione regem salutant, clavesque Civitatis, quo certissimum fidei suæ argumentum darent, offerunt. Ille comiter, ac hilari vultu acceptos a fortitudine, & constantia collaudat, initoque cum Patriciis consilio, Castrum, quod Veneti cum selectis propugnatorum militibus insederant, omni conatu oppugnandum decrevit, eamque ob rem exercitum propius mœnia jubet succedere, aperte professus, non prius se urbem ingressurum, quam hostem ab ea ejecisset. Jadrenses ob militarem regis animum mirifice læti eductis machinis, quas bis mille equites Hungari, & octingenti Jadertinorum pedites tutabantur, omnia ad oppugnandum Castrum necessaria tanto diligentius apparant, quanto certiores fuere, urbem, si hostem ex eo receptaculo proturbarent, penitus liberatum iri. (5)

Venetorum Legatis a Ludovico rejectis, clam cum Ducibus exercitus agunt, eosque corrumpunt.

Veneti contra, ubi, quod Jadrenses cum rege molirentur, comperissent, veriti ne numero opprimerentur, missis ad Ludovicum legatis colloquium exposcunt, quo de induciis, aut pace, si æquis conditionibus posset confieri, ageretur. Legati a rege illiberaliter rejecti, clam Stephanum Bosnæ Banum, & Laczkovichium Vayvodam, quorum arbitrio fere Ludovicus exercitum crediderat, adeunt, multisque precibus, pollicitis, & auro, fortissimo omnium inter militaria argumento, expugnatos in suas partes pelliciunt, eâ, si ab exitu conjectura capienda sit, conditione potissimum obstrictos, ut, cum a Jadertinis Castrum oppugnaretur, ipsi quæsitis dedita opera diverticulis, quæ in ejusmodi rerum eventu nunquam desunt, conniverent, ac dum ad manus veniretur, præsidio destitutos Venetis proderent. Jadrenses earum, quæ Legati cum Hungarorum Ducibus clandestina concione, nec conscio rege, gessissent, ignari, Calendis Julii cum tribus millibus & vexillo S. Chrysogoni urbe egressi castrum eminus machinis quatere incipiunt, sensimque loco appropinquantes strenuissime rem communi etiam gerunt; jamque injecto in turrim, ex qua maximum detrimentum acceperant, igne ad ceteras flammis quoque corripiendas, & victoriam grassabantur, cum Veneti sex peditum millia, cum sexcentis equitibus repente castro emittunt, factoque impetu Jadrenses pugnando jam lassos adoriuntur.

Hinc Jadrenses, etsi primum victores essent, Ducum fraude in urbem cum clade rejiciuntur.

Illi nihilo fractiores præliium ingentibus animis instaurant, spe freti, Hungaros, quos rex Bosnæ Bano, & Lacskovicio ad juvandos socios tribuerat, in suppetias advolaturos. Sed hi Ducum imperio ab armis abstinere jussi, magno dolore, & fremitu Jadrenses premi, magnaque clade mulctatos in urbem repelli coram intueri cogebantur. Jadrenses pudore, iraque ex æquo acti, quando nihil sibi præsidii in tanto Hungarorum exercitu superesse intellexerant, Ludovicum adeunt, paucisque de perfidia Ducum questi orant, ut offensos sibi Venetos conciliare ne gravaretur, obsidionem tolerari porro non posse, quam autem irata victoribus, & dominis osori essent, regem facile intelligere. Ludovicus, an ex Ducum suorum consilio, an aliam ob causam, incertum est, Legatos propterea ad Venetiarum Ducem expedit, qui Cives pristino gratiæ loco restituere omni conatu satagerent: sed cum istorum opera frustra fuisset, rex, sive pudore infeliciter tentatæ rei actus, sive suorum perfidiæ iratus, Vranam primum, tum in Hungariam trigesima die Julii

Ludovicus re infeliciter patrata in Hungariam redit.

angloena domum redit. (6)

Incertum quas ob causas bellum distulerit.

Sunt, qui Ludovicum animo in res Siculas, ad vindicandam fratris cædem intentum, remissius, quam oportuerat, bellum administrasse, aut Venetis studuisse etiam, ut iis ad expeditionem Italicam, quam multo ante designatam habebat, sociis uteretur, in litteras retulerunt. Sed de regum consiliis, ut clam pæne omnibus sunt, neque semper ab eventu æstimari possunt, ita, quod certum sit, pronuntiare difficile est. Quidvis horum fuerit, illud exploratum est, Ludovicum ad castigandam Joannam reginam nervos omnes contendisse, præsertim quod novam hoc anno injuriarum materiam suppeditaret, dum puerum, quem ex Andrea susceptum a viri cæde enixa est, Carolum Martellum dictum, quasi sua cura indignum, aliis

Elisabetha Joannæ litem apud Papam intendit.

haud satis ex regio more educandum credidit. Qua re graviter commotam Elisabetham reginam, Andreæ matrem ferunt, dataque ad Pontificem litteris, magnopere petiisse, ut, nisi videri vellet, feminæ, quam publica fama ream criminaretur, præter fas patrocinari, gravissimis pœnis in eam animadverteret, alioquin non desi-

(5) Anonym. de Jadertin. obsid. Lib. II. Cap. VII & seqq.
(6) Idem ibid. Cap. XI.

defituram crudelem mulierem, donec filium quoque, quem ex viro fufceperat, eodem, quo patrem, mortis genere e vita exturbaffet. Quo minus Elifabethæ Pontifex in omnibus, quæ poftulabat, morem gerere poffet, in hæc verba caufam reddidit. (7)

Anno Christi 1346.

Clemens -- Chariffimæ in Chrifto Filiæ Elifabeth Reginæ Ungariæ illuftri

Quia, ficut alias fcripfiffe magnitudini tuæ meminimus, juris non patitur æquitas, nec ratio perfuadet, quod executio cognitionem præcedat, mirari non debet tua circumfpectio, nec eft horrendum auditu, fi Joanna, donec convicta, & condemnata de jure fuerit, removeatur regina, immo fi fieret aliter, vel regni adminiftratio, quamfaque per fententiam illo privata exifteret, amoveretur ab ipfa, & concederetur alteri, eidem irrogaretur procul dubio injuria manifefta. Et quamvis credas, filia præchariffima, impoffibile, & apud aliquos difficile afferas reputari, quod infra regnum Siciliæ poffet dicta juftitia miniftrari, fcire tamen tuam prudentiam volumus, quod Ecclefia Romana prædicta majora, & magis difficilia, quam fint ifta, & in illo regno, & in aliis fecifle nofcitur, & ad effectum plenariæ deduxiffe. Et quomoquam modus, quem dicta Joanna mortis tempore, & poft mortem dicti Andreæ regis, viri fui, fertur obferviffe, commendandus procul dubio non exiftat, fcire tamen debet tua excellentia, quod Ecclefia Romana prædicta, quæ veritatem quærit, & juftitiam in omnibus factis fuis non confuevit, ficut nec debet, præfertim in tanto cafu, ex præfumptionibus judicare. Porro fuper cuftodia pueri fupra dicti (Caroli nempe a Joanna ex Andrea fufcepti) *diligentiam, quam potuimus, adhibere fecimus hactenus, & facere intendimus, ac fuper hoc, cum rem noftram, & ejusdem Ecclefiæ reputemus agi principaliter in hac parte, venerabilem fratrem noftrum Hildebrandum, Epifcopum Paduanum, fpecialiter ut ordinetur, quod tuæ curæ, ac cuftodiæ tradatur dictus puer, vel alias taliter ordinetur de ipfo, quod cujuscunque periculofæ fufpicionis tollatur materia, ducimus deftinandum; intendentes ea, quæ fuper his quomodolibet fecerit, excellentiæ tuæ abfque moræ difpendio nunciare, ac ulterius juxta [illegible] provifionis confilium ordinare [illegible].*

Non omittimus refcribendum, quod, quamvis regnum Siciliæ de directo dominio noftro, & Ecclefiæ Romanæ prædictæ fit, & omnes regnicolæ fub noftra, & ejusdem Ecclefiæ generali protectione confiftant, tamen dictus Andreas rex fub alia protectione noftra fpeciali nequaquam exiftit interfectus, immo, ficut alias fcripfimus, pro confervatione vitæ fuæ, ac augmento honoris, & ftatus fui, tam mittendo ad partes illas Venerabilem fratrem noftrum Guillelmum Epifcopum Carnotenfem, quam alias diximus, adhibuimus diligentiam, quam potuimus, laborando. Nec fanguis ejus innoxius propter noftram, & Ecclefiæ negligentiam, ficut præmiffum eft, remanebit inultus, cum fimus, & fuerimus parati, juftitiæ debitum, prout ad nos pertinet, exequi, nec nobis a Deo, vel hominibus poterit imputari. Rogamus itaque ferenitatem tuam regiam, & in Domino attentius exhortamur, quatenus fuper prædictis, & aliis decretis, & ejusdem fidei beneplacitis fe conformans, hujusmodi refponfiones noftras benigne recipias, & mature, certam de nobis, & fede prædicta fiduciam habitura, quod circa juftitiam de prædictis faciendam, & eorum patratoribus tam per dictum Legatum, qui fe feftinanter præparat, & difponit ad regnum profecturus prædictum, quam per præfatum Comitem, ac alios, & alias, ficut melius fieri poterit, miniftrandam adhibere operofæ follicitudinis diligentiam faciemus, & fuper his, quæ tui, dictorumque nutorum tuorum, & domus prædictæ regiæ incrementa commodi refpiciunt, & honoris, reperiemur, quantum cum Deo fieri poterit, propitii, & benigni. Datum Avenione XIV. Kalendas Augufti, anno V.

Haud multo poft, quam litteras Pontifex ad Elifabetham exaraffet, Legatus, cujus illuc meminit, Neapolim pervenit, ut quæftionem de parricidio in Joannam, ceterosque Principes, qui cædis fufpicione laborabant, haberet; fed parum liberaliter acceptus, five dignitatem fuam lædi ex eo capite putarent, feu quod potius

Restinet Pontifex.

Legatus Pontificius frustra quæstionem in Joannam exercere tentat.

K

(7) Raynald. ad annum 1346.

Anno Christi 1347

tus reor, sceleris patrati conscientia asti vererentur, ne publico testimonio vulgata fama confirmaretur, re, cujus causa venerat, infecta Beneventum discessit.

Renovato cum Austrius foedere

Abhinc Ludovicus bellum toto animo in Joannam spirabat: cui ex sententia conficiendo cum socios armorum quaereret, Viennam sequente anno ad Albertum Austriae Ducem adit. Aderat Ludovicus quoque Bavarus cui paucos ante annos exauctorato Carolus Marchio Moraviae, & Joannis Bohemiae regis filius, hoc anno Caesar oppositus fuit. Quid in conventu Viennensi actum sit, non constat, illud a vero non abhorret, Ludovicum, quod in exercitu Neapolim traducto multos ex Germania stipendiarios haberet, egisse cum Bavaro, & Austriaco, ut ad instans bellum Italicum subsidiarias cohortes adjungerent. (8) Qua re, num sibi, rebusque suis rex consuluerat, an contra, dum habitus cum Ludovico Bavaro sacrorum communione privato contumbus Pontificem irritaret, alii existiment. Fortasse, ut res humanae sunt, res in Italia deinceps gestae, magis ex sententia cessurae erant, si Clementem potius, cui Sicilia fiduciario jure obnoxia fuit, quam Bavarum in foederis communionem pertraxisset.

Delectus Italicam expeditionem haberi jubet.

Vienna Posonium, ac in Hungariam redux reliquum ante tempus habendis militum delectibus, ac scribendis supplementis dedit: tum ne, quo eventu expeditio suscipi posset, nesciret, Nicolaum *Kontz* in Italiam mittit, qui, quo animo Optimates, & populi comparati in Hungaros essent, referret. Advenerat Nicolaus Aquilam, cujus praefecturam Italus cognomento Lalla, vir prudens, ac Andreae, cum vixit, deditissimus gerebat: ex quo cum intelligeret, non modo Aquilam, sed ceteras quoque Neapolitani regni urbes praecipuas in fidem Ludovici nullo negotio concessuras, regem continuo per literas edocet, ut profectionem, quamquam futuram jam adesset, maturaret, prona ad occupandum regnum omnia videri, neque occasionem, si tempus inutili mora corrumperet, rei ex sententia gerendae alias facile redituram. Ludovicus, constitutis domi rebus, haud multo moratus cum ingenti exercitu, magnaque alacritate facta per Carnos via, & vindictae solatio, spe & petitudi nobilissimi regni delibutus magnis itineribus in Italiam properabat. (9)

Pontifex inutamentis belli verita tertius Carolum Martellum Andreae et filium heredem regem declarat

Pontifex de Ludovici molitionibus edoctus, ne insons populus ob paucos criminis patratores belli aerumnis implicaretur, placandum regem censuit, misitque Neapolim Cardinalem Bertrandum Legatum Apostolicum, qui ordines ac Principes regni, si Joanna sive instantis periculi metu, sive sceleris conscientia adacta regno cederet, aut fato defungeretur, in Caroli Martelli, Andreae nati verba jurare cogeret, tum Ludovico obviam, proficisceretur, ageretque, ut iratum, & vindictam spirantem ad mitiora consilia flecteret. Haec cum Neapoli Legatus ex sententia gereret, Joanna & sui, quorum fides haud satis sibi perspecta fuit, & hostem adventantem verita, ad adsciscendos armorum socios magna cura, & studio incubuit. Erat inter praecipuos Carolus Dux Dyrrachii, quem in periculosas acerbissimam quaestionem exercuisse narravimus, qui quod Mariam sororem Joannae in matrimonio haberet, auctoritate, & potentia magnum, in quamcunque partem se daret, momentum allaturus valebatur. Hunc promisso Calabriae Ducatu, cui hominem dudum inhiare norat, astuta mulier in suas partes facile pellexit: tum, ut Ludovicum, qui Italiae limites cum exercitu jam tenere nunciabatur, placaret, & criminationem, qua se apud eum laborare intellexerat,

Ludovicum Italiae appropinquantem Joanna litteris convenit

amoliretur litteras regi in hanc sententiam scripsit. (10) *Audio multos narrare, quod interemto viro, fratre tuo, de parricidio supplicium nullum sumserim. Quid est autem, cur populus tanti sceleris ream me faciat, cum Andream (11) regem, virum optimum, & perdite amaverim, & ipse mecum sine querela, quamdiu vixit, versatus semper fuerit? Sed quibus suspicentur actus hominum, id tibi in primis velim*

(8) Albert. Argent. pag. 139. Et Chron. MS. Duc. Austr. Bibl. Caesar. lod. ad an. 1346

(9) Joann. Archidiac. in Chron. Cap. IX. & X.

(10) Scipio Mazzella in vitis regum Neapol. edit. neapani M DXCIV sed stylus suadet auctoris potiar verbis adornatam, quam autographam esse.

(11) Epistola errore tollens Scriptoribus familiari, Andreassum dicit.

lum persuaderi, nec & ignoratione Sicariorum, & rerum difficultate maximam hanc injuriam, mihi illatam, ulcisci non potuisse, eoque animo amantissimi viri necem tulisse, ut a dolore exanimata iisdem vulneribus pene conciderim. Vale. Ludovicus mulieri, quod caussam prope afflictam tam impudenter litteris tueri pergeret, vehementer iratus in hæc verba respondit. (12) *Impudica vita, quam jam pridem duxisti, occupatum regnum, neglecta vindicta, vir alter susceptus, & excusatio subsequens, necis viri tui probant noxiam te prorsus fuisse, proinde Deum immortalem scelerum vindicem superesse memineris. Vale.*

Anno Christi 1347.

Nihilo felicior Bertrandi Cardinalis conatus fuit, qui, dum regi cum exercitu adventanti occurrens, censuras a Joanne XXII. Siciliam invasuris, statutas objiceret, responsum ab Ludovico accepit curaturum se, ne Ecclesia suo adventu quidquam detrimenti pateretur, ceterum caussæ suæ æquitatem, Deo auspice, armis quoque defensurum, si juri locus non daretur. Simul Quinque Ecclesiensem Episcopum cum copiarum parte præire jubet, cui postquam se Fundorum Comes, multæque Italorum cohortes ære conductæ junxissent, pleraque oppida deditionem fecere. Itaque Ludovicum per litteras Episcopus edocet, ut ad certissimum triumphum, regnique amplissimi possessionem provolaret, regem, si tempore uteretur, ab omnibus salutatum iri. Joannam quidem novo Pontificis edicto in regni administratione confirmatam esse, sed, quod pacem cum Ludovico Tarentino regni juribus perniquam confecisset, a provincialibus captam, & in carcere inclusam teneri.

Eo nuntio rex mirum in modum recreatus viam Utino, ubi hoc enim cum exercitu magnis itineribus jam pervenerat, Paduam maturavit. hic obviam Ducem cum octingentis equitibus habet, cum quo conciliata foederibus amicitia Veronam quarto idus Decembris tenuit. Inde prætervecta Ferraria Mutinam ingressus a Philippo de Gonzaga Mantuano honoris caussa salutatus est, ab cujus comitatu, & centum quinquaginta, quos duxerat, equitum satellitio stipatus per Bononiam, & Ariminum profectus, vigesima Decembris in Fulginatem agrum copias traducit, & fesso mihi quietem cantisper indulsit. (a) Hic a Florentinorum Legatis, summis Reipublicæ viris, Antonio Baldinaccio, Ottone Altovita, Thoma Corsino, Francisco Strozzio, Simone Peruzzio, Antonio Albizzo, Joanne Mediceo, Gerardo Bordonio, Paulo Boccucio amplissima honoris significatione, oblatisque muneribus excultus, ac Italiæ servator appellatus est. Rex actus humaniter gratus, & amicitiam, si illius aliquando usus foret, pollicitus, dimissis cum honore Legatis, versus Aquilam, Neapolitani agri urbem, profectionem mihi induxit. (b)

1348.

Hæc inter Joanna ex carcere elapsa facile veniam a Pontifice obtinuit, ut sibi, soluta consanguinitatis lege, Ludovico Tarentino nubere liceret, sive gratum ea re, mulieri, quæ sibi urbem Avinionem vendiderat, referre vellet, seu, quod uterum ex Ludovico prius, quam illi ex ritu Ecclesiæ jungeretur, ferebat, famæ illius consultum iret. Utrumvis sit, Ludovicus Hungarus adeo rem graviter tulit, ut, dato ad profectionem signo, bellum omni abjecta mora in Neapolitanum regnum inferre meditaretur. Ducebat ingentem secum exercitum, ex Hungaris, Cumanis, & Teutonibus conflatum, cumque prona omnia, quacunque iter faciebat, reperisset, armorumque socios Malatestam de Malatestis, & Franciscum de Forlivio cum subsidiariis cohortibus accepisset, Beneventum incolumis tenuit. Hic Tarentinus cum Joanna ingenti metu perculsi, ut vim vi repellerent, aliorum clientelas, & societatem diligentissime conquirebant. Sed cum plerique in regis Hungariæ arbitrio se futuros diserte edicerent, & Carolus præterea Dyrrachinus, relicta Joanna, ad Ludovici quoque partes transisset, abjecta salutis spe, fugam, si Ludovicus ingrederetur, arripere statuerunt. Consilium ad paullum post allatus Nea-

K 2 polim

(12) Idem Marzella loc. citat. Exstat quoque apud Pandulphum Collenutium Hist. Neapolit. Lib. V. sed variatis verbis.
(a) Joan. Villanus Lib. XII. cap. 106. Apud Murator. Tom. XIII. Script. rer. Ital.
(b) Idem. cap. 107

Anno Christi 1348.

polim rumor, Hungaros Capuam jam advenisse, maturavit. Joanna hoste tam propinquo verita, ne in victoris manus incideret, conscensa, quam ad eum usum paraverat, triremi inter muliebres ejulatus, in Provinciam cum viro celerrimam fugam corripuit. (13)

Vix ex portu solverat, cum Ludovicus secundis castris ad Aversam constituit, ubi postridie a Principe Tarentino, Carolo Duce Dyrrachii, qui magna Optimatum, & militum corona stipati honoris causa occurrerant, salutatos, urbem cum regno in clientelam accepit. Rex, quamquam loci praesentia fraternae caedis, ac vindictae admoneretur, tamen dissimulato tantisper dolore, Proceres comiter habuit, Carolumque in primis Dyrrachii Ducem, quem caeso fratri victimam designarat, familiariter complexus, ut fratres suos, qui Neapoli interea resiterant, adesse eodem juberet, orabat. Carolus nihil fraudis tam populari regis benevolentiae subesse ratus, utrumque fratrem per nuncios accersit, qui tanquam futuram cladem animo praesagirent, invidi, ac tertium vocati adfuere. Ludovicus, postquam omnes ex regia prosapia in potestate habuit, concitis seorsim Hungariae Proceribus, sententias omnium rogabat, quid sibi in tam ambigua re faciendum consulerent. Archiepiscopum enim Neapolitanum auctorem sibi fuisse, ut, si regno sine turbis, & factionum studiis potiri vellet, Carolum morti dederet, ceteros in Hungariam abductos honesta custodia observari mandaret. Erant plerique, qui regem a tam crudeli consilio ad mitiora reflectere moliti sunt, Carolumque eo fato minime dignum videri dicerent, quod & parricidii reos exquisitis cruciatibus affecisset, & Ludovicum primus omnium ad capessendum Siciliae regnum evocasset: ad haec publicam fidem haud leviter laesum iri, qua fretus, Dux ingenti Nobilium Comitatu Regem officii causa salutatum venisset. Fraternae tamen caedis dolor, & paucorum, quibus publica quies, nisi caeso Dyrrachino, conservari non posse videbatur, sententia praevaluit. (14)

Hoc decreto, Principes coenatum invitat

Itaque decreta Caroli morte rex Principes coenatum invitat, cumque omnes condicto tempore, & loco adfuissent, mira singulos humanitate, & laetitiae significatione complexus, dedita opera in longam noctem convivium protraxit, tum, ubi hilaribus, ut fit, sermonibus promiscue omnia fervebant, Ludovicus, ut Gravina in Chronico scribit, composito repente ad severitatem vultu, Carolum ferociter intuitus in haec verba alloquitur: *Impiissime Dux Duracii, sua te in manibus nostris esse, tuorum meritis peccatorum, teque mortuorum proditoris addebis, quos egisti; sed prius, quam morti tradaris, constitere ore proprio prodimenta parata erga nostram regiam Majestatem, ut ore proprio confessione probabitur, nullius alterius testimonio requirendo propter suspectas proditiones commissas. Die erga nobis Dux, quare tractatu tuo, operante Cardinali Petragoricensi, avo tuo, in Romana curia Ducis Andreae, nostri germani, coronatio fuit dilata, unde sequutum est, quod regia sibi potestate sublata, fuit crudeliter interemtus vere tam vili. Et siquidem negare volueris, hoc non fuisse per te peractum, ecce, quas sigillo tuo litteras tu subscripsisti, licet clam scripseris, in publico te accusant. Item bene nosti, quod ex testamento recolendae memoriae Domini proavi nostri, Regis Roberti, Mariam suam neptem, quam fraudulenter tibi traxisti, sociasti, nostra consilio fuerit constituta. Tu ergo fallaci ductus audacia illam tibi ausus fuisti suscipere in uxorem. Quod si negare volueris nequaquam poteris, quoniam evidenter apparet, nec ulla causa legitima te excusat. Aliud etiam enormius commisisti proditionis delictum, quod super te furorem nostrum vehementius provocavit. Quoniam, ubi post mortem nostri germani te in persecutione proditorum interfectorum ejus te promisisses ostendisse, vindictam asperrimam facturis de eisdem, ob quam rem pro praeceptis commissis erga Majestatem nostram, taliter vinum forsitan invenisti, qua nobis scripseras sub falsa fide tua, nos venire debere in regnum, quod tu una cum aliis Comitibus tuae sequelae introducere nos volebas in illud, quodque proditores singulos in manibus nostris dares, quomodo proditorie praefregisti, Civitatem nostram Aquilae, in qua spem nobis dederas primi nostri*

Interrogat, Dyrrachino crimina objicit.

(13) GRAVINA in Chronico laudato. Et Joan. ARCHIDIAC. cap. X.

(14) GRAVINA in Chronico.

Annus Christi 1348

nostri ingressus in regnum, contra Dominum Lalium, aliosque fideles nostros de mandato Johannae reginae tuae exercitum congregare - in hoc paruit tua proditio manifesta, cum, quod primo consulenter scripseras, me venisse, eadem consequenter paraveras, ubi sub fide tua venissem, nos, si potuisses, occidere. Et, ut credimus, non ad aliud nos ad regnum tuis literis evocasti, nisi quod Ludovicum, & Johannem, aliosque consobrinos bonos nostra potentia conculcares, vel penitus ejiceres ex hoc regno, ut solus quidem cum tuis fratribus Dominus remaneres, & successive nobis etiam mortis prodomenta parares, aut nobis forte ad regna nostra redire volentibus, tuis ejectis hostibus nostrum restantem in hoc regno vicarium - - occideres, aut a regno fugares, ut exinde tuis fugatis hostibus, & nobis ad regna nostra secessis - - - in hoc regno solus dominus superesses. Sed tamen cogitatio fuit, cum nostrum nuncbe valens consilium devidere.

Criminationis capita refellentem.

Hæc rex attonitis omnibus, & Carolo imprimis consternato, qui postquam animum a metu non nihil revocasset, criminationem in hæc verba, eodem Chronographo teste diluit. *Domine rex! video tristum vestrum in me ferocem, ex quo pateo, & tabesco. Supplico igitur reverenter, ut, siquidem erga vos videor deliquisse, mei misereri velitis, quoniam novit Deus, quem apud vos testem invoco, non fraudis animo vos vocavi, sed corde puro vestrum dominium affectavi, & peto. Nunc autem, ut existimo, per consiliarios impios erga me mali estis in vitam. Et siquidem apud Aquilam hostiliter me contuli, ut dixistis, verum non potui melius, impulsus per reginam Joannam. Sed statim, ut sensi vestrum adventum, - - paratum exercitum protinus revocavi. Spero tamen in Domino Jesu Christo a vobis gratiam, & misericordiam impetrare serviturum, & fidelitatis meæ, fratrumque meorum - - . Quia vero tristatos vos video erga me, fides verba mea, & exspecta donec pertranseat furor vester.*

Eadem, qua Andreas frater necatus est, loco præcipitem dari jubet.

Ita caussam suam agentem Carolum rex torvo vultu intuitus cum reliquis Optimatibus Stephano Vayvodæ Transylvano custodiendum tradit, ac sequenti die capite truncatum ex eodem loco, in quo olim Andreas laqueo suffocatus erat, præcipitem deturbari jubet, in mortuum quoque sæviens, quem triduum integrum tumulo inferri vetuit. Inhumanum facinus, & unum fortasse, in quo Ludovicus æquitatis normam prætergressus immortali ceteroqui nomini maculam aspersent. A Caroli cæde reliquos Ortonum primum, tum in Hungariam Vissegradum abduci imperavit, ubi, quamquam non illiberalem, alterius tamen juri obnoxiam vitam aliquamdiu egere.

Tum Neapolim profectus, ex reliquis sicariis pœnam sumit.

Aversa Neapolim progressus magna populi acclamatione in urbem inductus est, acceptoque in fidem civibus, rursum in consciis insidiarum quæstionem habuit. Chancia, quam criminis convictam supra narravimus, quod uterum jam levasset, igni cremata est. Ex Conrado Catanzano (15), qui se peractum ominum violentas in Andream manus injecisse fassus erat, exquisiti generis pœna sumta - rotæ acutissimis cultris horrens alligatus, tandiu in gyrum actus est, quoad conciso minutim corpore inter ferales ejulatus infamem scelere animam exhalasset. Reliquis dati judices, qui pro gravitate illustratæ criminationis in reos animadverterent.

Celebrato conventu, & constituto rebus in Hungariam revertit.

Nobilissimis his, quas cæso fratri dederat, inferiis placatus Ludovicus, regni Optimatibus Comitia Neapolim indixit, ad quæ cum ingens omnium ordinum concursatio fieret, constitutis magistratibus, jurejurando polliciti sunt, se regnumque in Ludovici potestate, & fide mansuros. His ne quid rerum novarum se absente molirentur, Stephanum Transylvaniæ Vayvodam, virum impigrum, & militiæ scientissimum, cum Wolffardo de Wolffard & lectissimo militiæ robore præfecit. Quibus rite constitutis acceptoque Nepote Carolo Martello Barlettam primum; inde celeri cursu Adriaticum prætervectus Uranam appellit, ubi extracta paucorum dierum mora Sclavoniam, tum Hungariam victor, & incolumis tenuit. (16)

(15) JOAN. ARCHIDIAC. Conradum de Katanzano nuncupat.

(16) Hæc omnia prolixe GRAVINA in Chronico.

Anno Christi 1348. Redux Pontificem de iis, quae gessisset, certum reddit.

Domum reversus nihilo segnior Neapolitani regni causa, nuncios Nicolaum electum Nitriensem, & Georgium Comitem de Waswar ad Pontificem cum litteris misit, quibus eorum, quae in Italia gessisset prolixe rationes reddit, tum regnum Siciliae, quod nascendi, electionis, & armorum jure suum esset, confirmari sibi orat, pollicitus, se, si ea in re Pontifex sibi gratificari vellet, ad omnia, quae unquam majores Siculi regni nomine praestitissent, officia exsequenda promptum futurum. Adjecit Siculos Principes, quos captivos in Hungariam duci jussisset, tametsi eos a caedis suspicione suo judicio liberos censeret, remitti tamen, ne turbas concirent, non posse, nisi Pontifex dans fidei jussoribus citeriorem Siciliam non ingressuros polliceretur. Clemens, ut malis, quibus regnum Neapolitanum objiciendum providebat, consuleret, Guidonem Presbyterum Cardinalem Apostolici Legati dignitate ornatum in Hungariam misit, & quid ad singula capita, quae Ludovicus postulabat, aut objiciebat, respondendum esset, litteris (17) edocuit, ex quibus res Neapolitanae superiorum annorum mirifice illustrantur.

Guidoni tit. S. Caeciliae presbytero Cardinali A. S. L.

1349. Pontifex singulatim ad capita per Legatum respondet.

Dilecti Filii Nicolaus electus Nitriensis, & nobilis vir Georgius Comes de Ewestwar (18) nuntii Charissimi in Christo filii nostri Ludovici, regis Ungariae illustris, ad sedem Apostolicam venientes, quasdam nobis ex parte ipsius regis de credentia literas detulerunt multa - - proponentes. Et primo, quod rex idem mirabatur, nos, sicut & datum erat intelligi, adversus ipsum pro eo, quod regnum Siciliae sine licentia nostra intraverat, fore turbatos, cum sibi in praefatum regnum non prohibuissemus ingressum, & ipse non in dispendium sanctae Romanae matris ecclesiae, ut eorum verbis utamur, sed ex ea causa illud intrasset, ut de morte clarae memoriae Andreae regis Siciliae, Germani sui, puniret illatam. Nam licet nos quondam Bertrando de Baucio Comiti montis Caveosi, tunc in humanis agenti, dedissemus per nostras literas in mandatis, ut ipse de patratoribus, & consciis mortis hujusmodi, & de illo quem dabat culpabilibus auctoritate nostra inquireret, & justitiae faceret complementum, tamen Charissimam in Christo filiam nostram Joannam, reginam Siciliae illustrem, quam principalem factricem, & caput tanti facinoris asserentes, eam virentiam communiter appellabant, aliosque regales domus Siciliae duxeramus a jurisdictione, ac potestate praedicti Comitis specialiter eximendos.

Secundo, quod mirabatur etiam praefatus rex, quod, sicut audiverat, nos de morte quondam Caroli Ducis Duratii conceperamus causam amaritudinis contra eum, cum ipse rex Ungariae juste motus contra praefatum ducem pro eo, quod, ut dicebant, conscius fuerat hujusmodi mortis dicti regis Siciliae, illamque consuluerat & pro eo etiam, quod in mortem regis Ungariae conspirans ipsius, cum in ingressu civitatis Neapolitanae eidem occurrerat, interfici proditorie, mandasset, & fecisset occidi.

Tertio, quod idem rex paratus erat, sicut dudum nobis intimavit per dilectum filium Carolum Jorii servientem nostrum armorum, quem, sicut nosti, ad eundem regem hactenus misimus, super liberatione dictorum regalium, recepta tamen prius ab eis, seu pro eis securitate idonea, condescendere votis nostris.

Quarto, quod praefatus rex mirabatur, & conquerebatur, quod nos praefatam reginam, dudum ad sedem venientem eandem, suscipueramus Romanam intrare Curiam, eamque fueramus sic benigne, sicque honorabiliter prosequuti, cum ipsa regina, contra quam veridica verborum saepius iterabant, ita conversaretur, seu crimnaretur de hujusmodi morte praefati regis Siciliae viri sui per confessiones omnium, qui causa mortis ejusdem ultimo fuerant supplicio, suadente justitia, deputati

Quin-

(17) RAYNALD. ad annum 1349.

(18) Forte rectius Waswar dicendus

Anno Christi 1349.

Quinto, & ultimo petierunt, quod nos præfatum regnum ut verbis utamur ipsorum, dicto regi confirmare vellemus, cum ipse paratus semper fuisset, & esset pro dicto regno eidem ecclesiæ facere quæcumque prædecessores sui prædictæ facere consueverant ecclesiæ, & etiam ultra illa.

Ad quæ omnia præfatis nunciis conferendo tantum, cum in tantis negotiis sine deliberatione matura finale responsum eis exhibere nollemus præsentibus dilectis filiis nostris, Hugone tit. S. Laurentii, & Damasi Presbytero & Guilielmo S. Mariæ in Cosmedin Diacono Cardinalibus duximus, ut subsequitur, per ordinem respondendum. & primo.

Ad primum, quod præfatus rex mirari non debuit, nec debebat, si ingressus ejus in idem regnum nobis displicuerat, ac nos, & Romanam Ecclesiam, utpote quibus in eo magna fuerat irrogata injuria, conturbarat: nam præfato regi, sive Zelo punendæ necis, sicut ipsi proposuerant nuntii, sive pro jure, si quod idem rex in eodem regno competere sibi prætenderet, conservando, intrare hujusmodi non licuerat dictum regnum, cum ad nos, & eandem ecclesiam sicut ad supremam prædicti regni dominam, non ad præfatum regem, qui privata persona duntaxat in ea parte censebatur, atque censetur, hujusmodi ultio pertineret, quodque rex idem non debuerat admirari, si nos regnum, & regales eosdem eximendos a jurisdictione præfati Bertrandi Comitis duxeramus, cum hoc fuisset consulta cautela provisum, ne videlicet idem Comes, qui utpote ipsius reginæ subditus, & Vassallus ac terra dictæ reginæ justitiam facere de majoribus non audebat, sive amonstranda & exequenda de inferioribus aliis impedimentum, vel obstaculum forsitan pateretur. Nec idem Bertrandus Comes de hujusmodi majoribus justitiam facere villatenus potuisset, quod satis ex eo patuerat, quod ipse Comes processum per eum adversus non nullos, quos ultimo damnavit auctoritate nostra suspensa, quamquam requisitus, & jussus nobis mittere, sive Venerabili fratri nostro Bertrando episcopo Sabinensi, tunc tit. S. Marci presbytero Cardinali A. S. L. quem ad dictum regnum pro justitia favorabiliter monstranda de dictis regina, & regalibus misiramus, quippe tanquam Zelator justitiæ, ac abominator hujusmodi sceleris, si processum habuisset hujusmodi, cum aliunde probationes sufficientes habere non posset, ad executionem justitiæ, sicut a nobis in mandatis habuerat & gerebat in votis, non differendo generi, dignitati, vel sexui favorabiliter processisset, [illegible] assignare.

Diximus etiam eisdem nuntiis ad id, quod proposuerant, quod nos præfato Ludovico rege hujusmodi in prædictum regnum non prohibueramus ingressum quod si diligenter inspexissent litteras nostras [illegible], quas eidem regi, ut eum ab ingressu retraheremus hujusmodi, miseramus, honestius erat eis super hoc tacere, quam loqui subjungentes ad eorum in hac parte convincendum errorem, qualiter nos dilectus Joanni electo Vesprimiensi tunc nuntio dicti regis Ungariæ apud sedem constituto præfatam, post multa verba, quibus eundem electum induximus, ut præfatum Ludovicum regem ab ingressu in dictum regnum vice, & modis, quibus posset, omnibus revocaret, etiam processus habitus per felicis recordationis Joannem Papam XXII. prædecessorem nostrum, qui in registro prædecessoris ejusdem, quæ in archivo ipsius conservantur ecclesiæ, de verbo ad verbum conscripti sunt - - monstraveramus, quos ille perlegerat fortiisse, & qualiter idem etiam rex processuum prædictorum ignorantiam allegare non poterat, cum fuisset in diversis partibus, per quas veniendo ad dictum regnum, ipse quoque rex transitum habuit, & in ipsius regalibus pluribus publicati, item quod ipsa quoque rei natura regi præfato in dictum regnum prohibeat ingressum, cum regnum ipsum pleno jure, ac immediate ad nos, & eandem ecclesiam, sicut & pertinet, pertineret. Adjecimus insuper, quod non debuit idem rex jure suo regnum intrare prædictum, quoniam sibi non licuerat, ut præfertur, cum ei, sicut & quibusvis aliis, quod in propria sibi causa jus diceret, nullo foret jure permissum; & regina præfata - - de hujusmodi crimine mortis dicti Andreæ regis nec convicta, nec confessa existeret, & per consequens nec competentis sibi in eodem regno jure privata. & quod etiam eo casu, quo regina ipsa de hujusmodi crimine confessa existeret, & convicta, & per decisionem definitivæ sententiæ hujusmodi jure privata, regnum ipsum non ad eundem regem Ungariæ, sed vel ad eandem Ecclesiam, vel ad proximiorem præfatæ reginæ debeat sine dubitatione devolvi.

Anno Christi 1349.

ti, quodque, si praefatus rex Ungariae de declaratione facta per piae memoriae Bonifacium Papam VIII. praedecessorem nostrum, super successione dicti regni unquam forte vellet, debeat jus suum coram nobis, sicut coram superiori domino, & competenti judice ordine judiciario prosequi, & petere, non illud sibi auctoritate, seu temeritate propria per potentiam & violentiam, quas jura detestantur, & prohibent, arrogare, maxime cum recolendae memoriae Carolus rex Ungariae, pater dicti Ludovici regis, eundem Robertum regem, verum regem Siciliae toto vitae suae tempore nominasset, ac etiam reputasset.

Ad secundum respondimus, quod de occisione praefati Ducis Duratii turbati merito fueramus, & quod nec ipse Ludovicus rex circa hoc aliquid rationabiliter ad excusationis suae velamen, seu pallium poterat allegare, cum ipse privata persona eundem Ducem, in quem jurisdictionem, aut potestatem ordinariam, vel delegatam aliquam non habebat, & alias omni juris ordine omnino non solum praepostero, sed corrupto, utpote non auditum, nec confessum, nec alias convictum, nec in jus vocatum, vel expositis suae mortis, in magnam nostram, & ecclesiae praefatae contumeliam, ac suae famae notam, & maculam fecisset occidi; & quod non erat verisimile, quod idem dux praemissi criminis reus, aut conscius extitisset, cum ii, qui de hujusmodi crimine suspecti fuerant reputati, ejusdem maxime Ducis opera, auxilio, & favore capti fuissent, & tandem ab ipsis per tormenta illata eis violenter elicita veritate ultimum supplicium subiissent: & quod in cor alicujus sanae mentis nullo modo cadere poterat, nec debebat quod idem dux tantarum injuriarum, qui pro vindicta sumenda de morte dicti Andreae regis non sine multorum odio, & malevolentia, quae contra se proinde concitaverat, tanta sic potenter, sic constanter, & intrepide fuerat operatus, quique non armatus, sed inermis Ludovico regi praefato, in tanto comitatu armatorum Procerum, ac militum, & peditum existenti, cum admodum paucis familiaribus, & ipsis quoque fratribus suis inermibus ante occurrerat, in tantum forma, mortem scilicet dicti Ludovici regis versana mente, famae, ac honoris sui prodigus proditorie conjurasset.

Ad tertium respondendo insistimus, quod ipsi nobis securitates, quas idem Ludovicus rex pro liberatione dictorum regalium petierat, aperirent, super quas, licet saepius reiteratissimis instantiam, fere id admodum rapientes, nunquam tamen potuimus exculpere aliquid ab eisdem, dicentibus, quod idem Ludovicus rex nunquam cum consilio suo deliberaverat aliquid in hac parte. Idem tamen Nicolaus electus post multa verba dixit, quod nulla praefato Ludovico regi posset plena esse securitas de praedictis regalibus, si ei foret opportunitas libera ullo unquam tempore praedictum regnum Siciliae recuperandi. Tu tamen fili haec intra pectoris tui claustra revolvens, & vias, ac modos, quibus circa liberationem dictorum regalium nostrae, ac tuae intentionis consequamur effectum, diligenter considerans, ac solerter exquirens, tam apud Charissimum in Christo filium nostrum Carolum regem Romanorum illustrem, quam alios, de quibus in schola experientiae positus utilius videris expedire, sic juxta datam tibi a Domino gratiam des sollicite operam, sic labores insistas, & sic effectus promotionis studia solerter impendas, quod super hoc, sicut de gratia Divina confidimus, & speramus de tuis operationibus votivos fructus ex eisdem laboribus tuis colligas, ac tandem ad nos referas exspectatos.

Ad quartum respondemus, quod nunquam nobis placuerat, immo displicuerat, quod eadem regina Curiam intraret eandem, & quod nos eidem reginae dissuaseramus per nuntios, & literas, ut ab ingressu in dictam curiam penitus abstineret; & quod tandem, cum ad ingressum omnino voluntaria videretur, te, ac bonae memoriae Petrum tit. S. Clementis presbyterum Cardinalem tunc in humanis agentem miseramus ad ipsam, ut eam ab utrando proposito retraheretis inductionibus opportunis, quodque cum ipsa nostris inductionibus opportunis, & exhortationibus vires hoc obaudiens, omnino Curiam intrare vellet eandem, sibique prohibere non possemus ingressum, cum Avinionensis Civitas tunc temporis sua esset, fuerat fratrum nostrorum consilium, quod eadem regina, quae de patrato crimine nec convicta erat, sicut praedictus, nec confessa, recipi ut regina debebat, unde contigit, quod nonnulli ex eisdem fratribus, & quidem ex familiaribus nostris etiam occurrerunt eidem, & nos etiam recepimus in consistorio juxta consuetudinem, quam in receptione personarum regalium lauda-

bilis

bilis ipsius ritus Ecclesiae servavit, & servat, & quod tam, postquam Curiam praedictam intraverat, nec honoraverimus, velut exigebat ipsius clara prosapia, nec, prout incumbentium sibi negotiorum qualitas requirebat, fueramus favorabiliter prosequuti, immo sic tam nobis praefati regis consideratio ab omni auxilio fecerat alienum, quod ipsa per solemnes nuncios se ipsam, quam ut vasallam ejusdem Ecclesiae in tot, & tantis angustiis constitutam, Ecclesiae praefatae juvandam esse praesidio, & protegendam favoribus asserebat, & suppliciter postulabat, contra spem suam quereretur abjectam, & ipsius lamentaretur ecclesiae favoribus destitutam. Rursus quod nos ipsam ante recessum suum de dicta Curia per Venerabilem fratrem nostrum Stephanum Archiepiscopum Arelatensem, Camerarium nostrum citari feceramus, ut coram nobis responsura super hujusmodi crimine in certo termino, quem ei per eundem Camerarium assignaveramus peremptorie, personaliter compareret. Propter quae regina ipsa de nobis, ut verisimiliter credimus, & demonstravit effectus, male contenta nobis, prout decuerat, & debuerat, non visitatis, seu visis de curia discesserat antefata. Quamobrem praefatus Ludovicus rex de nobis in hac parte conqueri nec poterat, nec debebat, sed patientiam nostram potius, quod nec spiritualiter, nec temporaliter contra eam, quae praedictum regnum, peculiarem videlicet terram, & speciale in hereditatem ipsius Ecclesiae non sine sua salutis, & status, ac famae dispendio, quod sibi ex dictis ejusdem praedecessoris Joannis processibus imminebat, & imminet, ac in nostrum, & ejusdem sedis opprobrium, & contemtum sic afflixerat, & affligebat, mirari potius debuerat, & debebat.

Denique ad quartum, & ultimum respondemus, quod nec dictum regnum praefato Ludovico regi confirmare, aut quovis alio modo concedere nullatenus poteramus, & quod mirabamur admodum, quod ipsi rex, utpote quem credebamus, & credimus circumspectum Principem, & prudentem, ac prudentum uti consilio, talia peteret, quibus & contrariantur omnino jura, & aequitas penitus dissentiret, cum ipsa regina, quae regnum praedictum, tamquam praefati Roberti regis heres legitima tenet, & possidet, & per multa tempora tenuit, & possedit, quatenus pro illo dilecto filio nostro Aymerico tit. S. Martini in montibus presbytero Cardinali tunc A. S. L. habenti super hoc per speciales nostras litteras potestatem nomine nostro, & ipsius Ecclesiae recipienti, ligium fecit homagium, & fidelitatis debitae praestitit juramentum, seque facturam, & praestituram nobis in persona sua propria obtulit, si nos ad id recipere voluissemus, tandem jure sibi in eodem regno competenti, ordine juris postposito, sic praecipitanter privanda non foret, & quod, si ipsa quoque regina velut rea hujusmodi criminis, servato tamen ordine judiciario, prout tanti negotii qualitas exigebat, privanda veniret, expellendus erat Calculus diffinitivae sententiae, cui executionem praemittere non licebat, quodque ubi etiam circa hoc juris solemnitatibus omnibus rite servatis dicta regina eodem regno privata jam esset, non propter hoc poenas sua in poenam aliorum converterimus, ad quos regnum praedictum devolveretur, & pertineret, esset quomodolibet retorquenda.

Hujusmodi autem quatuor primis articulis ulterius non deductis praefati nuncii, dicti Ludovici regis dixerunt nobis circa praedictum articulum quartum, & ultimum, se ab eodem Ludovico rege in mandatis habere, quod ubi hujusmodi sibi confirmationem, seu concessionem de dicto regno Siciliae facere negaremus, tunc nobis, & nisi ante super hujusmodi quinto articulo regis intentionis propositum aperirent. Ac tandem inter cetera multa, & pulchra verba dixerunt, quod praefatus Ludovicus rex, sicut fidelis, & devotus noster, & ipsius Ecclesiae filius, paratus erat in manibus nostris libere cedere omni juri, quodcumque sibi in regno competeret antefato, & armigeram gentem, quam in eodem regno ad sua stipendia tenebat, & tenet, ab ipsi ab inde revocari, quodque volebat, & contentabatur, quod de dicto regno disponeremus libere, sive illud retinendo pro eadem Ecclesia, aut alii concedendo juxta nostrae arbitrium voluntatis, ita tamen quod de praefata regina super dicto crimine mortis praefati Andreae regis, viri sui, sicut de rea hujusmodi criminis faceremus justitiam, dictumque regnum reciperemus ad manum nostram, & sub ea realiter teneremus. Et haec verba multis vicibus, & diebus continuarunt, & reiterarunt, praesentibus interdum dictis Hugone, & Guillelmo Cardinalibus, interdum, & quandoque altero eorundem.

Nos

Anno Christi 1349.

Nos autem, quibus hæc, uti merum, satis a principio placuerunt, eadem præfati Ludovici regis nuncii sinceritatem devotionis, & fidei dicti Ludovici regis erga nos, & eandem Ecclesiam commendantes respondimus, & duximus, quod affectionem, ac voluntatem dicti regis gratam admodum habebamus, offerentes nos paratos de prædicta regina facere super hujusmodi crimine justitiæ complementum, ac subjungentes, quod si antefatus Ludovicus rex instruere effectum in hac parte, ac hujusmodi processum per eundem Bertrandum Comitem habitum, ut præfertur, mittere nobis vellet, id gratum admodum haberemus, quodque apud eandem regnum, ut asseveret, quod dictum regnum juxta voluntatem Ludovici regis, & petitionem nunciorum suorum prædictorum ad manum nostram poneretur, & realiter, ut promittitur, teneretur, instaremus efficaciter, & faceremus realiter posse nostrum, quia id aliter juste facere non possemus. Datum Avinione X. Kalendas Aprilis, anno VII.

Ludovicus novum ineunda pacis viam Pontifici exponit.

Ludovicus, postquam Pontificem summo jure litem velle decidere intellexisset, ne nihil de conditionibus remitteret, alias concordiæ leges proposuit, quarum hæc fere summa erat. Maria cæsi Caroli Dyrrachini vidua, Joannæque soror, fratri suo Stephano Transylvaniæ Duci cum jure dotalitio regni Siciliæ collocaretur, in Joannam autem dato judicio, & causæ arbitris pro criminis merito animadverteret. Hæc si facturum se reciperet Clemens, se vicissim tradita arcibus, quas præsidio militari teneret, exercitum ex Italia deportaturum spopondit. Quo animo hæc a Pontifice accepta sint, postea narrandi locus erit.

Joanna Neapolim redit, quæ regnum in fidem recipit.

Hæc inter Joanna cum marito Ludovico Tarentino ex Provincia Neapolim reversa, urbem cum civibus in fidem recepit. Fiebat ingens Nobilium illuc concursatio certatim novi regis auspicia ambientium, præcipui Comites Mileti, S. Severini, & Casertanus fuere, quos ceteri quoque regni Optimates haud multo post sequuti, violata, quam Ludovico Hungariæ regi dederant, fide in clientelam Joannæ concessere. Neque dubium est, plerosque ob cæsum Carolum Dyrrachinum conversis studiis sanguinariam Ludovici dominationem exhorruisse; quamquam Præfectorum, quos rex ex Italia rediens urbibus imposuerat, avaritiæ non leve ad rerum conversionem momentum quoque contulerit, qui exactis vectigalibus omnium animos Hungarici imperii pertæsos reddidere.

Stephanus Vayvoda et si prælio superior, in Hungariam redit.

Comparans ita rebus haud diu sibi cunctandum Tarentinus arbitrabatur, coactoque ex Italicis cohortibus, & germanorum stipendiarius exercitu in Stephanum Transylvaniæ Vayvodam, cui rex summam rerum se absente crediderat, imminebat. Stephanus cognito periculo, excitaque, quæ in propinquo erant, Hungarorum turmas Castra ad urbem Neapolim defixit, certus prælio decernere, si Tarentinus illius copiam faceret, quæreretve. Neque is diu moratus, dum Castrorum situm speculatur, atque, ut fit, exploratoriæ cohortes sibi occurrerent, coorta velitatione pugnam auspicatur, quæ, dum quisque suos novis subsidiis fulcit, in acerrimum prælium deferat, ex quo cæsis magnam partem Italis, captisque haud paucis Optimatum victor Stephanus excesserat, Tarentino cum mutilato exercitu ægre in urbem subducto. Victoriæ tamen fructus Vayvodæ haud diuturnus fuit, quod plerisque oppidis deditionem sponte facientibus periculum erat, ne commeatu intercluderetur. Itaque corruptis igni Castris copias Manfredoniæ, Monti S. Angeli, Ortonæ, Trivento, & Guilonisio, quæ in potestate, ac fide Hungarorum manserant, imposuit, & in Hungariam reversus, quo res Italicæ loco essent, regem edocet, quibus haud aliter consuli posset, quam si rursus cum exercitu regnum, ejusque jure recuperatum iret. (19)

A quo res Italicas edoctus Ludovicus, alteram expeditionem parat.

Ludovicus, & ob Caroli Martelli Andreæ posthumi mortem, & Jadertinorum causa, quos Veneti interea sub jugum misere animo æger, tam inauspicato ex Italia reditu velut ex somno experrectus magno studio ad inferendum Italiæ bellum se accinxit: eo conficiendo, quoniam celeritate opus erat, ne quid molestiæ aut morarum intercederet, missis ad Venetos Oratoribus inducias, & amicitiam in octennium pepigit, ut maritimo itinere exercitum in Apuliam trajicere bona eorum venia liceret. Hæc conantem Pontificiæ litteræ ad maturandam profectionem con-

(19) GRAVENAIS Chronico & JOAN Archidiac. cap. XVII.

citabat, quod is, quamquam matrimonium inter Stephanum fratrem, & Mariam Dyrrachini Ducis viduam, quod Ludovicus flagitarat, suo judicio probaret, Joannae tamen partes magis, quam rex optaret, tueri videretur. (20)

Anno Christi 1350.

Atque id praecipue in causa fuit, cur impositis extra ordinem tributis, (1) habitisque ipsa hieme militum delectibus, ut primum tutum mari iter erat, cum magna Procerum frequentia in Sclavoniam contenderet, inde Stephanus Vayvoda cum copiarum parte citatissimo usus itinere Manfredoniam appellens res magnopere collapsas utcunque instauravit. Quem haud multo post tempore cum ingenti classe consequutus rex, facta ad Manfredoniam exscensione copias ad Barum urbem traduxit. Hic ab Italis qui in fide perstiterant, salutatus, omnes, qui rem se absente praeclare gessissent, fundis, ac praerogativis liberalissime donat, qua munificentia ingens certatim ad arma confluentium accessio facta est, ut praeter quindecim Hungarorum equitum, & octo Teutonum millia, quater mille pedites ex Lombardis ut plurimum conflatos, in exercitu conferret. Curatis aliquot dies corporibus, ac jumentis oppugnando Canusio profectionem suis indicit. Erat Canusium Raymundo de Baucio obnoxium, qui imposito arci praesidio locum adversus vim egregie comparaverat. Id cum rex per feciales sibi dedi frustra postulasset, admotis machinis summo ardore aggressus est, ipseque, postquam muris latum trabens spatium allidendis fecisset, arrepto clypeo viam suis praeivit, & fortissimis suorum stipatus, omnium primus ignem portae injecit, quae cum faborto commodum vento celerrime conflagraret, periculumque esset, ne castrum eodem igne corriperetur, arcis Praefectus cum robustissimis praesidiariis accurrens nostros per flammas in murorum crepidinem eluctantes balistis, omnique missilium telorum, ac lapidum genere in fossam praecipitare molitur, inter quos cum Ludovicum ipsum periculi intrepidum cerneret, fertur elata voce, suis ab armis abstinere jussis, regem, ut se discrimini eriperet, commonefecisse: sed cum is nusquam melius regem, quam inter suos, habere respondisset, captus fortitudine, & responso Ludovici, deditionem fecit. (2)

Praemissum Stephanum Vayvodam

Rex paulo post consequutus copias ad Barum traducit.

Canusium oppugnat, & deditione accepit.

Dedito Canusio vicinae Civitates clementiam magis, quam vim experiri mallebant, missisque nunciis se in regis potestate futuras spoponderunt. Venusini ac pri-

Canusii exemplum aliae urbes certatim sequuntur.

(20) Exstat epistola Pontificis responsoria apud Raynald. ad annum 1349. Num. VII.

(1) Exstat in Codice MS Juris Civilis, uti, ut videtur, Ludoviciani N. CCXXXV Bibliothec. Aquilae. Vienn. epistola encyclica ad urbes regum, & reginarum Jurisdictionis in haec verba: *Ludovicus Dei gratia rex Hungariae fidelibus suis Judici & juratis & ceteris hospitibus de tali civitate salutem & gratiam. Quod nos ad ulciscendam innoxium sanguinis effusionem, & necem quondam Ducis Andreae fratris nostri Charissimi felicis memoriae vindicandam, cum quibusdam Baronibus, & militibus, ac Satellitibus nostris ultra partes marinas, & in regnum Italiae transire intendamus, & modis omnibus ire volumus, Deo permittente, &, quia ad dictum exercitum propter nimium distantiam locorum magnis sumtus & non modicae expensae sint necessariae, idcirco nos una cum Domina Elisabetha per eandem gratiam regina Hungariae matre nostra Charissima, & aliis praelatis, ac regni nostri baronibus desuper hoc, & matura deliberatione, taliter duximus disponendum, quod universae Civitates regales, & reginales, ac liberae villae ad Castra regalia pertinentes, videlicet intra limites dicti regni nostri habitae, & existentes, secundum magis & minus, ac juxta valorem, & qualitatem earundem pro tali subsidio taxari deberent, per homines & nuntios nostros fide dignos, cumque dicta Civitas nostra talis inter alias eruditas Civitates a primaeva fundatione sua ad honorem & dignitatem principatum obtinuisse per nos cognita & roborata, ac etiam per Matrem Charissimam, & per consequens nos eandem amplius favore firmius amplexando fore volumus, & vestra fidelitatis regio sub edicto firmius damus in mandatis, quatenus pro sublevandis oneribus, & evitandis praefectibus nostris necessitatibus quadringentas marcas in grossis bonis, vel florenis auri per praesentem nobilem fidum tale solvere nostrae volentem, usque ad talem alterius talis festi jam venturi pro stipendiariis ad nostrum exercitum non omnipotentes distribuendas, & dandas adeo deesse acquiescatis sine mora, & aliud sub obtentu gratiae nostrae non faciatis in praemissis, scituri tamen universi, ad quos praesentes pervenerint, quod quaecunque regalium civitatum vestrarum hujusmodi subsidium persolventes, praefatas nostrum mandatum effectui non mancipaverint, vestrum regiam indignationem incurrere sentient procul dubio. Datum die tali.*

(2) Gravina in Chron.

Anno Christi 1350.

pernis, Spinacioli, Florentii, Corneti, Melfienses, Exculi, Minerbini, Atellenses cum Rapolleusibus certatim obsequium, & fidem jurabant. Abhinc, cum ingens quotidie militum numerus in Castra confluerent, divisis tessaram exercitu bellum administrari placuit. Nicolaum Palatinum cum Conrado Lupo Aversam obsidare cum X millibus jubet, Thomæ Pauli Hungaro, qui Tarentum egregia fortitudinis laude tutatus est, quingentos germanos, ac ducentos Hungaros præter Italicas cohortas attribuit, ut Hydruntum, finitimamque plagam infestaret, ipse cum exercitus robore Melfiam profectus, unde commodum in omnem partem responsa, & mandata daret. Cum hic aliquamdiu moratur, adest a Ludovico Tarentino nuntius, qui accepta fide ad regem adductus literas in hæc verba attulit. *Vos illustris Hungariæ rex, qui regnum nostrum invasisti tenetis, nos Dei gratia Jerusalem, & Siciliæ rex ad duellum mutuum requirimus faciendum. Scimus autem, quod de personis Communium, & aliorum pugnantium, quos vobiscum duxistis ad prælia, si moriantur, vobis de talibus non curatis. Nos autem, qui nostrorum militum, & armigerorum damna timemus, ne ipsorum aliqui in conflictu deficiant, providimus pro eorum expedi una guerrarum præsentium, & regno quieto personaliter vobiscum deliberare vobiscum. Et ubi alter nostrum in duello deficiat, victor superstes, rex sit, & dominus regni hujus. Et ut communiter securo nostrum fiat duellum, eligimus, quod aut fiat Parisiis coram rege Franciæ, aut in civitate Perusii, aut Avinioni, aut in Neapoli. Ex his quatuor locis locus habilior vestræ electioni servetur, super quo respondete* (3)

Cum ad Melfiam agit, a Ludovico Tarentino ad singulare certamen provocatur.

Huic ex suo consilio dixit, & rescribit(?) invitat(?).

Ludovicus postquam lectas literas cum Optimatibus Hungariæ communicasset ex omnium sententia, consilioque ita paucis respondit. *Maxime Rex, vidimus, & legimus literas vestras nobis noviter destinatas per præsentium portitorem, & de invitatione duelli complacet valde nobis tamen in nullo locorum, quem præscribitis, cum non confidimus in illis multiplici ratione. Nam rex Franciæ avus maternus vester est, nobis autem licet vinculo sanguinis, longævus affinis. Avenio Civitas licet Domini summi Pontificis nuncupetur, tamen vestra provinciæ caput est, & in ea dominium vestrum regnat. Perusium suspectus nobis est locus, quia legationis vestræ præfertur, estque communitas populi civitas imperii sui rebellis. Nec licet Majestatem regiam confidere in illis. Si autem Neapolitana civitas sit nobis suspecta, non oportet litteris exprimi, quam nobis ipsi rebellem, vestræque sibi dominantium in præsenti. Sed si duellum committere placet vobiscum, fiat, si volueritis in præsentia Imperatoris Alemaniæ, qui ipsi superior Dominus, aut in præsentia regis Angliæ, qui ipsi communis amicus, vel saltem coram Domino Patriarcha Aquilejæ, qui Catholicus est, & communis. Sed ubi vobis talia loca non placent, ut verba dilatoria viderentur, ad tollendam omnes terminorum moram, cum breviter erimus cum nostro exercitu apud vos, & ibi fortiamus communiter de facto ne duelli, ut illud licite facere valeamus absque obstaculo exercitus utriusque* (4)

Ad Cosentiam urbem castra figit.

Remisso cum his litteris nuntio haud diu moratus signa versus Cusanam urbem tolli jubet, qua in fidem recepta Consensum promovet. Cives resistere ausos copiæ, quas præmiserat, levi velitatione profligant, acceptaque ab rege venia fortunis omnibus in pœnam contumaciæ spoliant. Castris ad flumen prope urbem positis otium tantisper militi indulget. Rem hic evenisse incertum, an a fortuna, an temeritate magis commendatam, laudatum sæpe Chronicon in hæc verba narrat. *Dum autem rex ideo tunc cum aliquibus suis Nobilibus equitaret circa flumen* [illegible], *ecce adfuit quidam adolescens* (5) *quemdam bonum equum equitans, ut ibidem adaquaret in flumine, & dum flumen adiaceret, rex eodem applicuit. Erat autem ibi prope quidam gurges aquarum profundus, ubi ex profunditate aquæ nimium rutilabat. Cui rex, descende juvenis tunc equo in hanc aquam, ut videamus profunditatem ipsius, at ille timens Domine, ne fluctibus his submergar. Cui rex, intra securus, & noli timere. Juvenis autem ille erubescens mandatum tanti Domini præterire, calcaribus premens equum ingressus est aquam ipsam, & primo ingressu aqua deglutivit eundem, & equum. Et resurgens ab aqua equus a juvene separatur - - -*

Hic sem memoratu dignum evenisse perhibent.

quem

(3) Idem ibidem.

(4) Gravina in Chron.

(5) Auctor habet Ragacinus, quod Italicum est.

quem aqua refrigerans est, & quasi prope mortem (fuit). Rex misericordia motus contra illos caloribus equum suum ingressus est aquam - - -, quem ab ratio aqua depiens, equum [illegible] ingreditur, rege insistente in illa. Inducebat enim rex idem quendam mantellum [illegible] quem unda spargens circa ipsum, quasi rotunda tabula videbatur firmum fieri super aquas, & usque ad guttur rex sistebat in aquis & accipiens juvenem illum per crines salvum eduxit ab aquis. - - Et sic rex ipse juvenem illum a morte salvavit, ipsius vitae non dubitans, ut quem intrare aquas jusserat, ne periret, persona propria liberaret. O magna regis audacia, qui ne argueretur a suis, quod suo mandato perierat juvenis ille, mortis subire periculum non formidat. (6)

Anno Christi 1350.

Sed id, quoniam ab aliis praetermissum erat, attigisse satis fuerit. Copiis Ludovico ad Conturium jussis quiescere, Serras promotum est. Urbs cum amplissimo agro ob egregiam navatam bello operam Stephano Transylvaniae Vayvodae donum obvenit, cautumque, ut miles ab injuriis abstineret. Unde Ebulum castra traducta: huc nuntii Salerno delati pauca regem edocent, Guilielmum de Rogerio magnam urbis partem ad obsequium regis adduxisse, ceteros Joannae sectae factiosos mutuis caedibus saevire, si maturaret, urbem nobilissimam, quae suo exemplo plures in consensionem tractura erat, nullo negotio in potestatem venturam. Ea re comperta Ludovicus conscenso equo, datoque ad profectionem signo, centum equites rapit urbi auxilio futurus, vix urbi appropinquabat, cum navis ab Joanna laborantibus civibus mari submissa emitus videri coepit sed cognito Hungaros praevertisse, re infecta Neapolim revolat. Cives, qui partium studio prius vehementer agebantur, pace inita Hungaro se tradunt. Ita urbs dedita est, arx, quoniam Neapolim Ludovicus in primis cogitabat, ne exercitum moraretur, pretio mille florenum a Praefecto emta. Exacto quatriduo in Comitis S. Severini ditionem signa illata, cujus amplissimum agrum, quod fidem semel atque iterum violasset, Stephano Vayvodae, & Joanni Chutz, militi Hungaro, & spectatae fidei viro attribuit. tum Scafatum primis castris perventum. Loci Abbas, qui in Joannae clientela erat, ut Hungaris moram injiceret, pontem, quo flumen constratum erat, demoliri jussit, ac defensioni se accinxit sed cum praeter opinionem Hungaros capacissimum amnem equis trajicere conspicaretur, licentiam militarem veritus, arcem cum oppido dedidit: id curae Dionysio Vayvodae filio commissum est. (7)

Salernum proximis bene meritis donat.

Surrentum, quo profectio abhinc spectabat, vim apparaverat quo minus cives pro merito rex castigaret, nuntii in causa fuere, qui Nicolai Palatini, & Conradi Lupi, verbis, rebus ad Aversam male comparatis suppetias flagitabant. Ludovicus cognito periculo, Nicolaum de Rogerio Hungarum genere Salerno praeficit, Stephano exercitum tradit, ipse cum trecentis equitibus praevolat, ceteros consequi jubet, Surrentum urgeri mandat, relictis, quantum obsidioni satis esset, copiis. Sed quartum post diem, quod Aversa periclitaretur, soluta obsidio, & Aversam magnis itineribus properatum. Dum urbem, cui Somma nomen, Stephanus cum exercitu praeterit, accepto a civibus damno irritatus, quamquam accelerare jussus esset, subsistit, suisque, si urbem impetu opprimerent, praedam omnem, & spolia addicit. Hac illecti bona equitum pars pedestrem aggressionem molti ad summum fossae labrum procurrunt, inter quos primus omnium Dionysius Vayvodae filius, qui ut erat toto corpore armatus, in fossam desiliens, etsi lapidum jactu pene obrueretur, in murum civitatis eluctari nitebatur. Socius illi fuit Hebingerus Teuto cujus tergo innixus, quoniam scalae in promtu non erant, ad supremam muri partem inter densissima tela enititur, prehensaque manu trabe incredibili audacia omnium impetum sustinuit. *Contra quem (ut scribit laudatus Chronographus) in ipsius tabulae eum insurgere variis percussivis, & in momento percussi a percussoribus ultra centum, qui lancea super pectus, qui super galeam tunc scuti, & iterum, quis magna trabe - - ferendo in eum; & nunquam valuerunt manum illius eripere a trabe recepta stando ibi pedibus super dorsum Hebinger memorati. Quod videns pater Vayvoda de celeri successu filii animatur, & animans universos assur-*

At Surrentum motus accipit, sed Aversae periclitari.

Qua dum properat, reliqui summam urbem expugnant.

(6) Idem Gravina. (7) Idem in Chron.

Anno Christi 1350.

gunt diris vicinus contra hostes, & per diversas partes irruunt universi. Tandem praefatus miles gladium habens in manibus fissatam primus potenter ascendit, & filus inter plurimas flatuitur inimicos, ac contra omnes gladio viriliter repugnabat, quod nullus manus jacere potuit super eum. Fidelissimi itaque sui secis post eum ascendunt, & gladiis ferientes in hostes in tantum praevaluerunt potentiae hostium, usqueque ceperunt ascendere alii communitates. Tum vero uno impetu capta urbs, & caesa magnam partem civibus ingens praeda abacta. (8)

At Aversam maleri perfringitur, quod ad extremam deditionem facit.

Re in hunc modum patrata exercitus Aversam pergit, quae non modo trimestri spatio nostrorum conatus retuderat, sed laesi quoque regis gloriam rebque urbibus praeripuit. Curato ex vulnere Ludovico placuit obsessos commeatu intercluso ad faciendam deditionem compellere, quod ubi Jacobus de Pinatlarus urbis Praefectus intellexit, veritus, ne si pertinacius, quam fortius resisteret, extrema pati cogeretur, corporum salutem & fortunarum indemnitatem pactus deditionem fecit. Rex urbem Monali Auranae Priori credidit, homini militae quidem laude claro, sed a violata deinde fide, dum infciso Ludovico castrum Joannae tradidisset, haud satis ad posteros commendato. (9) Accepta deditione Aversa Neapolim festinatis itineribus exercitus admotus est. hic cum Ludovicus Neapolitanos deditionem pacifice meditantes, actionibus, quam tempus, & locorum ratio suaderet, verbis accepisset, cives rescissis omnibus pactis defensionem apparabant. Sero, quid ab se peccatum fuisset, Ludovicus intellexerat, anxiumque, in quam partem se daret, armane, an induciis rem transfigeret, commodum Guido Episcopus Tusculanus ad conciliandos diffidentium animos a Pontifice missus, convenerat, facileque persuasit, ut controversiam se arbitro, aequisque conditionibus dirimi pateretur. Rege ab concordia non abhorrente, Gabelmum S. Mariae in cosmedin Diaconum Cardinalem socium adsciscit, habitoque cum Hungaris Legatis Conventu, induciis ad Calendas Apriles anni sequentis in hunc modum pactus est: Joannam de viri caede Pontifex in jus vocaret; quae si criminis rea condemnaretur, Siciliae regnum Ludovicus haberet, sin contra absolveretur, omnes regni arces, ac oppida, quae bello comparasset, reginae restitueret, ea tamen conditione, ut Joanna ob belli sumtus trecenta aureorum nummum millia regi persolvat. (10) His constitutis Ludovicus Romam pietatis causa profectus, Postquam Divi Petri basilicam instrasset, & quatuor aureorum florenum millia donativum fecisset, Verunam redut inde dimissis Germanorum stipendiariis, & praesidio urbibus imposito, in Hungariam revertit.

Cluis Neapolitani defensionem parant

Induciae cum Joanna pactae Romam profisciscitur.

Rex dat fratri Stephano Margaretham uxorem.

Exantlatis in Italia laboribus, suus quoque conciliatis nuptiis laetitiae locus fuit. Cum enim Ludovicus Pontificem aegre consensurum videret, ut Maria Joannae soror Stephano, quod alias per oratores flagitabat, collocaretur, Margaretham Ludovici Bavari, Romanorum regis filiam fratri conjugem designavit, quam ubi Ludovicus Brandeburgicus, sponsae frater, in Hungariam adduxisset, constituta LX millium florenorum dote, matrimonium ingenti apparatu celebratum est, novaque cum Bavaris, Austris, ac Bohemis affinitas conflata. (*)

1351. *Et in Lithuanos movet.*

Sopito bello Siculo, aliud sequente anno in Lithuanos susceptum est. Hi ob ereptam sibi Basiliae partem crebris incursionibus Polonium infestabant, & vastato Sandomirensi agro Vladomirensem provinciam, quam nostri scriptores Lodomeriam passim nuncupant, in ditionem redegere. Ludovicus, quod eam regionem juri Hungariae obnoxiam ferret, neque Casimirum ab infestissimo hoste

premi

(8) Gravina in Chron. atque hic magnam partem multum deficit

(9) Joan. Archidiac. Cap. XXII.

(10) Matthaeus Villanus Hist. Neapolit. Lib. I. Cap. 94.

(*) Rebdorffius ad hanc annum pag. 446. De dote autem constat ex diplomate Ludovici regis apud P. Steyerer S. J. pag. 496 cujus initium hujusmodi est. *Ludovicus ... ad universorum notitiam tenore praesentium volumus pervenire, quod nos super dotalitio propter nuptias illustrissimae fratris nostri ... Ducis Stephani, Dominae Margarethae tunc ejus consorti ... sexaginta millibus florenorum assignavimus ...* Signatum est diploma anno Domini MCCCLVIII. exstatque in Tab. Caes. Viennensi.

Anno Christi 1351

premi pateretur, tum armorum quoque societate Polonis obstrictus, ingentes copias, postquam regni administrationem Petro Bano, Emerico Agriensi Episcopo, & Emerico Bubek o credidisset, Casimiro in suppetias adduxit. Quarum accessione Poloni alacriores in apertum campum Lithuanis obviam progressi, coorto prælio victores evasere. Lubertum, aut ut alii malunt, Kestutum Lithuanorum Ducem ab Ludovico, qui periculorum intrepidus, qua maxime prælium inclaluit, ordines instaurabat, captum fuisse Michovius memorat. (11) Rex ejectis ex Polonia Lithuanis, & recuperata Lodomeriensi provincia, pacati regni laudem, victoriæque nomen in Hungariam retulit.

Joanna a Pontifice absolvitur

Sub hæc induciarum tempus, quod cum Ludovico Tarentino, ac Neapolitano rex pepigerat, propemodum ad finem vergebat, neque tamen de Joanna, ut conventum erat, judicium constitutum est. Ex quo cum Pontifex vereretur, ne bellum Neapolitanum majoribus studiis recrudesceret, Joannem Brundusinum Archiepiscopum legavit, qui Ludovicum, ac Elisabetham matrem exoraret, ne regnum, tot calamitatibus pæne oppressum, novis ærumnis objiceret, pollicereturque, Clementem nihil eorum, quæ ad causæ cognitionem facerent, omissurum. Et instruebatur re ipsa actio in Joannam, quæ, & testimoniorum gravitate, & præjudicii causam magnopere illustratura erat, nisi Pontifex, comperto majorem extracta lite invidiam Joannæ conflari, insontem, ut junior Villanus (13) memorat, pronunciasset. Quid Clementem ad ferendam pro Joanna sententiam permoverit, non constat: id compertum est, Ludovicum tametsi fraternæ cædis recordatio dolorem hactenus minime attenuarit, ea tamen observantia in Pontificem fuisse, ut non modo sententiæ non invitus subscriberet, sed regnos quoque Principes, quos captivos Vissegradi tenebat, pristinæ libertati se redditurum polliceretur. Quæ facilitas majorem illi opinione omnium, quam res bello patratæ, gloriam apud exteros comparavit. (14)

Ludovicus ob navatam in bello Neapolitano operam libertates suis confirmat.

Neque minor illi laudis materia domi parta est, quam ex bello Siculo olim retulerat. Cum enim ad id ex sententia conficiendum suam operam, ac industriam Hungari sponte, ac navæ commodassent, neque stipendio conducti, neque ex legum ritu, quoniam in externa provinciæ gestum est, obstricti, ne tam insignem suorum fidem inhonoratam relinqueret, celebrato regni conventu omnes libertatum prærogativas, quas Andreas II. Jerosolymitanus olim sanciverat, novo diplomate confirmavit. (15)

Edito eam ob causam diplomate

Ludovicus Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæque rex, Princeps Salernitanus, & honoris montis sancti Angeli Dominus, omnibus Christi fidelibus præsentibus, pariter, & futuris, præsentium notitiam habituris salutem in eo, qui regibus dat salutem, ac feliciter regnare, & victoriose triumphare. Thronus, & potentia regalis dignitatis tunc digressibus roborari, cum subditorum quieti, & tranquillitati provida circumspectione providetur, ipsisque digno remunerationis bravio in libertatibus largiendis, immo etiam per alios reges pia consideratione [illegible], componendis, nec non confirmandis, liberaliter respondetur. Nam tum observantia fidei suæ habens (16) originem debitam rationis, & naturæ legibus stabilis perseverat, cum benevolentia Principis in suos ostensa regnicolas, sic semper [illegible] in subditos, ut nisi tota sufferatur [illegible] in torpore, vigor fidei non [illegible]. Ea propter ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod Prælatorum, Baronum, nec non Procerum, ac nobilium regni nostri cœtus, & universitatis identitas nostram regiam [illegible] adeundo, fidelitatibus suis, & fidelium servitiorum præclaris meritis, in cunctis nostris, & regni nostri negotiis prosperis, & adversis cum summæ felicitatis studio, & [illegible] diligentia nostræ Majestati exhibitis, & impensis, declaratis, & nostram in memoriam revocatis, exhibuerunt nobis quasdam litteras privilegiales Illustrissimi Principis Domini Andreæ secundi, filii Belæ regis tertii, olim inclyti regis Hungariæ, avi, & prædecess-

(11) Lib. IV. cap. XIX.
(13) Hist. Neapolit. Lib. II. cap. XIV.
(14) RAYNALD. ad annum 1351.
(15) Habetur in codice juris patrii.
(16) Alii malunt legere trahens.

Anno Christi 1351.

decessoris nostri piæ recordationis, aurea bulla sua roboratas, libertatesque ipsorum per sanctissimum Stephanum Hungaricæ gentis regem, & Apostolum, ut prædictæ litteræ declarabant, ipsis institutas, innovandas, & confirmandas, tenoris subsequentis supplicantes unanimiter, & conformiter nostræ humiliter Majestati, ut ipsas acceptantes, ratificantes, & approbantes, præsentibusque de verbo ad verbum transsumi facientes, simul cum omnibus libertatibus earundem in eisdem expressis, excepto solummodo uno articulo in subsequentibus declarando, confirmare, ac easdem libertates, in dictis literis expressas, ex regia benignitatis clementia, auctoritate regia innovando ipsis in eisdem perenniter fruituros, & gavisuros, litteris nostris privilegialibus mediantibus, stabilire dignaremur. Quarum tenor talis est: Insertoque Andreæ regis diplomate, ut ad annum seculi superioris vicesimum & secundum memoravimus, causam, qua ad illius confirmationem potissimum adductus esset, in hæc verba reddit. *Nos igitur petitioni dictorum Prælatorum, Baronum, Procerum, & Nobilium regni nostri aures exaudibiles regio cum favore inclinantes, considerantes, & in memoriam revocantes fidelibus obsequiis, & sincerissimis complacentiis eorundem, quibus in cunctis nostris, & regni nostri negotiis, prosperis pariter, & adversis, specialiter vero in sumenda vindicta innoxii sanguinis clari Domini Andreæ Hierusalem, & Siciliæ regis, fratris nostri charissimi, beatæ recordationis, cujus dira necis acerbitas fere totius orbis fines, seu plagas perpulsavit, ad dictum regnum Siciliæ nobiscum proficiscentes, inopinatis fortunæ casibus, & variis personarum periculis summa fidelitate fulti intrepide se submittendo, nostræ Majestati studuerunt complacere, & se reddere nobis gratiosos, & acceptos, volentes votis ipsorum gratiose occurrere, & eorum beneplacitum adimplere, ut ipsos ad similia fidelitatis opera exercenda devota mente incitemus, prædictas literas Domini Andreæ secundi regis, avi, & prædecessoris nostri charissimi, aurea bulla sua roboratas, omni penitus suspicione carentes de verbo ad verbum præsentibus insertas, acceptantes, ratificantes, & approbantes similiter cum omnibus libertatibus in eis expressis, excepto solummodo uno articulo prænotato de eodem privilegio excluso, eo videlicet, quod Nobiles homines sine herede decedentes possint, & queant ecclesiis, vel aliis, quibus volunt, in vita, vel in morte dare, & legare, possessiones eorum vendere, vel alienare: loco ad ista facienda nullam penitus habeant facultatem, sed inter fratres proximos, & in generationes eorundem, ipsorum possessiones de jure, & legitime, pure & simpliciter absque contradictione aliquali devolvantur, ut tenor continet privilegii bullarum Domini Andreæ regis supra dicti confirmantes, & easdem libertates, de beneplacita voluntate serenissimæ Principissæ, dominæ Elisabeth eadem gratia reginæ Hungariæ, genitricis nostræ charissimæ, ac de consilio eorundem Baronum nostrorum ex regia benignitatis clementia innovantes, ipsos eisdem perenniter concessimus fruituros, & gavisuros.* His, ne beneficentia prioribus regibus quidquam concedere videretur, nova privilegia adjecit: diploma in hanc verborum formam concludens. *Et ut præsentis nostræ confirmationis, innovationis, constitutionis, & libertatum largitionis, & concessionis series robur obtineant perpetuæ firmitatis, nec ullo unquam tempore per nos, & nostros successores in aliqua sui parte quomodolibet valeat in irritum revocari, præsentes concessimus literas nostras privilegiales, pendentis, & authentici sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabilis in Christo Patris, Domini Nicolai, eadem, & Apostolicæ sedis gratia Episcopi Ecclesiæ Zagrabiensis, aulæ nostræ Vicecancellarii, dilecti, & fidelis nostri, anno Domini MCCCLI tertio idus Decembris, regni autem nostri anno decimo. Venerabilibus in Christo Patribus, & Dominis, Nicolao Strigoniensi, locique ejusdem comite perpetuo, & Dominico Spalatensi Archi-Episcopis, Fratre Dionysio archielecto Colocensi, Nicolao Agriensi, Demetrio Varadiensi, Andrea Transilvano, Colomano Jauriensi, Nicolao Quinque Ecclesiensi, Michaele Vaciensi, Joanne Vesprimiensi, Thoma Chanadiensi, Fratribus Thoma Sirmiensi (17), Peregrino Bosnensi, Stephano Nitriensi Episcopis Ecclesias Dei fideliter gubernantibus. Magnificis Baronibus, Nicolao Palatino, & judice Comanorum, Nicolao filio Laurentii, Vayvoda Transilvano, Oliverio Magistro Taver-*

nico-

(17) Hodie Sirmiensis dictus.

torum nostrorum, & Judice Curiæ domina Reginæ genitricis nostræ charissimæ, Comite Thoma Judice Curiæ, Stephano (18) totius Sclavoniæ, & Croatiæ, Dominico de Machow, & Nicolao de Zevrino Banis, Paulo Magistro Tavernicorum reginalium, Bartholomæo Pincernarum, & Leukenes Dapiferorum, Dionysio Agazonum, & Thomislaws Janitorum nostrorum, ac non Joanne filio ejusdem Oliverii Dapiferorum reginalium Magistris, Simone filio Mauritii Comite Posoniensi, & aliis quam pluribus regni nostri Comitatus tenentibus, & honores.

Annus Christi 1351.

Hæc exeunte anno gesta: in principio sequentis oratores, quemadmodum Pontifex flagitabat, Avinionem misit, Joannem Episcopum Vesprimiensem, & Ulricum de Wolfard Comitem Castri ferrei, qui iisdem pactis, quibus induciæ cum Joanna coaluerant, pacem quoque ut conficerent, potestatem se habere Clementi significarent. Juvat litteras, anno priore signatas, in medium proferre, ex quibus, quid auctoritatis, & potestatis ad conficiendam cum Joanna pacem attulissent, nullo negotio intelligamus. (2)

1352. Legatos ad conficiendam cum Joanna pacem ad Papam expedit. Quibus conditionibus eam confici voluerit.

Noverint universi & singuli præsens procuratorium inspecturi, quod nos Ludovicus, Dei gratia Ungariæ rex, ac nos Stephanus, eadem gratia Dux Transilvanus frater ejusdem illustrissimi Regis votis & beneplacitis sanctissimi in Christo patris Domini Clementis divina providentia sacrosanctæ Romanæ, & universalis ecclesiæ summi Pontificis nos conformare volentes, & ejusdem in hac parte condescendere voluntati, venerabilem patrem dominum Joannem, divina miseratione Episcopum Vesprimiensem aulæ reginalis cancellarium, & nobilem virum de Wolphard Comitem Castriferrei præsentes, & præsens mandatum sponte suscipientes, & quemlibet eorum in solidum (ita quod non sit melior conditio occupantis, sed quod unus eorum inceperit, alter prosequi, ac mediare valeat & finire) facimus, constituimus, creamus, & ordinamus simul & utrumque eorum per se nostros veros, certos, & legitimos procuratores, actores, factores, & nuntios speciales omnibus viis, & modis, quibus melius fieri de jure potest, ipsis & eorum cuilibet in solidum per has nostras patentes litteras mandantes, & specialem, plenam, & liberam ac absolutam potestatem dantes, & concedentes nostro, & utriusque nostrum nomine solemniter promittendi, & nos, & utrumque nostrum obligandi ad dandum, & assignandum, ac dari, & assignari faciendum realiter, plene, & libere, ac efficaciter in manibus domini nostri Papæ, vel alterius cujuscunque aut quorumcunque, quem, seu quos ipse dominus noster Papa ad hoc duxerit deputandum, seu deputandos, nobis non suspectum vel non suspectos, infra certum terminum ad hoc per ipsum dominum Papam, aut dictos procuratores nostros, vel eorum alterum, statuendum (civitas duntaxat paternis, fidibus & incipientibus Salernitano, & honore montis S. Angeli exceptis) omnes & singulas Civitates, castra, terras, villas, fortalitia, casalia, & quælibet alia loca, tenimenta & territoria, ac omnia alia & singula, quæque habemus, & tenemus per nos, seu alterum nostrum, alium vel alios nostro nomine in regno Siciliæ, & terris citra pharum usque ad confinia terrarum Romanæ ecclesiæ, & in corporalem possessionem omnium, & singulorum quæ supra nomine præmissorum dictum Dominum Papam, vel alium seu alios, quem seu quos ipse dominus Papa ad hoc deputaverit, nobis (ut præmittitur) non suspectos, pure, plene, & libere, ac efficaciter, & realiter inducendum, seu induci faciendum. nosque ipsi, & uterque nostrum hæc omnia, & singula prædictis scripturæ testimonio adimplere, & adimplemus, & facturos, ac curaturos realiter, & adimpleri solemniter promittimus, & ad ea adimplenda nos ipsos, & utrumque nostrum obligamus.

Cete-

(18) Timon in Epit. Chronol. observat fratrem regis fuisse, sed minus recte, ut constat ex historia Ecclesiæ Zagrabiensis, in qua pag. 132. legitur ad annum Chr. 1350. *Paulus de Ugal per Dominum Stephanum Dei gratia, totius Sclavoniæ, Croatiæ, & Dalmatiæ Ducem, in dictis regnis Dalmatiæ, & Croatiæ Banus constitutus.* Item anno 1351. *Stephanus totius Sclavoniæ, & Croatiæ Banus.* Et 1351. *Nicolaus totius Sclavoniæ, & Croatiæ Banus.* Itaque alium a rege fratre esse oportuit.

(2) Raynald. ad annum 1374.

Anno Christi 1352.

Ceterum damus dictis nostris procuratoribus, & cuilibet eorum in solidum plenam, & liberam potestatem, & speciale mandatum nostro & utriusque nostrum nomine promittendi, sicut & nos promittimus, quod omnes & singuli, qui in regno Siciliæ nostro nomine residentiam faciunt, & pro nobis dictum regnum Siciliæ, aut terras alias supradictas, seu earundem aliquam intraverunt, abinde recedere, & exire, omni excusatione, & quæsito colore cessante, & absque notabili damno, & læsione regnicolarum, & aliorum in dictis terris habitantium, faciemus: & quod ita omnes & singuli prædicti facient, & utrique nostrum bona fide procurabimus, & promittemus in verbo regali cum effectu. Dictis autem recedentibus de regno & terris prædictis dabuntur in locis, per quæ transire habebunt, victualia necessaria pro pretio competenti. Sane omnes & singulos, qui (ut præmittitur) exibunt de dicto regno Siciliæ, & qui sub nostro nomine intraverunt, dictus dominus Papa efficaciter operabitur, & faciet una cum rebus suis quibuslibet ad locum tutum, & securum conduci. Illis autem, qui remanere voluerint, cujuscunque status, & conditionis existant, de dicto regno Siciliæ oriundo, vel qui fuerunt familiares claræ memoriæ Regis Andreæ fratris nostri, undecunque fuerint oriundi, dictus Dominus Papa remittat, & remittere necessario teneatur omnes injurias & offensas illatas Romanæ ecclesiæ liberiorem ad cautelam, quodque dictus Dominus Papa bona fide tractabit, & efficaciter procurabit, quod damna, detrimenta (quæ per eos reperientur illata) ac injuria & offensæ personaliter seu realiter quibuscunque personis, cujuscunque conditionis, vel status, & præeminentiæ existant, illata fuerint, per illos, quorum interest, omni excusatione & quæsito colore cessante, remittantur. Et nihilominus volumus, quod prædicti procuratores nostri, seu quilibet eorum in solidum modo, quo præmittitur, facere possint, & faciant statim præmissorum omnium traditionem, & eadem assignationem dicto Domino Papæ, vel aliis, seu alii, quem vel quos modo quo supra ipse dominus Papa super hoc duxerit deputandos.

Præterea nostris procuratoribus, & cuilibet eorum in solidum damus, & concedimus plenum, generale, ac speciale mandatum transferendi, & ponendi totaliter in manibus, dicti domini Papæ totam causam quam habemus, seu habere possemus occasione mortis dicti Regis Andreæ fratris nostri legitimi contra quoscunque, qui culpabiles fuerint de morte ejusdem Regis Andreæ, cujuscunque præeminentiæ, dignitatis, conditionis, sexus aut status existant, sperantes per sanctam sedem, & dominum nostrum Papam justitiam fieri de eadem: quod totum ejusdem domini Papæ conscientiæ, & sanctæ sedis dispositioni duximus relinquendum. Caeterum prædictis nostris procuratoribus, & cuilibet eorum in solidum damus, & concedimus speciale mandatum, & liberam potestatem utriusque nostrum nomine, prout eis, & eorum cuilibet videbitur faciendum, de remissione regalium, quos ex causa in nostra fortia detentos habemus, tractandi, paciscendi, & ordinandi quidquid modo quo supra pro nobis eisdem videbitur expedire, & fuerit opportunum; super quo ipsis nostris procuratoribus & eorum cuilibet in solidum modo quo supra plenam, absolutam, & liberam, ac omnimodam concedimus potestatem.

Postremo, quia bonarum mentium est timere culpam, ubi forsitan culpa non est, ideo nostræ intentionis existit, quod dictus Dominus Papa, ex superabundanti solitam, & ad cautelam, remittat omnes injurias, & offensas, ut præmittitur, si quæ ipsi Domino Papæ, & ecclesiæ Romanæ tempore præterito per quascunque personas nobis adhærentes cujuscunque dignitatis, conditionis, status, præeminentiæ, sexus, ordinis, & gradus extiterint, factæ fuissent occasione receptionis, apprehensionis, seu obtentionis, dicti regni Siciliæ per nos, vel alios nostro nomine quomodolibet factarum, committereque teneatur per suas litteras alicui, seu aliquibus, quod quibuscunque petentibus ex causis prædictis vel aliquod eorundem beneficium absolutionis in forma juris gratiose impendant, & alias sententias quaslibet, suspensionis videlicet, & interdicti apostolica auctoritate relaxent cum iisdem, ut in susceptis, & suscipiendis ordinibus, ac dignitatibus, & beneficiis seu officiis quibuscunque, quæ taliter sunt adepti, seu eos in posterum contigerit adipisci, ministrare, & retinere valeant, super irregularitate, quam propterea contraxissent, & quolibet ipsorum in alio dispensando super quibus omnibus, & singulis petendis, tradendis, faciendis, promittendis, assignandis, qui-

lan

tandis, & recognoscendis, & exercendis generaliter, ac specialiter in omnibus, & singulis supradictis eisdem procuratoribus nostris, ac cuilibet eorum in solidum plenam, & liberam potestatem, & auctoritatem, ac plenum, liberum, generale, & speciale mandatum cum plena, libera, & generali administratione nos & uterque nostrum damus, & concedimus per praesentes; & generaliter omnia, & singula tractandi, dicendi, promittendi, faciendique ad robur, & perpetuam firmitatem omnium & singulorum praedictorum vel eyus connexorum aut dependentium duci, fieri, & exequi possent, quae & erunt pro expeditione, & effectuali executione praedictorum necessaria, seu etiam opportuna; promittentes tenore praesentium nos, & uterque nostrum ratum, gratum, & firmum habere, & tenere perpetuo quidquid per dictos procuratores nostros vel alterum eorum petitum, obtentum, tractatum, promissum, firmatum, traditum, & assignatum, quietatum, & aliter factum fuerit, seu gestum nostro nomine, & utriusque nostrum in praemissis, & quolibet praemissorum; litteras nostras patentes amborum nostrum sigillis sigillatas ratificationis, approbationis, omnium & singulorum, quae acta, & facta fuerint per dictos procuratores nostros, vel alterum eorum in praemissis, vel aliquo praemissorum modo praedicto, promittimus, concedere, & dicto Domino nostro Papae aut deputandis ab eo tradere, vel transmittere infra terminum, per dictum Dominum Papam procuratoribus nostris praedictis, vel eorum alteri praefigendum. Datum Budae XI. die mensis Octobris anno Domini MCCCLI.

Anno Christi 1352

Facile Pontifici arbitrium fuit, quod Joannae legati trecenta aureorum millia, quae prioribus induciis constituta terraverunt, reginae nomine solutum iri promitterent, si Ludovicus oppida cessisset, copias ex Italia se revocaturum reciperet. Id cum oratores Hungari confirmarent, ac praeterea regis nomine, qui nequaquam auri cupiditate, sed justissimae ob caesum fratrem vindictae studio ad inferendum bellum concitatus esset, pacta trecenta aureorum nummum millia Joannae condonarent, insperatae beneficentiae magnitudo, tanta Pontificem, urbemque laetitia affecit, ut, cum rei fama per Italiam dedita esset, non hostium modo, sed sui etiam victor Ludovicus splendidis encomiis latissime vulgaretur. Scripsit propterea ad Joannam Pontifex, ejusque maritum, Ludovicum Trinacrium, ac ob conciliatum praeter omnium opinionem foedus in haec verba gratulatus est. (19)

Novo praeterea beneficio Joannam sibi obstringens ingentem laudem init

Clemens - - Ludovico regi, & Joannae reginae Siciliae Illustribus.

Miseratur Dominus, qui misericordias suas, etiam cum iratus fuerit, continere nescit, salutationibus, & curis innumeris, quas inter vos, & charissimum in Christo filium nostrum Ludovicum regem Hungariae illustrem exorta commotio nobis indixit, & calamitatibus, quibus occasione commotionis hujusmodi regnum nostrum miserabiliter fluctuavit hactenus, terminum posuit, & ipsius regis Hungariae animum inclinavit ad pacem, ipsamque nostris beneplacitis conformavit, quod prioris tractatu, cujus verbis formam, & copiam misimus, non obstante, omnem summam pecuniae, quae vel pro parte sua petita, vel sibi oblata fuerat, pro nostra, & Apostolicae sedis reverentia repudiavit omnino, & per venerabilem fratrem nostrum Joannem Episcopum Vesprimiensem, ac nobilem virum Ulricum de Wolfard Comitem castri ferrei, Nuntios, & procuratores suos, quos cum sufficienti, & speciali mandato ad infra scripta omnia peragenda ad nos, & sedem Apostolicam destinavit, promisit nobis, quod ipsi civitates, castra, fortalitia, & loca quaelibet alia dicti regni, quae per ejusdem regis stipendiarios, & gentes, aut quosvis alios suo nomine ipsius detinentur, cum munitionibus existentibus in eisdem, in manibus nostris, seu Venerabilis Guillielmi Archi Episcopi Bracharensis, & dilecti filii, nobilis viri Petri, domini de S Martiale, militis Lemovicensis dioecesis, quos ad hoc duximus deputandos, vel alterius eorum recipientium nomine nostro expedite ponet ad faciendum, disponendum, & ordinandum de illis libere pro nostrae arbitrio voluntatis & quod bona fide curabit, & faciet cum effectu, quod supo-

Pontifex gratulatur cum Ludovicus pacem Joannae fecisset.

M 2

(19) Raynald. ad an. 1352

Anno Christi 1352.

stipendiarii Ungari, & alii equites, & pedites, ac gentes hujusmodi, & quicunque alii in eodem regno præfati regis nomine commorantes de dicto regno, & qualibet ejus parte recedent infra tres menses a data litterarum nostrarum, super hac confectarum materia computandos, quodque dilectos filios, Nobiles viros regalis domus vestitæ, quos ipse detinet, & quos dicti Episcopus, & Comes procuratoris nomine præfati regis ex tunc verbo libertatis beneficio donaverint, plenarie, ac effectualiter pristinæ restituet libertati --- Datum Avinione Kalendis Februarii, anno X.

Cæteræ illius conditiones

Adjectæ ceteris fœderum legibus hæ quoque conditiones sunt, ut Pontifex censuras, quibus se Ludovicus illato Siciliæ bello forsan irretivisset, dissolveret, ac Joanna iis, qui suas partes olim secuti erant, facta præteritorum venia, honoris, ac fortunarum indemnitatem præstaret. Ceterum Principatum Salernitanum, & Honorem montis S. Angeli, quos avus, pater, ac ipse etiam prius, regnum quam in Hungaria potiretur, gessisset, sibi, suisque hæredibus conservatum velle pactis fœderum inseri diserte volebat. Quæ cum Pontifex facturum se liberaliter addiceret, propemodum evenit, ut pax mutua voluntatum consensione irrita ad exitum irritaretur. Hungari enim Duces, qui arces præsidio militari insederant, ac nonnulli Procerum Neapolitani regni missis crebro nuntiis Ludovicum a fœdere abducere moliebantur, illi pœnæ metu, illi stipendii ac lucrorum spe, ut credibile est, ad id consilium adducti. Sed Ludovicus datam Pontifici per Oratores fidem servari suis graviter præcepit, ac, ubi præstitutum tempus adesset, consignatis in Joannæ potestatem oppidis in Hungariam reverti. (zo)

Exercitus in Tartaros immissus

Ad accelerandum cum Joanna fœdus non modo ingentes, quos in stipendiarios fecerat, sumtus, sed rumor quoque de adventu Tartarorum allatus Ludovicum impellebant. Rursum enim frequentissima barbarorum colluvies partim fame, partim Lithuanorum precibus ex Asiæ penetralibus excita vastatis Russis, ac Schismaticis ad Transilvaniam appropinquare ferebatur. Quorum rapacitatem ut procul a regno amoliretur, Andream Transilvaniæ Vayvodam, cui quadraginta equitum millia auxilio miserat, hosti extra regni limites occurrere jubet, ac, si res, & locus paterentur, conserto prælio infestam toties Hungariæ gentem, quam posset, longissime proturbare. Vayvoda cunctis præterea subsidiariis Siculorum cohortibus magna alacritate Transilvania egressus in Podoliam, unde illuc Tartari latrocinia magis, quam bellum exercebant, contendit, paulloque post inita cum hoste pugna ita fortiter rem gessit, ut in trucidandis Tartaris, & multi vires, & arcubus sagittæ, & acies ferro defuerint. (1)

Quos memorabili clade profligat

Profligatis ingenti strage barbaris in ipsam Tartariam trans Borysthenem bellum Andream Vayvodam inferre voluisse perhibent, nisi commeatus, & annonæ difficultatibus a pulcherrima destinatione hac absterritus fuisset. Ludovicus continuo de relata victoria Clementem edocens, petiitque, ut schismaticorum terras, quas ejecta barbaris a maleficio liberasset, aut postea periculo exemturus esset, Hungarico imperio adjicere sibi liceret. Facilem se Pontifex præbuit, & eorum, quæ petierat, legitimam veniam faciens in hæc verba rescripsit. (2)

Clemens --- Charissimo in Christo filio Ludovico regi Hungariæ illustri

Veniam a Pont. obtinet, quidquid bello occuparit, Hungariæ afferendi.

Ad ampliationem Christianæ fidei, Catholicorum Principum, ex quibus traxis originem, sequens imitanda vestigia, sic, prout habet fide dignorum assertio, attendis, & intendas zelum tuum, ut divinæ potentiæ fretus auxilio ad propellendum Schismaticos, & infideles alios, regnicolas finitimos, ex quorum præsumtuosa nequitia frequenter regnum ipsum & habitatores ipsius passi sunt detrimenta, in manu forti propinquas exurgere, & ad eorum elata cornua conterenda tuam potentiam exercere. Nos igitur hujusmodi tuum laudandum in hac parte propositum multiplicatur in Domino commen-

(zo) RAYNALD. ad annum cit. Num. 1 & 2. (2) RAYNALD. ad an. 1352
(1) Matthæus VILLANUS Lib. II. Cap. 72.

mendantes, illudque favoribus, & repedendis apostolicis prosequentes, omnia, & singula, provincias, civitates, castra, villas, fortalitia, & qualibet alia loca, que prestante Deo de manibus Schismaticorum, & infidelium eorundem potentia, & manibus eripere, & potestati tua subjicere, favente tibi dextera Domini, te continget, dummodo ex largitione Apostolica, vel alias in eis non sit alicui specialiter jus quasitum, tibi, ac heredibus, & successoribus tuis auctoritate apostolica concedimus, & donamus ---- Datum Avinione idibus Julii anno XI. Sed ea potestate quem in modum rex usus sit, postea referemus.

Anno Christi 1350

Profligatis Tartaris majore in nefandam gentem studio accensus Ludovicus, non solum ad arcendos a regno barbaros, si rursus ingruerent, sed ad traducendum etiam in eorum labbola bellum, mentem animumque convertit. Eam ob rem finitimorum Principum causa, ne sibi interea molestiam crearent, follicitus Viennam ad Albertum Austriae Ducem concesserat, ubi, dum Carolus quoque Romanorum, ac Bohemiae rex, tum Marchio Brandeburgicus adfuissent, cum utroque amicitiae foedera innovans, complura, quae ad rem publicam attinebant, privatis consultationibus, transegit. (3) Eorum postea, quam in Hungariam Ludovicus revertisset, pleraque in vulgus emanarunt, dum pactorum, quae cum Caroli Caesaris Oratoribus inierat, tabulas ederet, quibus, se juri omni, quod in Svidnicensem, ac Jaurensem Silesiae Ducatus haberet, amicitiae causa, qua Carolum complecteretur, renuntiare testatur. (4)

1353. *Carolum Caesarem abdicato Svidnicensi, & Jaurensi Ducatu, in foedus pertrahit.*

Nos Ludovicus Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galliciae, Camaniae, Bulgariaeque Rex, Princeps Salernitanus, & honoris montis S. Angeli Dominus. Notum facimus universis, quod nos ob amoris sinceri puritatem, qua serenissimum & invictissimum Principem & Dominum, Dominum Carolum Romanorum regem semper Augustum, & Bohemiae regem, specialis dilectionis favore prosequimur, ipsi tanquam regi Bohemiae, heredibus & successoribus Bohemiae Regibus, & ejusdem regni Coronae in perpetuum, Ducatus Swidnicensem, & Jaurensem cum omnibus eorum appendentiis, dominiis, & pertinentiis, nec non omnia jura, quae nobis, regni seu Coronae Hungariae in dictis Ducatibus quavis ratione competunt, seu valebunt competere, rite dedimus, & praesentibus sponte, & liberaliter erogamus, renunciantes expresse pro nobis, fratribus, heredibus, & successoribus nostris regibus Hungariae, omni juri, impetitioni, jurisdictioni, sanctioni, & omnibus simpliciter respectibus nobis & regno, ac Coronae Hungariae competituris, & competentibus in eisdem. Promittimus etiam bona & sincera fide supradicto Romanorum regi semper Augusto, & Bohemiae regi, tanquam regi Boemiae, fratri & amico nostro, heredibus & successoribus suis Boemiae regibus, dum & quoties requisiti, seu moniti fuerimus, adversus quoslibet invasores, seu amulos eorundem, qui eos in praedictorum Ducatuum, appenditiorum, Dominiorum, jurium & pertinentiarum possessione impedire seu molestare contenderent, opportunum impendere auxilium & juvamen, praesentium sub nostrae Majestatis sigillo testimonio literarum. Datum Budae, Anno Domini M CCC LIII. Calendis Junii regni autem nostri XII.

Abdicationis tabulae

Carolus vicissim cum Ludovico beneficentia certabat, & amplissimus Poloniae Ducatus Plocensem, ac Mazoviensem pro *Beuten*, & *Creutzenburg* Bohemiae oppidis, in Hungaricum jus transcripsit: quorum possessio ut firmior regi demum cepta esset, Ducis Svidnicensis nomina, quibus Casimiro Polono obstringebatur, expungendi onus sponte accepit, & fidem suam publicis litteris interposuit. (5)

Vadimonium pro Svidnicensi Ducatu praestat.

Nos Ludovicus Dei gratia Hungariae Rex ---- Notum facimus universis, quod Serenissimus, ac Invictissimus Princeps & Dominus, Dominus Carolus Romanorum Rex, semper Augustus, & Boemiae rex, ex affectione sincera dilectionis, & favoris affectibus, quos personam nostram, nec non magnifici Principis Domini Casimiri Regis Polo-

(3) Vetus Zwetlense Calendarium Romano Martyrologio annexum: „ Carolus „ rex Bohemiae [illegible] & rex Ungariae gener „ ejusdem regis, & Marchio de Brande- „ burg, & alii Comites quam plures circa mediam quadragesimam Wiennam „ ad Ducem Albertum causa consilii venientes, secreta inter se mutuae amicitiae renovationem facientes [illegible] „

(4) Goldastus in Append. Docum. fol. 61.

(5) Idem ibid. fol. 64.

Annus Christi 1353

Polonia, Illustris, fratris nostri dilecti, qua benignitate prosequitur, nobis ambobus, heredibus, & successoribus nostris Hungariae & Poloniae Regibus, Ducatum Plocensem cum appendiciis, Dominiis, & pertinentiis suis, nec non omnia jura, quae sibi in praedicto Plocensi Ducatu, & aliis Principatibus Masoviae competunt, rite donavit, sicut in literis factis desuper lucidius continetur. Nos tanto favori volentes repondere vicem, & benignis, ac fraternis exhibitionibus ipsius relativa dilectionis studio respondere, sibi, heredibus, & successoribus suis, Regibus Boemiae, & tuisdem Regni coronae, oppida Beuten, & Creutzburg, cum Vasallis, districtibus, metis, Dominiis, & circumferentiis suis, deliberatione praevia, & sano fidelium nostrorum accedente consilio, auctoritate procuratoria, qua in his & in omnibus infra scriptis & corone quolibet, nomine & vice dicti Regis Poloniae, nostri fratris, plene fruimur, reddimus, & restituimus universa, & singulos Vasallos, cives, homines, & inhabitatores oppidorum, & pertinentiarum hujusmodi nostri & dicti Regis Poloniae nomine ab omni fidelitatis, & subjectionis homagii, juramentis, & promissionibus nobis utrobique praestitis virtute praesentium absolventes, ipsumque Regem Romanorum, & Boemiae, nec non Illustrem Principem Dominum Bolkonem Ducem Swidnicensem, consanguineum nostrum fide jussores, & compromissores ipsorum ab omnibus debitis, in quibus Praefato Regi Poloniae per litteras seu alio quovis modo obligati astiantur, nomine & vice, quibus supra liberos, & quitos dimittimus, & penitus absolutos, nominatim & expresse omnes Swidnicenses seu alios quoscunque homines Ducatus ejusdem, ab omnibus promissis, quae occasione talium debitorum pro parte Ducis praefati regi praedicto Poloniae fecerunt voce vel scripto, praesentibus absolventes. Insuper promittimus nos, efficaciter obligantes, praedicto fratri nostro Romanorum & Boemiae regi, omnino facere, & alioqualiter procurare, quod praefatus frater noster Poloniae Rex, infra spatium quatuor mensium a dato praesentium computandum hanc ordinationem, compositionem, donationem, cessionem, & omnia alia, & singula per nos ordinata, & facta, & donata, sive cessa, cum dicto fratri nostro Romanorum, & Boemiae Rege, nostro proprio, & ejusdem fratris nostri Regis Poloniae nomine, & vice ratificabit, acceptabit, & approbabit, & in nullo penitus contradicet, vel faciet, sed etiam devanbit, imo praedictis omnibus & singulis sic conformando suum consensum, & assensum expressi adhibebit, ac super praemissis eidem fratri nostro Romanorum, & Boemiae regi literas suas dabit, & exhibebit quolibet occasione revelata. In quorum omnium testimonium, & evidentem firmitatem praesentes fieri fecimus literas, sigilloque nostri, & authentici appensione muniri. Datum Budae anno Domini M CCC LIII sexta calendas Junii, regni nostri duodecimo.

Credibile quoque est de bello adversum Tartaros, ad quod crebris eum exhortationibus Pontifex excitabat, tum praecipue Dalmatiae causa, cui recuperandae tum sponte sua, tum suorum consiliis persuasus inhiabat, consultationem omnem institutam fuisse; id, quod ex rerum, quas deinceps narrabimus, eventu non improbabili conjectura perspicuum fiet.

Dum haec fiunt, tristissimus regem nuntius de Stephani fratris obitu perculit, quod in optimo aetatis flore exstinctus, futuras rerum, quas animo complexus erat, rationes vehementer sibi conturbasset. Reliquit Stephanus ex Margaretha liberos, Joannem Sclavoniae, Croatiae, ac Dalmatiae postea Ducem (a), & Elisabetham, Alberto III. Austriae duci desponsam; quorum a domesticis scriptoribus nusquam mentionem fieri permirum est.

1354. Traductio in Tartaros bello gentem e- am ex di- ... sexcepit.

Procurato fratris funere, & sedato luctu, intermissum in Tartaros bellum ingenti studio resumsit. Nam dum sequente anno clam cum Carolo Romanorum rege in Hungaria congressus fuisset, comparatis haud multo post incredibili studio copiis, Casimiro Poloniae regi se conjunxit, & peragrata Russiae parte, quae ultra Bogum flumen est, ducenta equitum millia Tartariae infudit, ratus nusquam bellum majore lucri compendio, quam in hostico duci. Praeerat tum Tataris adole-

(a) Patet id ex diplomate Rudolphi Austriae Ducis, quod ad annum MCCCLIX. annalibus inseremus. Quamquam illic errore Ludovici Hungariae regis nepos scribitur, quod Ludovicus ea aetate nullam filiam adhuc nuptui collocasset. Quem morem in ipsius quoque Ludovici diplomatibus non paucis observavi.

lescens liberali ingenio, & in quo, praeter genus, nihil barbarum fuit. Is ut hostem non longe abesse, ac vastationem late circumferre comperit, missis ad Ludovicum fecialibus veniam flagitabat, ut sibi bona fide, ac impune ad regem adire liceret. Non abnuit Ludovicus, & venientem Tartarum, ingentique Procerum satellitio stipatum liberaliter in castra accepit. Hasce in obtutu Ludovici adolescens, dictaque salute, cur se, qui nullam inferendis armis caussam praebuisset, armatus peteret, quive eo bello cuperet, speraretve? libere scitatur: cui rex, quod a sacris Christianis alienus esset, bellum se inferre diserte respondit, tum ut in Hungariae regum clientelam concederet, datamque fidem annuo tributo firmaret. Tartarus, postquam, quae Ludovici mens erat, intellexisset, etsi parum aequa, inquiebat, tua oratio est, quod nondum tentata praelii alea conditiones, tanquam victus sim, praescribas, facileque, si ad manus veniretur, & copiarum numero, & ceteris belli adjumentis, aut referre victoriam, aut dubiam reddere possem, tamen, quod dudum cum regni primoribus ad vestra sacra aspiro, faciam quae postulas, clientelamque cum optimatibus, quos eam ob caussam adduxi, profiteor, tributum quoque non servitutis quidem, sed clientelae jure penshrum tuum erit, ut Pontificem de re edoceas, & mihi, quid deinceps facto opus sit, velis consulere. Quia vere loqui videbatur barbarus, facile fidem Ludovicus habuit, solemque publico ritu foederibus Tartaros in clientelam recepit, de sponsione amplectendorum sacrorum cum Pontifice, se acturum pollicitus. Ita bellum prius, quam coeptum erat, pace terminatum est. Excedentem cum suis regem Tartarus honoris caussa ad regni limites comitatus, rursum clientelari fide Ludovico se obstrinxit. (6)

Quae dum secunda fama per Europam passim vulgantur, Veneti, qui haud ita pridem bello maritimo a Genuensibus profligati erant, veriti, ne Ludovicus tam prospero rerum eventu ferocior, praesertim quod induciarum tempus cum Hungaris constitutum jam propemodum elaberetur, ad recuperandam Dalmatiam animos, & victorem exercitum adjiceret, clam cum Bosnensi Bano, & rege Rasciae, tum Traguriis, & Sibenicensibus armorum societatem inire, eademque opera Clissienses sexaginta, Scardonenses vero quadraginta nummum millibus in foederum communionem pertraxere. (7)

Sub haec victor citra bellum ex Tartaria Ludovicus redierat, ad quem salutandum cum Veneti legatos misissent, novas induciarum, aut, si mallet, perpetuae pacis conditiones offerebant, quas dum rex penitus respuisset, Oratores Pragam ad Carolum Imperatorem profecti, ejus arbitrium in eam diriganda lite implorarant. Misit suos quoque nuncios Ludovicus, qui Jadram, & Istram jure Hungarici esse contenderent, & nisi citra moram, bonaque fide, quae postularat, redderent, armis se controversiam transacturum minabatur. Carolus, qui in neutram partem offendere volebat, caussae cognitionem ab se amolitus est, aut, ut alii scribunt, numerata pecunia Ludovicum pacavit. (8) Sed quem in modum lis rursum suscitata, & armis utrinque obmotis transacta sit, ad sequentes annos, ubi locus postulaverit, memorabimus.

Interea turbarum quoque non nihil in Polonia est; cum enim Casimirus prole mascula destitueretur, & Ludovicus illa itidem careret, metus non de nihilo erat, ne pacta Conventa, quae inter Casimirum, & Carolum Ludovici patrem successionis caussa olim coaluerant, aut praejudicium libertati Polonorum crearent, aut Hungaris ad invadendum injuria regnum ansam praeberent. Re ad regem delata, visum omnibus est, ut Ludovici arbitrio, & benevolentia fireretur. Itaque legati, qui hinc periculo caverent, mittuntur, Joannes Castellanus Woynicensis, Florianus Praepositus, ac Cancellarius Lanciciensis, Petrus Tribunus, & Pelka Sulagazo Cracovienses, qui Casimiri nomine Ludovicum oratum venerant, ut, quoniam rex haerede careret, neque deinceps tollendi spes esset ulla, & solennis-

Anno Christi 1354

Veneti pacem petentes rejecit.

1355 Polonis libertatis praerogativas confirmat

(6) MATTH. VILLANUS Lib. IV. cap. V.
(7) CAROLUS apud LUCIUM Lib. IV. cap. XVII.
(8) CORTUSIORUM annal. Lib. X. cap. VII. Tom. XII. script. rer. It. MURATORII.

Anno Christi 1355

dulissima regni possessio ex pacto convento ad ipsum anneret, ne Polonorum prærogativæ, & indemnitati cavere publico edicto gravaretur. Id cum fua, tum, si quos masculos liberos superstites relinqueret, permagni interesse. Sin filio orbus decederet, Poloniæ optimates haud gravate consentire, ut Joannes ex Stephano regis fratre prognatus, ejusque posteri rem publicam capessant. Quod si hunc quoque sine mascula prole mortem obire numen vellet, tum se regere Procerum totius regni nomine majorem in modum oratum velle, ut soluta jure jurandi religione sua Polonis legendorum regum libertas incolumis consisteret. Id cum ad Ludovici fidem in primis, dignitatemque, tum regiæ etiam familiæ commodum maxime pertinere, cujus rationem, si se ea in re facilem præberent, Poloni post regis mortem præ ceteris semper habituri essent. Ludovicus, tametsi amplissimi regni spem sibi, suisque eripi ferret moleste, tamen, ne, si rem negatum iret, in sententia perstantes alieno prorsus tempore irritarentur, habita cum suis optimatibus consultatione, oratorum postulatis morem gessit, fideque eorum, quæ pollicebatur, publicis literis confirmavit. (a)

Et pollicetur de successione conventionem ab optimatibus initam.

Nos Ludovicus Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæque rex, Princeps Salernitanus, & honoris montis sancti Angeli Dominus. Significamus, quibus expedit, universis præsentium per tenorem. Quod cum Joannes Castellanus Wysnicensis, Florianus Præpositus, & Cancellarius Lanciciensis, Petrus Tribunus, & Pelka Subagazo Cracovienses, ad nostram accedentes præsentiam, nobis ex parte universorum regnicolarum regni Poloniæ super concedendis eisdem clementer articulis infra scriptis, humiliter supplicassent, Nos eorum, nec non etiam ipsorum regnicolarum petitionibus gratiose inclinati, promittimus, & assumimus bona fide, absque omni dolo, & fraude, verbo nostræ regiæ Majestatis, ut, si disponente Domino in jus, & regimen regni Poloniæ pervenerimus, juxta formam compositionis, seu ordinationis, inter serenissimos Principes, Dominos Carolum quondam regem Hungariæ, genitorem nostrum, ipsiusque sororium ac affinem, & fratrum nostrorum personas dudum initæ, & firmatæ, ac nobiscum universis temporibus innovatæ, processu temporis succedere nos contingat, nullas collectas, seu exactiones nos, & successores nostri, & eorundem regnicolis in prædicti regni tempore, exigi faciemus, a regnicolis prænotatis, quas recolendæ memoriæ dominus pater ipsius domini regis, aut idem dominus rex aliquibus ex causis ultra consuetam, & solitam libertatem ab eisdem regnicolis, & præsertim Prælatis, & personis Ecclesiasticis, eorum villis, & populis seu incolis, Nobilibus, ac eorum villis, & populis, seu civibus regni ejusdem cujuscumque status, & conditionis exigi, seu extorqueri fecisset, sed his omnibus eximus, quæ ipsi consueverunt solvere ab antiquo, vel quæ ad omnium regum, seu jus regale consueverit pertinuisse, seu consuluit. Sed si omnes, exceptis tamen nobilibus, dicti regni Poloniæ, ac aliqui dictorum civium de eodem regno, occurrente aliquo necessitatis, seu opportunitatis tempore, contribuere voluerint, ad id faciendum, seu solvendum nullo modo eos compellemus.

Item si per regnum illud quocunque tempore nos procedere contingat, descensus super Prælatos, Ecclesias, monasteria, ipsorumque populos supradictos, seu regni ante dicti Nobiles, & eorum Johagiones populos, vel inquilinos, non faciemus contra eorum voluntatem, nec aliquid occasione descensus exigi faciemus ab eisdem. Quod si alias pro faciendo descensu divertere non possemus, ex tunc pro nostris sumptibus, & pecuniis nos procurari in victualibus, & aliis necessariis faciemus. Ceterum si in nostri, & successorum regiminis tempore pro aliqua expeditione facienda, ultra fines regni procedere nos contingat, & expediat, vel eisdem de damnis, si quæ regnicolæ ejusdem regni in eadem expeditione nobiscum aut aliquo nostrorum successorum, existentes in nostris, aut ipsorum servitiis subierint, plenarie eisdem satisfactionem impendemus, & ipsi idem impendere teneantur.

De-

(a) DLUGOSSUS Hist. Polon. Lib. IX. ad an. 1355.

Demum si, quod absit, nos aut Dominum Joannem nepotem (a) nostrum, Ducem absque herede masculini sexus decedere contingat, ex tunc omnia pacta, conventiones, dispositiones, ordinationes, juramenta fidelitatis, & homagia, & obligationes quaelibet confecta super facto regni Poloniae supra dictis, quae nos, aut nostros & ipsius heredes contingebant, irritentur, & viribus maneant caritura, nec alii successores nostri, praeterquam heredes memorati, eorum pactorum occasione ad hujusmodi juris in eadem valeant ulterius vendicare. Sed regnicolae ipsi regni Poloniae super ipsis liberi sint penitus, & exempti, ac per omnia expediti, salvis solutionibus quinque millium sexagenarum grossorum Bohemicalium inclytae Dominae, filiae Serenis ejusdem Domini regis, tempore maritationis ipsius, prout per praedictum Dominum genitorem nostrum assumptum fuerat, per nos plene, & integre eidem persolutis, de quibus in praedictorum compositionis, & irritationis, ordinationis, & annullationis eventu, volumus, ut nostris successoribus, seu heredibus satisfactio impendatur per illum, qui praefato Poloniae regno praesidebit. Sic tamen, si praedictum regnum in nostras, vel dicti domini Joannis Ducis, nostrorumque, vel ipsius heredum manus devenire non contingat. Quod si devenire contigerit, ex ipso praefati rex, & regnum a debito dictorum quinque millium sexagenarum sint per omnia expediti. Pacta autem, conventiones, dispositiones, & ordinationes quaelibet, & instrumenta confecta super ipsis temporibus, quibus supra, cum omnibus ipsorum obligationibus, ac promissionibus, & firmamentis quibuscunque praesentibus, ratificamus, & approbamus, & illibata juxta conventionum, conventorum in eisdem formam, sub ejusdem juramenti vinculo promittimus omnibus temporibus observare. Insuper omnes Duces, Praelatos, Ecclesiasticasque personas, Barones, Proceres, Milites, Nobiles, civitates, villas, eorumque populos, & singulos, in eorum libertatibus gratiose conservare, nec eas contra illas intendimus aggravare, vel per alios patiemur aggravari modo aliquali. In quorum omnium testimonium, atque robur praesentes concessimus litteras nostras duplicis, ac pendentis sigilli nostri munimine roboratas. Datum Budae XXIV. mensis Junii, anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo quinto.

Legatis in Poloniam reversis, haud minor domi controversia per idem tempus, inter Praepositum veteris Budae, ac Castellanum regium montis Pestiensis (b), seu novae Budae oborta, Ludovicum mire sollicitum habuit. Cum enim limitum, ac jurium causa crebrae altercationes utrinque fierent, metuque esset, ne, si lis ex lite sereretur, verborum contentio in concertationem odiorum sensim migraret, Ludovicus bona Pontificis venia, datoque primis Hungariae Optimatibus arbitrio, ita rem attemperavit, ut veteris Budae partem novae adjungeret, veterem contra urbem novis fundis locupletaret, qui redituum copia, & ubertate prioribus nihil inferiores essent. Ad haec, ut fons litium penitus obturaretur, novi mutuo consensione designati limites, & pensio, quam Castellanus regio nomine quotannis Praeposito offerebat, antiquata. Juvat causae ortum, exitumque, quantum ad annales attinet, ex conventionum tabulis cognoscere (9).

Budam veterem a vetere separat.

Ludovicus Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriae, Bulgariae, Comaniaeque rex, Princeps Salernitanus, honoris montis

Utriusque juribus publicis literis cavet.

(a) Jam alias indicavi, inproprie hoc loco nepotem dici, quod Stephani fratris ex Margaretha Ludovici Bavari Romanorum regis filia natus esset, ut postea ex diplomate planum factum.

(b) Invenio in diplomate Belae IV. de anno 1244, quo privilegia hospitibus confirmat, urbem quoque de Pesth dici, & ad discrimen faciendum, hodiernam Pest item minorem Pest. En verba diplomatis: *Bela Dei gratia Hungariae &c. rex ... ad universorum notitiam ... volumus pervenire, quod cum tempore persecutionis Thartarorum ... grande dispendium totali regno nostro, hospites nostri de Pesth privilegium super ipsorum libertate confectum ... amisissent, nos fecimus libertatis ... decimae reservandam.* Hic enumeratis praerogativis satis amplissimis, subjungit: *Item minor Pesth ultra danubium sita, quantum ad naves ascendentes, & descendentes ... consimili gaudeat libertate ... Datum ... anno ab Incarnatione Domini M. CC. XLIV.*

(9) Communicavit id mecum Cl. KOLLAR, ex apographo authentico Illustriss. & Reverendiss. D. IGNATII SALBECI a Comitibus de BATHYAN, Abbatis S. Georgii de Gyilk.

Anno Christi 1355.

Anno Christi 1355

S. Angeli Dominus, ac Elisabeth eadem gratia regina, ipsius genitrix, omnibus Christi fidelibus præsentibus, & futuris, præsentium notitiam habituris salutem in salutis largitore. Quia Conditoris omnium summa providentia orbem terrarum sub regnorum distinctione disposuit, & sic regum, ac Principum regimen dirigi voluit, & salubriter gubernari suum gregem, regalibus procul dubio incumbere dignoscitur officiis, ad ea continua solicitudine intendere, quæ gregi sibi credita expedire viderint, ac noverint opportunissima, & præsertim circa Ecclesiarum negotia, atque jura ea specialius, & devotius eos convenit excitari, quo Conditor ante dictus eam supremam in regibus materiam cunctorum fidelium esse censuit, & manifestam, ut Deo propitio sibi illi famulantes protegantur a noxiis, salutaria semper incrementa recipiantur, & pacis affluant ubertate, nunc eisdem donationes novas faciendo, nunc donata ampliando, nunc pro his, quæ successive inutilia essent reddita, de utilioribus permutationis titulo, seu alias providendo.

Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod, cum inter Præpositum, & Capitulum Budæ veteris ex una parte, & Castellanum nostrum, ac cives de eadem & ex altera, multifariæ discordiæ, dissensiones, scandala, rixæ, & contentiones ab olim exortæ fuissent successive, & super his utrumque tam Majestati nostræ regiæ, quam regnali fuisset compertum ab antiquo tempore, quia quidam Præpositus cum Capitulo jura, jurisdictiones, & dominium proprietatum vendicabat in oppidum, & cives ante dictos vigore donationum regalium, ipsorum Ecclesiæ factæ, & collatæ, ipsis recusantibus eisdem obedire in hac parte. Nos itaque ad oppidum, seu civitatem ipsam speciali ducimur affectu, quod cuilibet exinde patere potest intuenti, quia duas solemnes Ecclesias, unam videlicet pro Collegio Præpositi, & Capituli prædictorum, Nos regiis nostris sumptibus regnalibus aliam in honorem B. Virginis pro usu sororum sanctæ Claræ, ordinis S. Francisci, ex nostris sumptibus communibus regalibus, & regnalibus de novo ædificari, & construi fecimus, in eidemque volentes de juribus Præpositi, & Capituli jam dictorum clarius informari, ea nobis in præsentia Prælatorum, & Baronum regni nostri exhiberi fecimus per eosdem, & privilegiorum, ac aliorum instrumentorum tenorem notavimus coram quam pluribus examinari diligenter super eorumdem firmitate, & vigore consentientiarum Prælatorum, & Baronum, & specialiter Demetrii Varadiensis, Nicolai Zagrabiensis, aulæ nostræ vice Cancellarii, Joannis Vesprimiensis, ac Stephani Nitriensis Episcoporum, nec non Ladislai Præpositi Chasmensis, Comitis capellæ nostræ, & Gregorii Custodis Varadiensis, devotorum nostrorum Capellanorum. Item Nicolai Waywodæ Transilvanensis, & Comitis de Zolnok, Citho Magistro Tavernicorum nostrorum, Thomæ filii Petri Janitorum nostrorum Magistri, ac Nicolai filii Pereni, quondam Waywodæ Transilvaniæ, quos ad hoc duxeramus eligendo ordinandos.

Et quia, prout iidem demum nobis eorum fide, & fidelitate sanctæ Coronæ debita, post eorum maturam deliberationem retulerunt, pro certo comperimus, Præpositum, & Capitulum antedictos quoad jurisdictionem, & ipsius exercitium, ac tributum fori, nec non Cibriones, quæ a civibus sub ipsius Civitatis, seu oppidi territorio consuetus exigi consueverunt, clarum jus habere, & in ipsorum consistere possessione pacifica, & quieta sed quoad dominium proprietatum, & tributum navium, quod (10) præsens pro Castro nostro exigitur, licet jura eorum exhiberent, non tamen in ipsorum possessione a tempore, cujus non exstaret memoria, eos unquam constabat exstitisse, vel fuisse - -

Considerantes igitur, quod propter vicinitatem castri nostri prædicti, eorum jura, in quorum possessione pacifica, & quieta persistebant, parent deperire, vel saltem notabiliter ipsis cedunt in futurum, pro sedandis discordiis, dissensionibus, rixis, contentionibus, & scandalis supra dictis, deliberavimus, & firmavimus jura omnia temporalia supradicta, præter Cibriones, quæ Præpositus, & Capitulum in parte petunt infra specificanda oppidi, seu civitatis ipsius, & in illius civibus, nec non tributis quam fori, quam navium, seu jurisdictionem se habere prætendebat, ad manus nostras regias, ac regnales revocare, ac eisdem præposito, Capitulo, & Ecclesiæ de utilioribus, & amplioribus, nec non ipsis magis expedientibus redditibus, & proventibus, permutationis titulo, habita prinde requisita prævius super hujusmodi permutatione sedis Apostolicæ licentia, & obtenta,

(10) Facta sententia magis sibi constabit, si legeretur quod

Anno Christi 1355

tenta, prout patet in forma Bullæ, per quam certis regni nostri Episcopis, videlicet Demetrio Varadiensi, Nicolao Zagrabiensi, aulæ nostræ vice Cancellario, Joanni Vesprimiensi, hujusmodi permutationis requisitio, & perfectio a Sede Apostolica est commissa. Super cujus quidem contractus perfectione, & præmisso nostræ provisione facienda, & complenda idem Præpositus, & Capitulum Majestati nostræ instantia humili, & devota supplicabant.

Commutanda igitur consilio nostrorum omnium Prælatorum, & Baronum præmissa super præfatis deliberatione diligenti compensatis omnibus utilitatibus, proventibus, & redditibus, quæ jam dicti præpositus, & capitulum habebant, vel habere poterant in Civitate vel oppido, ac aliis partibus supra dictis, quamvis ea omnia etiam nec ad dimidietatem quantitatis, sive summæ infra scriptæ extendi valerent modo aliquali, nihilominus tamen, et illa, quæ super excedunt, pro nostra, nostrorumque salute in donationem ipsius ecclesiæ novæ per nos regnum ædificatæ vobis dignificantur, redditus, & proventus ducentarum marcarum boni rationis Budensium eisdem annis singulis constituimus, & assignavimus perpetuo possidendos - - - Tum recensitis, quos Præposito, ac Capitulo vicissim largitur, fundis, ac privilegiis, pensionem hactenus regio nomine dari solitam antiquat in hæc verba. *Ceterum, quia nostrum nostrorum in ipsius Civitatis, seu oppidi constitutam territorio jam dictæ Ecclesiæ Budensis olim ædificatum fuerat, & constructum, & ab hoc Castellanus noster unum dicti Castri quolibet anno unam marcam auri Præposito, & capitulo solvere tenebatur, quia jam in portionem nostri territorii ædificii dignoscitur, iidem Præpositus, & Capitulum ab ipsius solutione unius marcæ auri perpetuis temporibus expeditum, & liberum reddiderunt, renuntiando omni juri, quod in eo habitum habuissent.*

Quam quidem oppidi, sive Civitatis partem sic nobis cedentem, Civitatem regalem constituimus, & metali distinctione per eundem Magistrum Thomam, & jam dicti Capituli Strigoniensis testimonium, præsentibus eisdem Præposito, & Capitulo, ac Prælatis Commissariis supradictis, nec non consensum præbentibus, & assensum, a portione Ecclesiæ, ipsiusque fundus, his metis duximus separandum. Quibus minutim consignatis ita subscribit: *In cujus rei memoriam, perpetuamque firmitatem præsentes litteras nostras privilegiales fieri fecimus pendentium authenticorum, ac duplicatorum sigillorum nostrorum munimine roboratas.* Datum per manus ejusdem *Venerabilis in Christo patris, Domini Nicolai Episcopi Zagrabiensis, aulæ nostræ Vice-Cancellarii, dilecti & fidelis nostri. Anno Domini MCCCLV, septimo Kalendas septembris, regni autem nostri anno quinto decimo (9) Venerabilibus in Christo patribus, Nicolao Strigoniensi, locique ejusdem Comite perpetuo, Colocensi sede vacante, & Domnino Spalatensi Archiepiscopis, Nicolao Agriensi, Andrea Transylvanensi, Demetrio Varadiensi, Nicolao Quinque Ecclesiensi, Thoma Csanadiensi, Joanne Vesprimiensi, Colomano Jauriensi, & Michaele Vaciensi, Fratribus Thoma Sirmiensi, Stephano Nitriensi, & Peregrino Bosnensi Episcopis Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis viris Nicolao Palatino, & Judice Cumanorum, Nicolao Vayvoda Transylvano, & Comite de Zolnok, Ossio Magistro Tavernicorum nostrorum, Comite Nicolao de Szécs Judice Curiæ nostræ, Nicolao de Machow, & Nicolao totius Sclavoniæ, & Croatiæ Banis, Leukus Dapiferorum, Dionysio Agazonum, Thoma Janitorum nostrorum Magistro, Simone filio Mauritii Comite Posoniensi, ac aliis quam pluribus regni nostri Comitatus tenentibus, & honores*

1356. *Viennam profectus litem arbitrium Ducis Austriæ committit.*

His expeditis cum Viennam sequente anno profectus Ludovicus, litem, quam illi Margareta Tyrolensis intentarat, Alberto Duci Austriæ judicio commisit. Litis originem inde ab connubio, quod inter Margaretam, & Joannem Moraviæ Marchionem Caroli IV Imperatoris fratrem olim coaluerat, scriptores repetunt, ad quod conciliandum Carolus Ludovici pater certam pecuniæ summam pro sponso dotis nomine pactus fuerit. Itaque Margareta paterni vadimonii onus ad Ludovicum cum regno transisse contendebat, & crebris nunciis, ut no-

N 2

(9) Hic errorem scribentis puto cubare, nam si a mense Julio anni 1342, quo Joannes Archidiac. coævus memoriæ excessum fuisse, rationem subducamus, annus Christi 1355, nequit esse XV regiminis.

Anno Christi 1356.

nomen dissolveret, opabat Ludovicus, quamquam divortium inter Margaretam & Joannem intercessisse non nesciret, tamen ut a molestissima feminae interpellatione se se expediret, Alberto Duci, cum Viennam venisset, totius caussae arbitrium dedit. Albertus de re, quae ambigua admodum esset, in hunc modum pronuntiavit. Ludovicus triginta florenorum millia in fidem Ducis deponeret, ac Tyrnaviense oppidum eodem tempore traderet Margaretae: quae si ante proximas paschae ferias monumenta, quibus eam dotem sibi deberi contenderat, non produxerit, viceta millia rex reciperet, decem Margaretae manerent; Tyrnaviensi autem oppido tam diu uteretur, quoad Dux litem ad liquidum illustraret, (10) ut diploma ea de re vulgatum fidem facit. Quem tamen exitum res sortita sit, aut in quam partem Albertus sententiam postea pronuntiarit, nihil habeo, quod affirmem.

Eumque novis foederibus sibi obstringit.

Eadem opera, ut provinciarum publicae quieti Dux consuleret, & Ludovicus armorum socios sibi adversum Venetos conciliaret, in quos Dalmatiae caussa bellum traducere constitutum habebat, veterem amicitiae foedera mutuo consensu instaurata sunt, quibus non modo ipsi cum viverent, sed liberi quoque ab eorum excessu decennium integrum obstringerentur. Tabulas, quae Ludovici nomine signatae sint, nusquam reperi. Alberti contra sic se habent. (11)

Nos Albertus Dei gratia Dux Austriae, Styriae, & Karinthiae, Dominus Carniolae, Marchiae, ac Portus Naonis, Comes de Habspurch, Landgrafius Alsatiae, Dominusque Phiretarum praesentibus profitemur. Quod cum excellenti, & illustri Principe, Domino Ludovico Rege Ungariae, fratre nostro carissimo, nexu consanguinitatis, & amicitiae, quo constringimur uti ligante, ligam, & unionem inivimus, ac amoris foedera contraximus, promittentes pro nobis, nostrisque haeredibus per praesentes, quod si quisquam praefatum Dominum Ludovicum regem Ungariae, haeredes suos, terrasve suas, quas in praesenti tam retinet, vel in futurum obtinebit, invadere, seu damnificare praesumeret, nos, & haeredes nostri ipsum dominum regem Ungariae, & haeredes suos contra invasorem hujusmodi omni nostra potentia, totisque viribus juvare debebimus, ipsis sine fraude, consiliis, & auxiliis fovere, & fideliter assistendo. Quod si modo simili aliquis nos, haeredes nostros, & terras nostras, quas ex nunc habemus, vel imposterum habebimus, invaderet, seu damnificaret, ex tunc Dominus rex praedictus, & haeredes sui, nos, haeredes nostros, & terras nostras cum sua potentia, totisque viribus contra invasorem hujusmodi adjuvare debebunt, nobis similiter sine fraude, consiliis, & auxiliis fovere, & fideliter assistendo. Si etiam dictum dominum regem Ungariae, vel nos de hoc medio decedere contingeret, ex tunc haeredes nostri, quos utrinque superstites relinquemus, praedictam unionem, ligam, & foedera ad decem annos continuos post mortem nostram inconvulse observabunt, & in ipsis remanere debebunt, omni modo, & forma, sicut superius est ex-

(10) Ex protocollo MS. authent. Alberti sapientis Saxoniae Ducis apud P. STEYRERN S.J. pag. 187. „Wir Albrecht „thun chunt, das der hochgeboren Furst „unser lieber bruder Kunig Ludwig von „Ungern an einem tail, und unser liebe „Mume Vraw Margret Hertzogin von „Bayrn an dem andern tail in unser hant „gegeben habent --- Ze sprechen umb „die morgengab, die der vorgenant unser Mumen volgen sol, davon haben „wir gesprochen, und sprechen auch, „das der vorgenant unser bruder der „Kunig an unser gewalt sol hie niderlegen „XXX M. florin, und darzu sol er in „antwurten die stat Tyrna, und was „darzu gehört, also mit der beschaiden„hait, das die vorgenant unser Mume „ir brief die si spricht, das si über irmer „gengab hab, furbring --- Zwischen hinnan und Ostern --- War aber, daz „si ir brief in derselben frist nicht fürbrecht, --- so mag der vorgenant unser bruder der Kunig --- der vorgenant „XXX Mill florin, die er in unser ge„walt niderlegt, XX M. hinwider ne„men, und die ubrigen X M. flor. sullen „wir unser vorgenant Mumen inantwur„ten --- und ob si dann ir brief zwischen „denselben Ostern, und den Phingsten „nicht furpringt --- so soll si dennoch „Tyrn, und was darzu gehört als lang „inhaben, als wir darüber sprechen --- „Der geben wir - - Datum Vienne „Dominica post Epiphaniam Domini, an„no Domini MCCCLVI. „

(11) Ex Tabul. Caesar. Vienn. apud P. STEYRERN S. J. loco cit. pag. 186, & 187.

expressum. Praeterea cum praedicto fratre nostro rege Ungariae, propter amicitiae, & dilectionis suae vinculum convenimus, & concordavimus, quod contra avunculum ipsius inclytum Principem Dominum Kasimerum regem Poloniae nulli praestabimus auxilium, vel juvamen, quod si etiam idem frater noster Dominus rex Ungariae, de obsequio, vel servitio alicujus, vel aliquorum nostrorum fidelium indigeret, & ipsorum servitia habere vellet, illos de nostra voluntate ad sua servitia poterit aggregare. In cujus rei testimonium easdem praesentes nostri sigilli munimine jussimus roborari. Datum Wiennae nona die Januarii, anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo sexto.

Annus Christi 1356.

Ludovicus paucos post dies, quam foedus instauratum esset, in Hungariam revertit, & Albertum regio more Jaurini hospitem accepit. In causa lites fuere, quae sibi cum Carolo Caesare intercesserant, quas ut suo judicio rex vicissim complanaret, pro vetere in Austriacos amicitia orabat, eamque ob rem quatuor Legatos, Ulricum Walseanum, Hermanum Landenbergum, Alberonem Buchaimum, & Ottonem Maisovium, qui ex Ludovici arbitrio, ac sententia rem gererent, publicis tabulis, quas XVI Calendas Februarias Jaurini ediderat, designavit. (12)

Bellum in Rascios, & Schismaticos decernit.

His ita constitutis, & Alberto officii causa ad confinia Hungariae deducto, animum curasque ad bellum Rasciae inferendum convertit. Vetera regum in eam provinciam jura, frequentatae horum in Hungariam incursiones, pacta cum Venetis foedera, contra quos multiplex Ludovico ob ereptam Dalmatiam inimicitiarum causa fuit, regem ad id consilium perpulere. Quamquam maximas religionis partes, quam latius per eam regionem proferre meditabatur, in eo armorum apparatu haberet, ut ipse Ludovicus misso Romam Stephano Budensi Praeposito, & electo Zagrabiensi, cui amplissimam eum Innocentio Pontifice de re suo nomine tractandi potestatem indulsit, significarat, ac prius, quam Legatus reverteret, edito in haec verba diplomate, dum Zagrabiae cum exercitu moraretur vulgavit. (13)

Mittitque propterea Legatum ad Pontificem.

Nos Ludovicus Dei gratia rex Hungariae. Notum facimus universis praesentes literas inspecturis, quod cum nos jam dudum divina gratia favente, ac Domino adjuvante, & ut Catholicus, & Christianissimus Princeps optaverimus, & affectanter optemus intuitu Dei & sanctae matris Ecclesiae, & totius fidei Christianae, & ad ipsius laudem, & augmentationem regnum nuncupatum Rasciae, quod juris Praedecessorum nostrorum, ac nostri fuit, & existit, & quod desacto tenetum est, & tenetur occupatum per sanctae, & unicae matris Ecclesiae rebelles, Schismaticos, infideles, & Catholicae fidei contemtores, atque negantes, ipsum regnum ad fidem Christianam, & sanctae matris Ecclesiae unitatem, obedientiam, reverentiam debitam, & honorem, & ad jus nostrum trahere, & traducere, prout etiam tenemur, & ad praedicta ex debito sumus astricti, potissime cum regnum illud nostro, quod possidemus, contiguum existat, & propterea Crucem sanctam sumere, & per subditos nostros, in quantum possumus, sumi facere ineffabili affectione peroptemus, hinc est, quod sanctissimus in Christo pater, & Dominus noster, Dominus Innocentius divina providentia Papa VI auditis, & intellectis praemissis optatis, & affectione nostris, sanctitateque sua intima-

N 3 tu

(12) Ex Tabul. Caesar. Vien. apud P. Steyerer S. J. pag. 232. „ Wir Albrecht „ von Gots genaden Herzog ze Osterreich, „ ze Steyr, und ze Kernden tün chund, „ das wir unsern getrewen lieben Ulrich „ von Walse, unserm Hauptman dacselbs „ in Steyr, Herman von Landenberg „ von Greiffense, Albern von Puchaim „ unserm Landvogt in Enrthe, und Turgöw, und Otten von Meissow, geben „ haben ze stall vollen gewalt ze tädingen, und tading auf zenemen, die „ der hochgeborn Furst Her Ludwig Kunig ze Ungern unser lieber bruder zwi- „ schen dem allerdurchleuchtigsten Fersten, unserm lieben gnädigen hern hern „ Karle Romischen Kayser ze allen „ Zeiten merer des reichs, und Kunig ze „ Behem an ain tail, und uns an dem andern tail, tadinge sol umb etlich unwillen, chlag, und aussleuff, und was die „ vorgenanten unser getrewen lieben an „ derselben tading ausnement, und daran „ tunt, das haben wir stet mit urkund ditz „ briefs, geben ze Rabe am Sambstag vor „ sand Peters tag als er auf den stul gesetz „ wurde, anno Domini MCCCLVI. „

(13) Raynald ad annum 1356.

Anno Christi 1356.

tis, seu relatis per dilectum Joannem Capellanum nostrum, seu alios de praedictis, notitiam habentes, per suas patentes literas apostolicas more Romanae curiae bullatas, nobis filio obedientiae scribere dignatus est, praefatos, affectum, & voluntatem multipliciter commendando, ac sibi, seu Sanctitati suae grata, & accepta significando.

Unde moventur & inducimur formam, modum, conditionem, & statum, secundum quos praedicta intendimus adimplere, sanctitati suae insinuare, & procuratores seu procuratorem, nuntium, seu nuntios specialiter ad hoc instructos destinare, qui in animam, & super animam nostram ad sancta Dei Evangelia corporaliter tacta jurent, seu juret, quod ipsis modo, & formam infra scriptas attendemus, & observabimus, ac attendi, & observari faciemus modo posse totaliter extenso.

Quapropter praedicta fi, divina gratia favente, executata, ac voto divino ad propositum nostrum jam diu dedicata exsequi volentes, prout possumus, & debemus, auctoritate, licentia, & assensu ipsius Sacratissimi Pontificis praedicti, ac sanctae fidei Apostolicae, ut martio dei valeamus, justum & catholicum bellum vere, favere, & habere, prout etiam vere fovemus, & habere intendimus, per praesentes litteras, seu instrumentum sigilli nostri majori, meliori modo, jure, & forma, quibus possumus, facimus, constituimus, creamus, & ordinamus, nostrum certum missum, nuntium, factorem, & legitimum, specialem, & indubitatum procuratorem, & alias, quod quo dici, & esse melius posset, videlicet, honorabilem virum, Dominum Stephanum Budensis (14) Ecclesiae Praepositum, Capellanum nostrum, fidelem, & specialem, specialiter ad comparendum coram Domino nostro Papa, vel ab ii, seu sede Apostolica ad hoc deputatis, seu coram sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus pro obtinendis, & ad obtinendum pro nobis quascunque litteras apostolicas in praemissis, & circa praemissa, & quodlibet eorundem necessarias, seu opportunas, & ad jurandum in manibus dicti Domini Papae, seu cujuscunque super hoc potestatem, seu consensum habentis, in animam, & super animam nostram, & ad sancta Dei Evangelia corporaliter tacta, quod praefatum bellum, seu versus sanctae Crucis assumtionem contra praedictos faciemus, nitimus, seu facere, fovere, & habere satagemus, & properamus ad honorem Domini nostri Jesu Christi, & ejus sanctae matris gloriosae Virginis Mariae, & ad honorem, reverentiam, & laudem sanctae Romanae Ecclesiae, & zelo fidei Christianae indubii, & ad ipsius augmentationem, nec non ad nostri memoriam in posterum recolendam, & ad conservationem, & reformationem juris nostri, quod praedecessoribus nostris, & nobis competiit, & competit, ne de negligentia, seu desidia argui valeamus, & quod regna, civitates, castra, terras, villas, & alia loca, quae per fideles Christianos tenentur, praetextu praemissorum invadere, seu occupare minime intendimus, nec nostrae intentionis existit, praeterquam ad passum, seu transitum faciendum, nec non quod ipsum regnum, civitates, castra, villas, terras, & tenutas, quae de dicto regno, Deo annuente, nos invaderi, recuperare, & habere contingat, ubi jus debitum non gravabimus, sed suis privilegiis antiquis, & laudabilibus, & honestis uti volumus, & permittemus, & ad unitatem, reverentiam, & obedientiam in devotos dictae S. R. E. deducemus, prout facultas nobis erit, & potestas Dominum concedent, & quod ecclesias, monasteria, & alia pia loca ad libertatem ecclesiasticam, ac sua privilegia, & immunitates deducemus, & reduci faciemus, & ipsis in eisdem conservabimus, & alias honorem, & statum ipsorum augmentabimus juxta posse, ac quod parati sumus, & erimus quandocunque quem hoc affectamus recipere Legatum Apostolicum, qui Crucem praedicet contra praedictos, & alias faciat, prout, & quemadmodum dicto Domino nostro Papae, & sedi apostolicae placuerit, & visum fuerit opportunum.

Item alias facimus, constituimus, & ordinamus dictum procuratorem ad jurandum, promittendum, & faciendum, quidquid, & quaeque circa praemissa, & quodlibet praemissorum fuerint necessaria, seu opportuna, & etiam si talia sint, quae mandatum exigant speciale, et etiam quae praesens procuratio omnia non praestabit, quae nosmet facere possemus, si personaliter essemus praesentes, promittentes in omnibus, & per

(14) Exemplar RAYNALDI habet *Vradensis*, sed cum in pluribus historia legerim *Budam* expressa nominibus *Wuda*, & *Warda*, opinor substitui oportere *Budensis*.

Annus Christi 1356

per omnia stare, & obedire, mandatis, dispositioni, & ordinationi dicti Domini Papæ, suique Collegii Cardinalium, & sanctæ sedis apostolicæ, ut ibi, quæ in præmissis, & circa præmissa visa fuerint necessaria, seu opportuna, & etiam, seu eorum arbitrio libet comparendi, omnia damna, & interesse occasione præmissorum per nos illata, quod tamen Deus avertat, resarcire, dantes & concedentes dicto procuratori nostro liberam facultatem, & generale mandatum prædicta faciendi, jurandi, obligandi, & exercendi, ut præmittitur, & alias omni modo, jure, & forma, quibus melius possunt, seu poterunt, & quæ nos facere possemus, si præsentialiter compareremus. Et volentes eum relevare ab omni onere satisdandi, verbo nostræ regiæ Celsitudinis promittimus, nomine, & vice quorum interest, seu intererit, quomodolibet in futurum, habere ratum, & firmum, quidquid per prædictum procuratorem nostrum actum, gestum, & factum fuerit in præmissis, & circa præmissa, ex nunc ratum, gratum habemus sub hypotheca, & obligatione omnium bonorum nostrorum præsentium, & futurorum, & etiam regni, seu regnorum nostrorum, in quantum debemus, possumus, & valemus, præsentium sub nostræ Majestatis testimonio litterarum. Datum Zagrabiæ Indictione VIII. mensis Junii die quarto, & anno Domini M CCC quinquagesimo sexto.

Ab hoc Signiferi Ecclesiæ cognomentum obtinet

Pontifex collaudata regia voluntate, in publico purpuratorum patrum consessu Ludovicum splendidissimo SIGNIFERI Ecclesiæ cognomento exornans, fideles omnes encyclicis litteris ad fundendas Deo preces cohortatus est, cum ut bellum feliciter rex conficeret, tum ut prole, nullam enim hactenus sustulerat, cælitus bearetur. (15) Itaque Elisabetham Stephani primum Bani, tum Bosnæ regis filiam, quoniam nostri Margaretam fato prius concessisse memorant, Ludovico ante hunc annum collocatam fuisse, admodum verisimile est.

Veneti clam Rasciæ regis fœderati, illi bellum commovent.

Hæc inter Veneti, quibus cum Rege Rasciæ amicitia intercesserat, dum belli molem fœderato incumbere vidissent, quidquid virium in promtu fuit, in suppetias misere. Ludovicus, sive id ægre ferret, seu id temporis momentum diu ante aucupatus fuerit, converso repente studio partem exercitus ad Jadram obsidendam, & infestanda maritima oppida in Dalmatia relinquit, ipse præter peditatum centum millia equitum ducens per Istriam summa celeritate usus in forum Julii irrumpit. Cujus consilii rationem hanc fuisse potissimum perhibent, quod classe destitutus videret Dalmatiam frustra ab se peti, neque aliter occupari posse, quam si illato in Italiæ mediterranea armorum metu, captisque deditione urbibus Venetos ex pactis fœderibus ad restituendam Dalmatiam adigeret, neque illum Ludovico consilium suo felicius cecidisse, ex eventu constabit. (16)

In Italiam irrumpens Tarvisium obsidet.

Ut forum Julii tenuit, continuo Tarvisium urbem obsidione circumdat, & structis operibus ad deditionem urget, ceteris copiis vastitatem quaquaversum circumferre jussis. Conglianum, Asolum Seravallum, & finitima oppida ostentato armorum metu se dediderant, Paduam, quod regem Legatione coluisset, in fidem accepit, & cautum, ne Hungari rapinas in eorum ditione exercerent. Abhinc progressiones armorum in agrum Venetum illatæ, illorum rationes vehementer conturbabant, quod hostem, quem Rasciæ incubiturum existimarant, suo nunc jugulo imminere, & in ipsis patriæ visceribus grassari sentirent (17) Egere propterea apud Pontificem, ut impetratus sua auctoritate induceret de ineunda pace tractaretur. Innocentius, qui tanto majorem dolorem ex conversis in Venetos armis percepit, quanto solidiore gaudio prius ob bellum Schismaticis indictum affectus est, gravissimas ad Ludovicum litteras dedit, quibus frustratam orbis Christiani spem, quam de domandis Schismaticis, & ad Ecclesiam reducendis præceperat, vehementer queritur

Arguitur a Pontifice

(18) *Sperabamus* (inquit) *in eodem regno Rasciæ latentem sub modio lucernam ipsius fidei Christianæ per ministerium tuum super candelabrum innocentius reponendam, lucere clarius, & fulgere simpliciter iis, qui longe sunt, & qui prope Sperabamus quod dextera tua infidelium cervices indomitas, & contumacia colla humiliaret in Domino, & elata Schismaticorum contereret cornua, subactisque fidelibus, quos in dicto*

regno

(15) RAYNALDUS ad annum 1356.
(16) Historia CORTUSIORUM Lib. XI. Cap. VIII. Tom. XII. Script. rer. Ital. Muratorii.
(17) Eadem hist. ibid.
(18) RAYNALD. ad annum 1356

Annus Christi 1356.

regno Rasciæ furor tyrannicæ potestatis augeatur, beneficium redderet libertatis. Sed me extrema gaudii mæror occupat, dulcedo in amaritudinem versa est, & lætitiæ jubilus doloris conversum est in clangorem, fertur enim, quod pacis æmulus, quendam filii nostri amicus, Dei negotia satagens impedire, inter te & dilectum filium, nobilem virum, Ducem Venetiarum discordiæ semina spargere nititur, & te usque adeo provocavit, ut robur potentiæ tuæ, quod adversus ipsius fidei æmulos exercere decreveras contra renatos fonte baptismatis experiri, convertereque proponas. - Datum apud Villamnovam Avenionensis diœcesis IV nonas Julii anno IV. Serius Ludovico redditas fuisse Pontificis litteras ex eo facile conficitur, quod mense Augusto Tarvisium auctis numero machinis acerrime quateret, & urbs omni commeatu interclusa deditionem factura erat, nisi, ut postea narrabimus, coorta seditio obsidionem longius extraxisset.

Insidiis Ludovicus discrimen capitale adit.

Hæc inter, nisi Numen pro regis salute excubasset, capitale discrimen Ludovicus adierat. Consueverat is ad relaxandum a curis animum Villam Quinti amœnissimo loco sitam, & Sileri flumine irriguam paucis, iisque suorum fidelissimis stipatus crebro invisere, ubi remotis arbitris litteras aliunde allatas legere, ac, ut negotiorum gravitas poscebat, responsa dare solebat. Id ubi Julianus Baldichinus civis Tarvisinus comperit, incessit hominem cupiditas, regem per insidias seu vivum, seu mortuum comprehendendi. Fraudi adornandæ modum suppeditabat loci situs, & opportunitas, erat enim amnis ripa, in qua fere rex inambulabat, densissima arborum umbra, & diverticulis ad parandas insidias plane accommodata. Hic inobservatus omnibus navi secundo fluvio delabi, &, ubi solum regem nancisceretur, aut injecto in collum laqueo, capere, aut socii opera vi comprehensum curribus sistere meditabatur, spe fretus, eo facinore finem bello impositum iri. Re secum deliberata senatum adit, pollicetur se regem Hungariæ inermem, & captum in urbe futurum, si sibi duodecim aureorum nummum millia, & Castrum Francum dono daretur. Senatus cognita hominis destinatione attonitus, nihil in ea re ab se sine Ducis arbitrio constitui posse respondit, facturam tamen rem sibi gratam, & reipublicæ utilissimam, si modum, quo rem effectum dare proposuerit, secum communicare vellet. Id dum se facturum diserte negaret, clam ad Ducem Venetias abire jussus, cum fraudis modum, nisi pollicitatam auri summam spopondissent, aperire tergiversaretur, Tarvisium reversus est. (19) Quem exitum insidiæ habuerint, in loco, nec sine Ludovici laude memorabimus.

Papa Ludovicum ad pacem hortatur.

Pontifex cum videret bellum in Italia latius propagari, veritus, ne ex mutuis Catholicorum cladibus, res Schismaticorum majora incrementa sumerent, communicato cum Stephano regis Legato consilio, Ludovicum ad ineundam cum Venetis pacem adhortatus est. (20)

Charissimo in Christo filio Ludovico, Regi Ungariæ illustri.

Discordia quam inter te, & dilectum filium nobilem virum Ducem Venetiarum pacis æmulus peccatis exigentibus suscitavit, eo nobis est, nec indigne, molestior, quo Dei negotiis, ad quorum promotionem, sicut Princeps Catholicus ferventer aspiras, contraria potius redditur, & nociva. Et ideo illam vias omnibus succedere cupientes, dilecto filio Stephano electo Zagrabiensi, Nuncio tuo apud sedem Apostolicam constituto, locuti fuimus super illa, ipseque nobis placide plurimum, grateque respondit, quod tu, sicut pacis amicus, & confessus de justitia causæ tuæ paratus eras, omnem discordiæ causam, quam cum Duce habes, eadem in manibus nostris libere ponere, & insuper gentes bellicas, quas adversus eum congregasti, effectualiter removere, super quo serenitatem tuam meritis gratiarum actionibus prosequentes, & ex oblatione uberi uberiorem consequi indubie sperantes effectum, memorato Duci per alias litteras nostras scribimus super hoc, sicut videmus negotio convenire. Quapropter serenitatem eandem instanter, & affectuose

pro-

(19) Additamentum ad Hist. Cortusiorum ex Codice Cribilliano, & Ambrosiano apud Murator. Tom. XII. Script. rer. Ital. pag. 949.

(20) Ex MSS. Hevenesianis.

precamur, fiducialiter expetentes, quatenus liberalem, & gratam oblationem hujusmodi, sicut de tua sinceritate plene confidimus, velis affectu grato, & plante liberaliter adimplere. Speramus enim, quod omnipotens Dominus pacis auctor periculis, quae ex dissensiis ipsis imminent populo Christiano, interventu pacis amabilis finem imponet optatum. Super quo ut affectionis nostrae plenitudinem percipias, eidem Venerabili fratri nostro Petro Episcopo Pactensi, & eidem electo imposuimus aliqua, tuae culmini pro parte nostra per eos oretenus exponenda. Et ideo precibus nostris adjicimus, ut relationibus Episcopi, & electi praedictorum in praemissis adhibeas plenam fidem. Datum apud Villam novam Avinionensis Dioecesis III idus Augusti, anno IV.

Anno Christi 1356.

Dedit quoque ad Venetiarum Ducem semel atque iterum litteras, quibus de rupto cum Rascis foedere queritur, postremum suadet, ut Hungariae regem placatum sibi reddat, ne majoribus belli calamitatibus simplicium victoria iram experiri cogatur. Illae in hunc modum habent. (1)

Venetiarum quoque Ducem ad foedus renovandum excitat

Dilecto filio, nobili viro, Joanni Gradonico Duci Venetiarum

Sicut per literas nostras, & Venerabilem fratrem nostrum Benjaminem Episcopum Firmanum Apostolicae sedis nuntium significavimus tibi nuper, discordia, quam inter Charissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Ungariae regem illustrem, & te pacis aemulus suscitavit, molesta nobis est admodum, & eo tediosior redditur, quod Dei negotiis, praesertim partium orientalis amplius est nociva. Ad succidendum itaque illam viae, & modos solicite perquirentes, a quibusdam nuntiis dicti regis apud sedem Apostolicam constitutis nuper audivimus, quod idem rex paratus est in manibus nostris ponere libere omnem, quae inter eum, & te vertitur, quaestionem, & omnem, quem super terras tuas tenet, exercitum revocare. Quapropter Nobilitatem tuam attente requirimus, & hortamur, illam attentius deprecantes, ac tibi tuae salutis intuitu expressius suggerentes, quatenus ipsius regis in hac parte considerans voluntatem, viam pacis & concordiae non refugias, sed acceptes, nosti enim, quod guerrae in post tempus praeter futurum aeterna tristes ut plurimum exitus parere consuerunt, cum nunc illam ferro perimat, nunc gladius absumat, & nunc [illegible] alius alium casus. Super quo, quia sicut discretus tua novit, in talibus est periculosa dilatio, intentionem tuam nobis cum celeritate rescribas, crediturus ei, quae Venerabilis frater noster Petrus Episcopus Pactensis Apostolicae sedis nuntius, latior praesentium tibi pro parte nostra retulerit in praemissis. Datum apud Villam novam Avinionensis Dioecesis IV idus Augusti, anno IV.

Haud multo post, cum Hungari Venetorum agro magis appropinquarent, regem Tarvisii morantem principes urbis Cives convenere, qui Ducis, ac reipublicae nomine pacem conficerent. Accepti comiter, & conditiones, quas afferrent, jussi exponere, Jadram pristinae libertati haud gravate se restituturos polliciti sunt: adjecturos certa Croatiae oppida, quae in Hungarorum potestate permanerent: alia retenturos cum annuo censu, quem rex constituisset: tum, ut pax firmior coalesceret, dato utrinque arbitrio omnium belli sumtus se soluturos recepere. At Ludovicus, nisi restituto omni Dalmatiae jure, quod sibi hactenus arrogarant, publica fide renuntiarent, nullam pacis mentionem deinceps se admissurum diserte professus est. Erant qui regem reprehenderent, quod, cum bellum infinitis sumtibus protogari necesse sit, honestas, utilesque conditiones recusaret: praesertim quod Praefecti palam edicerent, metum non de nihilo esse, Castra ob commeatus penuriam, & obortam inter Hungaros, & Germanos factionem, seditionibus perturbatum iri. Quae cum paulum post in apertum prorupisset, Ludovicus remissis domum Germanorum stipendiariis, exercitum quadrifariam divisit, eo pacto, ut dum unaquaeque pars tramestri spatio belli munia obiret, reliquae ab armis abstinerent. Qua re cautum est, ut & turbae, quae in numeroso exercitu aliae ex aliis oriri solent, & annonariae rationi optime consuleretur. Rebus hunc in modum constitutis in Hungariam rediit. (2)

Rex Venetorum Legatos rejicit, & in Hungariam redit

O Rege

(1) Ex iisdem MSS.

(2) MATTHAEUS VILLANUS Lib. VI. Cap. 63.

Anno Christi 1356. Legati conspiciuntur, sed irriti remittuntur, qui Dalmatia se prius abscede.

Rege absente Veneti nihilo feliciores armorum progressus experti rursum ad pacis consilia animum applicuerunt, & eam ob causam oratores in Hungariam misere, qui Ludovici animum captato aditu ad mollioca flecterent. Sed is nisi pacem iis, quas olim offerebat, conditionibus pacisceretur, inexorabilem se praebuit, Legatosque, quamquam cetera liberaliter habitos, re tamen, cujus causa venerant, infecta remisit. Ferunt ex his comperisse Ludovicum, sibi a Juliano Baldachino, cujus supra meminimus, insidias, dum in Tarvisinis castris ageret, structas esse, pollicitumque hominem, se regem Venetorum potestati traditurum, si depactam auri summam largirentur: id cum se facturos negarent, nisi is insidiarum molitionem coram senatu exponeret, periculum quod externo regi conflatum erat, diffiatum esse, quo, si amore in regem amicitia Veneti essent, magno suarum rerum commodo uti possent. Ludovicus, ut rem comperit, hominis videndi cupidus, per literas, Ducem Venetorum orabat, ut Julianum ad se mittere ne gravaretur, interposita fide pollicitus, se hominem indemnem, ac omnis injuriae expertem remissurum. Julianus, sive audaciae laudem captare vellet, seu regiae cautionis fide duceretur, haud multum moratus Ludovicum Budae convenit, structasque insidias, modum, tempus, locumque munitum explicat, solamque Civium suorum avaritiam in causa fuisse, quo minus ex sententia dolus sibi cecidisset, diserte professus est, & pedibus Ludovici affusus meditatae fraudis veniam petit, ad quam patrandam solo amore in patriam adductus fuisset. Rex candore fatentis captus, collaudata in cives fide, equis ac muneribus cumulatissime donatum liberaliter ab se dimisit. (3)

Jadra Hungaris traditur.

Interea res secundo prorsus eventu in Dalmatia gesta est. Copiae, quas Ludovicus prius, quam in Tarvisinam Marchiam irrupisset, ad obsidendam Jadram illhic reliquerat, Praefectorum virtute urbem ita premebant, ut cives ab deditione non abhorrerent, si Venetorum praesidiarii consensissent. Quorum cum major in rebus jam desperatis contumacia, quam virtus esset, primores viri, inito cum Abbate S. Michaelis consilio, Hungaros aperta porta concubia nocte urbi immisere. Ita Jadrae deditione accepta est. praesidiarii, qui victorum vim effugerant, in arcem elatiora defensionem adornabant. Ludovicus, ubi nuntium de capta urbe accepit, celerrime in Dalmatiam advolat, confirmatisque in fide Jadrensibus, Castrum oppugnari jubet, quo dedito valebat pacem iis, quas praescripserat, conditionibus ab Venetis extorqueri posse. (4) Sed ad consilium, quod serus jam autumnus esset, & crebri imbres militaria opera corrumperent, adhaesit, placetque lenta obsidione praesidiarios Commeatu interclusos ad deditionem compellere.

1357 Tranquillatum, Tragurium & reliqua Dalmatiae oppida

Atque haec ipsa hieme, quamquam asperior ingruerit, acta sunt. Sequente anno ut primum aura mitior aspiravit, novis utrinque studiis ad arma provolatum. Quae dum felicissimis auspiciis Hungari promovent, Spalatenses, ac Tragurini primi omnium extitere, qui in clientelam Hungarorum redierint. Cum enim superiore anno urbes suas Ludovico ab Venetis oblatas comperissent, malebant sponte regis benevolentiam occupare, quam de se ab aliis quaestum fieri. Itaque Spalatenses collatis inter se consiliis Venetorum stipendiarios conducta opera ad unum omnes capiunt, tum urbis claves ab Comite repetunt, se, in fide deinceps regis Hungariae futuros palam professi, nisi faciat, quod rogaretur, vim ejus ingratis abituros iri. Territus civium denuntiatione Praefectus, claves, urbemque eorum arbitrio permisit. Spalatensium exemplo Tragurini ad excutiendum quoque jugum concitati, Comitem, dum pietatis causa extra muros profectus esset, urbe excludunt, erectoque Ludovici vexillo Joannem Banum per nuntios accersunt, ut cives regis nomine in clientelam reciperet. (5)

Frustra a Venetis sub potestatem clientelam revocantur.

Ea defectio Venetos mirum in modum consternavit, quod pacis conditiones multo difficiliores redditura videretur apud Ludovicum, qui nisi tota Dalmatia

(3) Histor. Cortusiorum Lib. XI in Addita-ment. ex Codic. Ambros. & Collaltino.
(4) Hist. Cortusior. Lib. XI. Cap. X.
(5) Villanius Lib. VIII. Cap. 82. Et Tabella Cutheis Cap. III.

Anno Christi 1357.

matis decederent, omnes, quascunque hactenus offerebant, respuisset. In tam arctis rebus, cum neque vim propulsare possent, neque expeditum suis haberent consilium, perculsos Civium animos per litteras confovere, num ad pristinam fidem se revocari paterentur. Utrisque Venetarum Dux in haec verba scripsit. (6)

Johannes Delphino Dei gratia Venetiae, Dalmatiae, Croatiae Dux - - - Nobilibus, & prudentibus viris - Judicibus, Consilio, & Communi Spalatensi, & Traguriensi fidelibus dilectis salutem, & gratiam suam. Audivimus non sine displicentia multa mentis, quod inter vos fuerant aliquae novitates, per quas Comitem, & gentes nostras licentiasse videmur, de quibus novitatibus vehementer admirari compellimur, usi entes ex parte nostra causam aliquam processisse, sed potius oppositum, cum vos semper sicut filios, & fratres tractaverimus, & tractare perpetuis temporibus curabamus. Dum enim reminiscimur fidem dilectissimi, de quam misericordi fervitatis, & tyrannidis jugo a primordio vos in statum libertatis, & in signum gratiae nostrae recepimus, & quam dulciter, & benigne vestram conservationem, & bonum procuraverimus, in defensa vos & vestros, sicut nostros met Venetos, favorabiliter pertractavimus, nullo modo credere possumus, quod novitates praedictae ab ullo infidelitatis fomite processisse potuerint, quae imo eas potius ex accidentali casu aliquo, sicut quotidie evenit, credimus provenisse. Accedit cum mentibus nostris quantis laboribus, periculis, & expensis nos, & universaliter statum nostrum supposuerimus cum domino rege Hungariae, solum ob vestram libertatem tuendam, & vos in fidelitate, & gratia nostra vos conservare possemus, & cum quanta personarum, & rerum discrimine nos contra eum opposuerimus causa vestri, cum, prout satis, jam liceri, vel alterius emolumenti nostri ex vobis occasio nulla erat. Attende enim, & maxime per multas oblationes ab Ambasciatoribus vestris, prout existentibus Venetiis, nobis factas, illud processit, quod cum magnis nostris gravaminibus, & expensis, tenere continuo statueramus ducentos equestres, & multos pedestres, a quibus & liga in partibus Sclavoniae, ut vos, & vestra ab Hungarorum dominio possemus valeremus. Qualiter igitur in cor vestrum possit ascendere, quod tantae caritatis fideles, & filii, tot defensi laboribus, tot conservati periculis, a nostra devotione velint aliqualiter deviare, fama meminit possit quilibet faciliter judicare. Hortamur ergo vestram prudentiam, quatenus praemissis diligenter in animo recogitatis, fraternitatem nunc vobis dominii proponentes, ac servitute, & auctoritate dominii Hungarorum, quod sibi ipsis intolerabile prorsus est, in obedientia, & fidelitate vestra solita perseverare velitis, & si quid in contrarium actum est, debite reformare, nostramque gratiam repetere, quam paratam, & promtam, remisso qualibet injuria, vobis offerimus, cum firmo proposito, vos habendi carissimos, & recommendatos sicut unquam habuimus, & vestram conservationem, & bonam cordialitatem, ac totis viribus procurandi, ac personas, & bona vestra pro nobis, sicut bonus pater facit pro filiis, liberaliter exponere. Super quibus gratam vestram requirimus responsionem. Datum in nostro Ducali Palatio die XV. Julii, X. Indictione. Neque tamen quidquam his litteris profectum, quod Tragurienses ac Spalatenses, partim exemplo Jadrensium, quos acriter ab Venetis castigatos reminiscerentur, territi, partim commemorationem beneficiorum pro immemoris animi exprobratione interpretati, constantes in Hungarorum fide persisterent. Accessere haud multo post tempore Sibenicenses, ac Nonenses, cum jam antea Brachius, Almisani ac Pharenses in potestatem Ludovici venissent.

Ex quo pacis conditiones a Ludovico praescriptas amplectuntur.

Jam tota fere Dalmatia in jus Hungaricum asserta fuit: cujus recuperandae spem cum nullam Veneti haberent, metuque esset, ne Tarvisano quoque agro privarentur, rursus enim tam memorabili ad Nervesam praelio ab Hungaris victi fuere, ut hi Paduanis quinquaginta plaustra armis referta in victoriae relatae signum donarent, (7) oratores ad Ludovicum Jadrae tum agentem misere, qui pacem quibusvis conditionibus conficerent. Rex arbitrum Francisco de Carraria

(6) Apud Lucium Lib. IV. Cap. XVII. Annal. Reg. Hung. Part. III.

(7) Matth. Villanus Lib. VIII. cap. 90.

Annus Christi 1357

rara Paduæ Domino, & rerum Hungaricarum perquam studioso crediderat, cujus opera fœdus mense Novembri cum Venetis ita conclusum, ut hi omni jure, & titulo Dalmatiæ ac Croatiæ se in perpetuum abdicarent, Ludovicus contra, quidquid in Tarvisana Marchia bello occupasset, vicissim restitueret. (8)

1358. Conjectio publicis tabulis

Pactionem tabulæ jurejurando utrinque firmatæ sequenti primum anno vulgatæ sunt, quas, ne jura posthumæ, quæ Hungariæ regibus in omnem, qua late patet Dalmatiam peculiaria sunt, ignoremus, hoc loco attexere visum fuit.

Joannes Delfino Dei gratia Dux Venetiarum - - . Rex pacificus pro redemtione generis humani de supremis cœlorum ad ima mundi descendens, & tandem mortem subiens temporalem, Dominus noster Jesus Christus post gloriosam resurrectionem suam ascendens ad patrem, pacem, quæ caritatis est vinculum in suo natali glorioso cœlestium agminum multitudine nuntiatam suis præbuit fidelibus, & reliquit, sibi subditos pacis instruens amatores, & relegato odio, ut fraterna invicem amor regnaret, & quod noverca discordia se junxisset, mater concordia pacis unice solideret. Proinde ad universorum notitiam præsentium litterarum serie volumus pervenire, quod cum inter quosdam prædecessores reges, ac demum ex m. DD. Ludovicum Dei gratia Ungariæ regem ex una parte, & inclitos, & prædecessores nostros Duces Venetiarum - - Nos & Commune Venetiarum ex altera, procurante hoste antiquo, humani generis inimico, multæ discordiæ, rixæ, contentiones, derobationes, oppressiones, offensiones, strages, & damna orta fuissent temporibus retroactis, occasione Dalmatiæ, quod prædecessores nostri Duces, & nos, ac Commune Venetorum, ab olim tenuimus, & tenebamus. Tandem nos, & tota communitas Venetiarum, postquam plures ambassiatas factas hinc, & inde, venerabiles Viros Dominos, Petrum Trivisano, Joannem Gradenico, & Benintendum, Ducatus, & Communis Venetorum Cancellarium, cives nostros ad præfatum illustrissimum Dominum Ludovicum Ungariæ regem cum pleno, & sufficienti mandato, ut apparet, ex forma instrumenti, manu Rassani de Caresinis publica auctoritate Imperialis Notarii, & Ducatus nostri scribæ, sub MCCCLVIII. die XXVIII. mensis Novembris X Indictione, dum prænominatus Dominus rex in Civitate Jadræ fuisset, transmisimus, & ipsum declaratis nostris voluntatibus ad infra scriptam pacem, & concordiam, perpetuæ pacis, & concordiæ, vinculum amicabiliter invitavimus per eosdem. Nos igitur qui cum Christianis quibuslibet, & potissimum cum regno Ungariæ, antiqua amicitia Ducatui nostro conjuncto, pacem optavimus, & optamus ad infra scriptam pacem, & concordiam perpetuo duraturam, cum præfato Domino rege devenimus in hunc modum.

Cedunt omni Dalmatia, jure, ac titulo prius usurpatis.

Videlicet, quod nos, & Communitas Venetorum, & in nostris personis, ac vice, & nomine nostro, Ambasciatores, nuntii, & syndici prædicti, habentes ad infra scripta plenam, & liberam potestatem vigore instrumenti prædicti, contenti fuimus renuntiare, & effectualiter renuntiavimus de facto in manibus supra scripti regis, sui, & suorum successorum regum nomine, toti Dalmatiæ, a medietate scilicet quarnari usque ad confines Duracii, omnibus Civitatibus, terris, castris, insulis portubus, & juribus, quæ habuissemus, & tenuissemus, habebamus, & tenebamus in eisdem quoquo modo & specialiter Civitatis Novæ, Jadræ, Scardonæ, Sibenici, Tragurii, Spalati, & Ragusii, in terra firma existentibus, item Civitatibus, & terris adjacentibus, videlicet, Cherso, Veglia, Arbo, Pago, Bracina, Lesina, Curfule cum insulis earundem, cum omnibus pertinentiis, & utilitatibus earundem, ac titulis Dalmatiæ, Croatiæ, quibus uti consueveramus, & totum ipsorum jus, & dominium, & proprietatem, si quas habuissemus, in ipsum dominum regem, & successores suos, sponte, deliberate, & cum maturitate transferentes, renuntiantes insuper omni actioni, & omni juris, & legis beneficio, quibus ullo unquam tempore possemus contra prædicta, vel prædictorum aliquod nos juvare, & promittentes solemniter sub vinculo sacramenti pro nobis, & Commune Venetorum corporaliter præstito, de ipsa Dalmatia, Civitatibus, terris, castris, locis, insulis, juribus, & titulis, ac ipsorum possessione, seu dominio nullo unquam tempore per nos, vel alios nos intromittere, vel ali-

(8) Apud Lucium Lib. IV. Cap. VVII.

aliqualiter impedire, usque ad confines antedictos, obligantes nos, omnes civitates, terras, castra, loca, portus, insulas, atque jura infra dicta confinia existentia, quae sunt pro nunc in nostra potestate nostra, libere, pure, & simpliciter eidem Domino regi, vel quem ad hoc deputaverit, absque omni dolo, sine fraude, infra spatium viginti duorum dierum a tempore datae litterarum ejusdem Domini regis scriptarum nobis, in eadem forma resignare. De terris autem, & locis, quae in nostra potestate non essent, si regerentur per Rectores nostros, revocare, & retrahere quaslibet Rectores, & officiales, & gentes quaslibet, nostro nomine ibidem existentes, seu residentes, & quae eis in posterum contra ipsum Dominum regem recipere, sicut ipse Dominus rex solitus est esse alias gratiosus.

Anno Christi 1358

Et versa vice, ipse Dominus rex, volens nos Ducem, & Commune habere perpetuo in amicos carissimos promisit, quod omnes terras, castra, & loca, quas nos, seu subditi nostri, & sequaces tenebamus in partibus Tarvisii, & Cenetae, ac Istriae, seu alibi, quae ad dicti Domini regis manus devenissent, & devenerint, vel Tarvisinorum, & suo nomine tenerentur, aut fuerint, nobis, & dictis nostris subditis, & quorum erant, faciet tradi, restitui, & libere assignari infra terminum viginti duorum dierum praedictorum, seu quibus duxerimus deputandos, nec de ipsis locis, & terris ullo unquam tempore per se, successores suos, vel alios intromittet, vel impediet, renuntians, ac in nos transferens omne jus, si quod acquisivisset in eis, ita tamen, quod ipsas terras, castra, & loca, & subditos earum, nec non omnes amicos, adhaerentes, & sequaces ipsius Domini regis, tam Nobiles, quam ignobiles tractemus dulciter, & benigne, remissis omnibus injuriis, & offensis, & sicut faciebamus ante novitates praesentis guerrae, & sicut si Domino regi nunquam adhaesissent. & e converso promisit praefatus Dominus rex, facere, & curare de omnibus amicis, adhaerentibus, & sequacibus nostris tam Nobilibus, quam ignobilibus.

Rex vicissim, quidquid in Tarvisinis, Cenetensibus occupaverat, restituit

Item quod captivi ex utraque parte libere relaxentur. Item quod Dominus rex bona fide prohibebit, & ordinabit cum effectu, quod in aliqua terrarum, sive insularum, aut locorum, quae perventurae sunt ad dominium dicti Domini regis, & quae jam pervenerunt, non armabitur in cursum, nec exercebitur piratica, seu damnum, aut violentia aliquibus navigantibus, nec receptabuntur in suis portubus Corsarii, & malefici, sed potius persequentur, & arcebuntur, sicut decet regias justitias, & honores, & e contra - - in nostris terris, & insulis promisimus nos facturos. Aliud ulterius praeterea promisit Dominus rex praefatus verbo suo regio, universos, & singulos cives, subditos, & fideles nostros, & Communis Venetorum venientes ad terras, portus, insulas, & loca quaeque subdita, praesentialiter, & in futurum, Majestati suae habere & - - salvos, & securos, cum personis, & navigiis, ac rebus eorundem, & quod secure, & quiete possint ire, stare, redire, & manere per dictos portus, terras, & loca cum navigiis, personis, & mercimoniis suis, imo ipsos tractabit, & tractari vult dulciter, & benigne, sub favore & gratia ipsius: & e contra nos Dux, & Commune tractabimus subditos, & fideles dicti Domini Regalis tali vinculo - - - in praedictis omnibus & singulis.

Captivi utrinque liberi dimittuntur

Quod si partium aliqua hanc ordinationem, dispositionem, concordiae, atque pacis, interitus contraire, & eas infringere, vel violare conaretur aliquas terras, castra, insulas, aut portus, de iis, quae renuntiata sunt, occupando, vel aliter pacem contrafaciendo, ex tunc pars altera id sedi Apostolicae intimare debeat, & Dominus Papa vigore omologationis, ac potestatis datae per ipsum Dominum regem, & nos, tenore praesentium litterarum tenetur, & valet infra spatium unius mensis simpliciter, & de plano, absque strepitu, & figura judicii, solum recepta fide, & certificatione violationis, & infractionis antedictae, ad observationem dictae dispositionis, & ordinationis illum, vel illos astringere censura Ecclesiastica mediante in personas, vel Communitatem contra facientem - - sententiam interdicti, & in singulares personas excommunicationis proferendo, a qua nullatenus absolvatur, donec per partem praedicta infringentem, vel infringere procurantem parti alteri satisfactum, prout erit justum, vel illos nihilominus denunciando fidefragos, & perjuros. Si autem aliqua damna, vel injuriae, aut offensiones committerentur per subditos utriusque alterutrum, & tunc super illis ad ipsum dominum regem, vel suos officiales, vel rectores locorum

Literarum Pontificis judicio devincendas statuunt

 ipsorum

Annus Christi 1358.

ipsorum pertinentibus ad nos, & per nos, & nostros Rectores, & officiales pertinentibus ad ipsum dominum regem, infra spatium unius mensis a tempore depositæ querelæ plenaria satisfactio impendatur. Nec hæc ordinatio, dispositio, concordia, & pax intelligatur violata, sed in sua firmitate debeat permanere, ad quæ ipse dominus rex, & nos sponte nos obligamus voluntate.

Jure jurando se, ac successores suos obstringunt.

Præmissa autem omnia, & singula cum infra scriptis nostris Nobilibus juravimus ad sacrosancta Dei evangelia, tactis scripturis per nos, & successores nostros, & omnes pertinentes ad nos, inviolabiliter, & integraliter observare, & non contra facere, vel contra venire per nos, vel alios, de jure, vel de facto, directe, vel indirecte, palam, vel occulte, quovis ingenio, vel colore, sub indignatione Dei omnipotentis, & omnium sanctorum suorum, quod quidem juramentum præstitimus in manibus venerandi in Christo Patris Domini Stephani Zagrabiensis Episcopi, & Magnifici viri Domini Nicolai, regiæ curiæ Judicis, Ambassiatorum, & Procuratorum dicti Domini regis, ad hoc specialiter constitutorum, sicut constat per litteras regias, scriptas Jadræ sub anno Domini MCCCLVIII, die XX. Februarii sigillatas sigillo suo secreto. Nomina autem nostrorum Nobilium, qui nobiscum juraverunt, sunt hæc: Domini Franciscus Lauredano, Petrus Caravello, Joannes Mocenigo, Andreas Foscolo, Laurentius Dandulo, & Marcus de Priolis, Consiliarii nostri Venetiarum, & Domini Petrus Steno, Marcus Barisano, & Daniel Vilturi, capita Consilii de quadraginta. Domini Marcus Cornario miles, Petrus Gradonico, quondam Domini Ducis, & Franciscus Bembo, Domini Andreas Erizzo, & Nicolaus Faledro, Marcus Lauredano, Procuratores Ecclesiæ S. Marci, & dominus Pancratius Jorgio Advocator Communis Venetiarum. Dominus Petrus Badoaro miles, Bernardus Justiniano Procurator S. Marci, Petrus Memo, Bertucius Grimani, & Marcus Mauroceno, omnes honorabiles cives nostri Venetiarum, pro se, ac heredibus, & successoribus eorum, & tota civitate Venetiarum præditum juramentum præstantes. Actum Venetiis in Ecclesia S. Marci, præsentibus Reverendo Patre, Domino Raymundo dicto Patracensi Archi Episcopo, Venerabili viro Domino Neapolino de Tiberiis, S. Joannis Jerosolymitani Priore Venetiarum, Domino Paulo Cantore, & Canonico Zagrabiensi, & Domino Ladislao Canonico Badensi, testibus regalis, & aliis, anno Domini MCCCLVIII. Indictione XI. die Dominico, XX. Februarii, Feliciter Amen.

Hunc in modum Dalmatia, quæ Colomanis temporibus Hungariæ primum asserta fuit, deinceps variis acta conversionibus jam Græcos, jam Venetos Dominos habuerat, frustraque sæpius ab aliis regibus tentata, penitus in jus Hungaricum vindicata est. Sunt, qui præter conditiones, quarum supra meminimus, has quoque adjectas scribant: primum Veneti marinam classem viginti ac quatuor triremium in promtu habeant, qua Ludovicus, quoties libuerit, suis sumtibus instructa uteretur (9): tum Cretensibus, quos Turcæ acriter infestabant, octo aureorum nummûm millia, quoad pax, resecta ad vivum lite, penitus coaluerit, subsidio mitterent. (10) Sed his, quod publicæ tabulis comprehensæ non fuit, fidem præstare vix ausim.

Ludovicus fœderis cum Paduano fœdus facit.

Eadem opera Francisco de Carrara, Paduæ domino, qui regis conatus, dum in Italia esset, mirifice adjuverat, consultum voluit, ne Venetorum potentia opprimeretur. Itaque seorsim data fide cavit, se ejus ditiones, si a Venetis impeteretur, missis subsidiis defensurum, idque, ne fœdera hujus Veneti imprudentes essent, tertium post mensem, quam pax cum Venetis coaluerit, edictis litteris vulgavit. (a)

Nos Ludovicus Dei gratia Hungariæ &c. rex - - notum facimus præsentes litteras inspecturis, quod, quia Magnificus Dominus Franciscus de Carrara, pro sacro Romano Imperio Civitatis Paduæ, & districtus Vicarius generalis, amicus noster charissimus, in guerris, & discordiis, quas cum domino Duce, & Communitate Venetiarum habuimus, nobis adhæsit contra eos. Volentes igitur de periculis & de-

(9) RAYNALD. ad hunc annum.

(10) In margine codicis Ambrosiani ad Danduli Chronicon.

(a) Hist. CORTUSIOR. Lib. XI. Cap. XII.

damnus, quæ ex hoc occurrere possent, libenter, & liberaliter providere, ipsum cum terris, locis, & subditis suis in pace, & concordia, ad quam cum ipso devenimus, sancti Spiritus gratia perpetuo duratura, inseri fecimus, & includi, sicut patet in privilegiis ex hoc confectis, & latius enarratis. Iidem promittimus eidem absque omni dolo, & fraude, tactis sacrosanctis Evangeliis, & præstito corporali sacramento, quod, si dicti Dux, & Communitas Venetiarum præfatum Dominum Franciscum occasione prædictæ adhæsionis, aut alias modo, causa, vel colore aliquo quæsito, vel inventu in suorum dispendium promissorum, & juramentorum, invadere ipsum, vel suas terras, loca, & subditos, ultra pacta inter eos olim habita, offendere conarentur, ipsi Domino Francisco personaliter, vel subsidiis gentis nostræ, ac aliis auxiliis, vel juvaminibus quibuscunque opportunis, subsidio terras, & loca, & subditos defensare curabimus, Duce Deo, contra ipsos, & generaliter contra quoslibet alios, cujuscunque dignitatis, præeminentiæ, conditionis, & status existant, nemine penitus excluso, vel excepto, qui eundem dominum Franciscum invadere, & ut præmittitur, suas terras, et subditos aliqualiter offendere niterentur. Ita tamen, et taliter, quod præfatus dominus Franciscus nulla sub fiducia præfationis discordias, vel guerras moveat nobis irrequisitis, harum sub nostræ Majestatis et domini regni, genitricis nostræ charissimæ, ac Prælatorum, et Baronum nostrorum subscriptorum sigillis, et testimonio litterarum. Nomina autem eorundem Prælatorum, et Baronum nostrorum, qui præmissæ nostræ provisioni, et dispositioni interfuerunt, sunt hæc, Venerabiles Patres, Domini Nicolaus Strigoniensis (b), locique ejusdem Comes perpetuus, alter Nicolaus Colocensis (c), aulæ nostræ Cancellarius Archi Episcopi Ecclesiarum, Petrus Bosnensis (d) Ecclesiæ Episcopus, Ladislaus Præpositus Chasmensis (e), Comes Capellæ nostræ. Magnifici viri Nicolaus Conth (f), regni nostri Palatinus, et Judex Comanorum, Tyto Magister Tavernicorum (g) nostrorum regalium, Leustachius regni Sclavoniæ Vicarius generalis, Joannes Csus Dalmatiæ, et Croatiæ Banus, Leustachius Magister Dapiferorum, et Pincernarum nostrorum, Magister Simon filius Mauritii, Comes Posoniensis, Joannes filius quondam Pelatini, Comes Siculorum de Uessin, Nicolaus filius Lacky - - (h) Thomas frater Archi Episcopi Strigoniensis, et Petrus Dominus Zudar, Comes de Sarus - - (i), dilecti nobiles, et fideles. Datum Budæ mense Maji die quinto, anno Incarnationis MCCCLVIII. regni autem nostri XVII.

(b) Exemplar in subscriptione nominum nonnumquam corruptum est, ut hoc loco habet FRA[illegible]IENSIS
(c) Hic autem COLOCIENSIS.
(d) Rursus male scriptum est POSNONIENSIS
(e) Et hic corrupte legitur. CALMENSIS.
(f) Contuli male scribunt CONON.
(g) Hoc loco perperam substituunt: CRAVERNICORUM.
(h) Hic adduntur Comes Cibinen, quid hoc sibi velit, ignoro.
(i) Adduntur in exemplari: & Castellanus de Soclen, mihi perinde ignota.

Liber III.

Annus Christi 1359.

Occupata Dalmatia in Bosnam movet.

Ludovicus recuperata Dalmatia victorem exercitum in Serviæ, ac Bosnæ partem, quæ Rascia deinde nuncupata est, non tam armorum, quam religionis causa traduxit. Præerat copiis Nicolaus Konth Palatinus, cui Nicolaus Strigoniensis Archi-Episcopus socium se junxerat, ut, si prospero eventu expeditio succederet, res sacras illthic sua auctoritate moderaretur. Vix Sebernico urbi primum admota, quam cum obsidione nostri urgent, parumque ex ritu, & disciplina militari rem administrant, non levem jacturam ab obsessis accepere. Auctum est damnum furto haud vulgari, dum regis sigillum Archiepiscopo regni tum Cancellario intempesta nocte surreptum esset, non multo post Bistriciæ in Transilvania homini, qui argentariam facit, venditum. Tam parum prospere animus territus Palatinus, soluta obsidione Serviam pervagatus est, regulo in montana, ac nemorum recessus fugiente, in quibus scrutari hostem nec consultum, nec tutum erat. Itaque continenti studio in Bulgariam procursum est, ubi fortuna aliquanto serenior affulsit: expugnatis enim munitionibus plerisque, Strasemirum gentis regem in Hungariam abduxere, qui post aliquot captivitatis annos, quos in arce Gomnecho juribus Zagrabiensis Episcopi obnoxia exegit, postquam fidei sacramentum Ludovico dixisset, dignitati, & regno restitutus est. Atque is fere fructus fuit belli Bulgarici eo tempore suscepti, quo Amurates Turcorum Sultanus occupata Adrianopoli novam ex Asia gentem, & metum Europæ infudit. (11)

Quæsuccessa.

Cum Rudolpho Austriæ pacta renovat.

Hæc inter Rudolphus, qui Alberto II Austriæ Duci successerat, ut res suas a patris obitu constabiliret, Ludovicum Posonii adiit, bonaque ejus voluntate usus, fœdera, quibus Hungari cum Austriis sæpe alias innexi erant, novis tabulis confirmavit. Operæ pretium est, quod rem memoratu dignam, & domesticos, ut reor, annalibus penitus omissam complectuntur, integras in lucem efferre. (a) *Nos Rudolfus Dei gratia Dux Austriæ, Styriæ, & Karinthiæ, Princeps Sueviæ, & Alsatiæ, Dominus Carniolæ, & Marchiæ, ac portus Naonis. Ad universorum notitiam deducimus per præsentes, quod nos prælibatas debite tractas pace subsistere, integre concordia, & roborari vinculo unitatis, studiosa deliberatione prævia, maturo digesto consilio, pro nobis, & illustribus Principibus, fratribus nostris dilectis, Friderico, Alberto, & Leuppoldo, dictarum terrarum nostrarum Ducibus, & Dominis, sponte, & voluntarie spopondimus, & promisimus bona fide, verbo nostræ Principalis dignitatis, tactis sacrosanctis evangeliis manu nostra, & sub debito corporaliter præstito juramento, omnes, & singulas ligas, uniones, & Confœderationes pridem contractas, & initas, per recordationis inclytæ dominum Albertum, olim Ducem Austriæ, nostrum genitorem, & dominum carissimum, & nos cum serenissimo Principe Domino Ludovico rege Hungariæ, fratre nostro prædilecto, ac cum Domino Johanne, illustri Duce Sclavoniæ, Croatiæ, & Dalmatiæ, suo nepote, consanguineo nostro præcaro nos servaturos, & habituros ratas, firmas, & inconvulsas, omnes, & fideliter in parte ipsarum qualibet, & in toto, cum omnibus, & singulis articulis, clausulis, obligationibus, & punctis de verbo ad verbum contentis, & comprehensis in litteris prædicti quondam nostri genitoris, & in nostris litteris sigillo, quo pro tunc usi fuimus, sigillatis, omni dolo, & fraude in præmissis et earum qualibet penitus relegatis, et in prætactarum promissionum, obligationum, et ratihabitionum testimonium evidens, atque robur præsentes litteras appensione principalis nostri sigilli fecimus communiri. Datum, et actum in Posonio, secunda die mensis Augusti, anno Domini MCCCLIX. Indictione XII.* Ex

qua-

(11) Villanus Lib. IX Cap. 29 & 32. Joan. Anchiliac Cap. 38 & 34. Du Fresne de rebus gestis Illyrico pag 165

(a) Ex Tabul. Cæs. Vienn. apud P. Steyerer S. J. pag. 285

quibus, ut alias jam indicavi, Joannem Stephani filium fuisse exploratum habemus, quod Carolum, & Ladislaum Ludovici fratres impuberes obiisse constet, Andreæ autem, præter Carolum Martellum ex Joanna natum, nullos fuisse liberos extra dubium sit. Scribæ tamen seu imperitia, seu oscitantia factum, ut nepos Ludovici scriberetur, qui, ut ex alio diplomate compertum habeo, fratris filius dicendus erat.

Anno Christi 1359.

Interim his curis Ludovicum Pontifex ad ferendam Ecclesiæ opem, & auxilium interpellabat. Erat Bernabos ex vice Comitum Mediolanensium prosapia, vir dominandi cupidus, & ad arripiendam in Italia tyrannidem cum ab natura ipsa, tum prospera rerum eventibus mire animatus. Is Bononiensem Præfecturam, quam vi ab Innocentio prius extorserat, per insidias sibi ereptam graviter ferens, urbem ingenti armorum apparatu obsedit. Innocentius, cum hominem suapte ferocem ad mitiora flectere diffideret, neque satis haberet præsidii ad vim repellendam, Ægidium Episcopum Vicentinum Apostolici Legati honoribus ornatum in Hungariam proficisci jussit, monuitque, ut Elisabetham Ludovici Matrem, ejusque conjugem, tum Strigoniensem Archiepiscopum, & Comitem Palatinum, ceterosque, quos auctoritate, & gratia apud regem valere intelligeret, majorem in modum hortaretur, ut Ludovicum Bernabonis vafritie circumduci fierent, quin imo auctores ei essent, ut Bononiæ clientelam contra tyranni molitiones capessere ne gravaretur. Ludovicus, ut primum de re edoctus est, pro eo, quo in Ecclesiam studio ferebatur, continuo morem Pontifici gessit, missoque Joanne Colocensi Præposito, Bernabonem monuit, ut ab injuriis Ecclesiæ porro inferendis abstineret; ni faciat, se vindicem propediem affuturum, ut ex literis, quibus gratiam illi propterea Pontifex habet, perspicuum est. (12)

1360. Pontifex suppetias ab rege petit, & impetrat.

Innocentius - - - Charissimo in Christo filio Ludovico, regi Ungariæ illustri.

Ingentis devotionis affectum, quem ad nos, & Romanam geris Ecclesiam, & laudabilium operum studia, quæ tu, tanquam benedictionis, & reverentiæ filius, inter ceteros mundi Catholicos Principes nobis, & eidem Ecclesiæ specialiter referuntas, nostris, & Ecclesiæ ipsius obsequiis attendendo tam promte, quam magnifice, ac libenter exerces, ac experti sumus hactenus, & argumentis continuo evidentioribus experimur. Sane venerabili fratre nostro Ægidio Episcopo Sabinensi A. S. L. nobis noviter intimante percepimus, quod ad notitiam celsitudinis tuæ perducto, qualiter Civitatem Bononiensem, ad nos, & Romanam Ecclesiam pleno jure spectantem, Bernabos de vice Comitibus, miles Mediolanensis, manu armata hostiliter oppugnare, Dei timore postposito, temerariis ausibus conabatur, tu eandem Ecclesiæ matris tuæ negotia tua reputans, & oppressiones eidem in terris, & juribus suis factas, non minus tibi, quam sibi tanquam piæ matris sincerus, et verus defensor adscribens, sublato moræ dispendio, dilectum filium Joannem Præpositum Colocensem, nuncium, et ambassiatorem tuum cum tuis litteris destinare ad ipsum Bernabovem properanter curavisti, inter cetera tam per litteras ipsas, quam ambassiatorem eundem sibi significans, ipsumque requirens, quod ipse ab obsidione terrarum Ecclesiæ, & ipsarum impugnatione cessaret, alioquin tu, tanquam Princeps Catholicus, & honoris, ac exaltationis sanctæ matris Ecclesiæ Zelator, juriumque ejusdem conservator assiduus, & defensor liberare acquires, Ecclesiam ipsam in suis juribus, ac terras eiusdem per ipsum, aut per quascunque personas alias impugnari, vel quomodolibet molestari. Equidem charissime fili, aperta sunt ista tuæ devotionis insignia, & magnis laudum præconiis, ac singulari paternæ benedictionis gratia rependenda, & ex nostræ mentis affectibus gratiora, quo liberalitatem in eis regiæ magnitudinis animum ostendisti.

Gratum illi propterea habet

(12) RAYNALD. ad an. 1360.

Anno Christi 1360.

Hujusmodi itaque devotionis promtitudinem multipliciter in Domino commendantes, ac uberibus prosequentes actionibus gratiarum, serenitatem tuam rogamus attente, & sinceris affectibus obsecramus, quatenus, cum post hæc præfatus Bernabos fictis quibusdam coloribus, qui in examen diligentioris considerationis adducti non tueri frustratoriam ejus censum videbantur, sed eos potius aperte conflabit, de maligna adinventionis suæ nequitia processisse, non tantum ab oppugnatione dictæ civitatis, ejusque districtus usque modo non cesset, sed pejora malis addendo, & se velut nostrum, ac sedis Apostolicæ hostem publicum nequiori quotidie operatione operum demonstrando, per gentes suas armigeras, non nullas terras, & loca alia ipsius Ecclesiæ in provincia Romandiolæ consistentia, prædis, ac rapinis, & incendiis discurrat hostiliter, & perturbet, nosque propterea adversus hujusmodi temeritatis audaciam spiritualibus & temporalibus nostris, & aliorum, & devotorum ipsius ecclesiæ obstare remediis intentamus, tu erga nos, & dictam ecclesiam matrem tuam devotionis obsequiis intendens liberaliter, ut cœpisti, ac negotia sua in prædictæ Civitatis Bononiensis, aliarumque terrarum suarum defensione commendata suscipiens præfata Legato in his porro conservatione, defensione prædictis, prout expedire videris, & alias, prout ipse excellentiam tuam duceret requirendam, pro nostra, & apostolicæ sedis reverentia tuis assistere velis auxiliis, & favoribus opportunis, ut tandem Deo favente ac tuis, aliorumque filiorum, & devotorum ejusdem ecclesiæ præsidiis, ipsius inconsulta temeritas comprimatur, tuque præter divinæ retributionis præmia circa tui status exaltationem, & tui culminis augmentum, nostram, & apostolicæ sedis favorem, & abundantiorem benevolentiæ gratiam semper uberius mereris.

Ceterum ad nostram justitiam, & ejusdem Bernabovis injustitiam, & frivolas causas per ipsum prætensas, seu quas forte prætenderet in negotio prælibato, serenitati tuæ vivæ vocis expressione latius, quam scripturarum serie dici valeant, exponendas, &, ut clare cognoscas dictæ sedis maturitatem in suis processibus nihil agere, quod in statera debitæ considerationis appensum habuisse non pateat in soliditate justitiæ fundamentum, Venerabilem fratrem nostrum Ægidium Episcopum Vicentinum latorem præsentium, super præmissis, & eis concernentibus per nos plenarie informatum, ad tuam providimus destinandum, cui in his, quæ tibi pro parte nostra retulerit, dare fidem indubiam serenitas ipsa velit. Datum Avinione VI Maji, anno VIII.

Ludovicus cognito Pontificis justissimo desiderio, nova Legatis suis mandata mittit, ut Bernabonem paratis rationibus, partim armorum comminatione ab cœptis absterrerent: verum is, circumductis summa calliditate oratoribus, ac muneribus regio more exornatis literas ad Ludovicum dederat, prolixe significans, causam suam æquitate nimirum niti, quod tempus ex Pontificis conventione ad præfectoram præstitutum nondum elapsum fuisset disceptari item apud sedem Apostolicam, cui finis imponeretur, se regis petitioni ea delaturum, ut revocato ab obsidione urbis exercitu nihil ad querendum causæ habiturus esset. (13)

1361 Novum inter Hungaros & Austros bellum.

Ita sopito magis, quam pacato Ludovico Bernabos in Italia grassabatur quamquam quo minus pro eo, ac optabat studio opem Pontifici rex ferre posset, novum bellum, quod sequente anno, inter Rudolphum Austriæ Ducem, & Hungaros exarsisse ferunt, obstabat. Nec de causa, nec de eventu belli quidquam consignatum reperio, nam ea, quæ nonnulli memorant, quasi Ludovicus vereretur, ne Veneti cum Austriis Dalmatiæ inhiarent, neque satis probabiliter, neque ad tempora illa satis accommode dici videntur, quod istos rebus suis stabiliendis intentos esse oportuerit, illi contra vires post tot clades nondum ita reparatas haberent, ut aliquid cum fructu in Dalmatiam moliri possent. Si conjecturæ locus sit, verisimile est, bello causam inde oblatam esse, quod Austriæ Duces certam argenti summam, ob defensionem Neostadii Hungaris depactam, pendere neglexerint, ut ex Ludovicianis literis ad annum insequentem non prorsus improbabiliter ostensuri sumus.

Ceterum

(13) VILLANUS Lib. IX. Cap. 9.

Ceterum belli molitiones, quæ Austrius ingruerant, in Moraviam, ac Bohemiam traductæ sunt. Erant inimicitiæ inter Carolum Cæsarem, ac Ludovicum levibus, ut fit inter summos, injuriis excitatæ, gravi tamen convicio sic auctæ, ut bellum magnis utrinque viribus, odiisque appararetur. Carolus enim, dum Hungariæ Oratores comiter primum accepisset, postea seu levitate, seu animi impotentia actus, certe nec suæ, nec Ludovici dignitatis memor, regis matrem, ceu parum pudicam feminam criminatus est. (14) Elisabetha, quæ hactenus vitam maxima cum honestatis fama adduxisset, contumeliæ impatiens, ipseque Ludovicus injuriam matris, suam esse interpretatus, convicium gravissimo bello vindicandum censebat. Cui feliciter conficiendo quamquam vires non deessent, tamen ut gentium veluti bellum esset, Rudolphum Austriæ Ducem in armorum communionem pertrahere per Legatos connisus est. Facile precibus fœderati regis detulit Rudolphus, & suppetias adversus Cæsarem, hujusque fratrem Marchionem Moravæ pollicitus est. Verum, ut ipse Dux in literis ea de re confectis, loquitur, *exceptis duntaxat obsequiis ad quæ Sacro Romano tenemur Imperio, juxta continentiam litterarum, quas super hoc habemus a divæ recordationis olim Romanorum Imperatoribus, inter alia concessum, seu traditum, quod dicto Imperio servire debemus in Hungariam non pluribus personis, seu aliis procantibus, nisi solum duodecim viris armatis per mensem unum sub nostris propriis sumtibus, & expensis.* (15)

In Bohemiam traducitur, quam ob causam?

Ludovicus, qui Austriacos penitus sibi conciliatos cuperet, cum primum de fœderis conditione edoctus est, Rudolphum orabat, ut, si per rempublicam liceret Posonium proficisci ne moleste ferret, affuturum Casimirum itidem Poloniæ regem, acturos se de rebus, quæ omnium provinciis utiles, & salutares futuræ essent. Rudolphus cum splendidissimo Procerum comitatu Posonium mense Februario delatus, habitis ultro citroque consultationibus, fœdus cum Ludovico, & Casimiro inibat, ut antea Imperatoris titulo conditionibus restrictum sanxit, suoque, fratrum, Maynhardi Bavariæ Ducis, ac Tyrolensis Comitis nomine confirmavit. (16)

Posonii convenit fœdus cum Austriæ Ducibus contra Cæsarem init

Nos Rudolphus, Fridericus, Albertus, Leopoldus Dei gratia Duces Austriæ, Styriæ, Carinthiæ, fratres. Notum facimus universis præsentes literas inspecturis, quod nos attendentes, quantum ex concordia, & unitate rerum non tam magnarum, quam etiam parvarum solet provenire augmentum, volentesque nos, & inclytus Princeps Mainhardus Dux superioris Bavariæ, & Comes Tyrolis frater, & sororius noster charissimus ex unione, colligatione, & connexione fraterna, una cum excellentibus, & magnificis Principibus Dominis Ludovico, & Casimiro, Hungariæ & Poloniæ regibus, fratribus nostris charissimis, nostris, & eorum commodis, indemnitatibus, & profectibus attentius providere de mutuo, & deliberato consilio Prælatorum, & majorum nostrorum Baronum pro nobis, & eodem Duce Mainhardo, ac heredibus, & successoribus nostris, & ejusdem Ducis Mainhardi promittimus bona fide, cum omni sinceritate, & dilectione, absque omni fraude, & dolo, tactis sanctis evangeliis, corpo-

(14) Cromer. Hist. Polon. Lib. XII. Maffeus a Michova. Lib. IV. Cap. XX.

(15) Ex Tabul. Cæs. Vienn. apud P. Sterrerr S. J. pag. 333. Diplomatis initium hujusmodi est. *Nos Rudolfus Dei gratia Dux Austriæ, Styriæ, & Karinthiæ* [illegible] *recognoscimus, & notum facimus publice per præsentes, quod nos pro nobis, & illustribus Dominis Friderico, Alberto, & Leopoldo Ducibus Austriæ* [illegible] *fratribus nostris percaris promisimus, spondemus, & promittimus sine dolo qualibet, bona fide, Serenissimo Principi, Domino Ludovico regi Hungariæ, fratri nostro carissimo, quod sibi contra Dominum Karolum Romanorum Imperatorem, & contra Dominum Johannem Marchionem Moraviæ ejus germanum, ac contra omnes, & singulos ipsorum auxiliatores, fautores, amicos, & servitores, nec non contra quoscunque alios tota nostra potentia auxiliari debemus sine dilatione qualibet, quando, & quoties idem Dominus rex nos requisierit, & monuerit super eo. Exceptis duntaxat obsequiis* [illegible]. *Finis vero hic* In cujus rei evidentiam præsentes literas pro nobis & dictis nostris fratribus appensione sigilli nostri fecimus communiri. Datum, & actum Wiennæ VII die mensis Januarii, anno Domini MCCCLXI † hoc est verum †

(16) Apud P. Sterrer S. J. pag. eadem. Et in Hist. MS. Austriaca L. B. Wilhelmi de Giestiis.

Anno Christi 1362.

rali præstito juramento nos cum prædictis Dominis regibus, fratribus nostris, velle esse unum, & semper indissolubiliter unitos, & fraternæ dilectionis connexos vinculo, ita videlicet, quod nos, & dictus Dux Bavariæ, nostrique, & sui heredes, prædictos Dominos reges fratres nostros, eorumque heredes, & successores, terras, ac ipsorum dominia cum suis juribus, & pertinentiis, quas, & quæ in præsenti habent, & possident, vel imposterum possidebunt, contra omnes homines cujuscis status, conditionis, & præeminentiæ existant, etiamsi regali, & Imperiali fulgeant dignitate, nullo penitus dempto, vel excepto defensare, tueri, adjuvare, ac protegere teneamur, eisque, & ipsorum heredibus, & successoribus adesse, si etiam oportebit, propria in persona, cum tota nostra potentia, militia, ac substantia, non parcendo rebus, laboribus, & expensis, quas omnia eorum negotia, tamquam propria nostra, fore reputantes, tuis nostro posse eosdem fratribus nostris prædictis, ipsorumque heredibus, contra omnes invasores, damnificantes, & occupare volentes eorum terras, & dominia, sine omni dilatione, aut tergiversatione, ac colore quæsito pretio moto, continuato præsidio usque ad finalem rei exitum, quotiescumque requisiti fuerimus per eosdem fratres nostros, ac ipsorum heredes antedictos, obmissis etiam, & postpositis aliis propriis, vel alienis factis, aut negotiis, quibus pro tunc essemus occupati, ipsis fraternaliter succurremus. Ita tamen, quod nullam brigam, seu guerram prædicti reges fratres nostri absque nostro consilio, & beneplacito voluntate, atque scitu movere intendebunt, quod more similiter nos, & dictus Dux Maynhardus nullam brigam, seu guerram cumcumque movebimus sine eorundem fratrum nostrorum consilio, scitu, & consensu. Præterea promittimus bona fide, ut supra, quod nullam affinitatem cum aliqua persona contrahemus, sine voluntate, scitu, & consensu fratrum nostrorum, regum eorundem. Insuper omissis ipsis regibus fratribus nostris, & ipsorum heredibus, nec cum aliquo emulorum, inimicorum, & eis male volentibus, pacem, concordiam, unionem, nec aliquam colligationem inibimus sine beneplacito, & expressa voluntate fratrum nostrorum ante notatorum, modo quo superius est expressum. Ceterum sub virtute, & potestate juramenti pollicemur, quod ad ipsorum fratrum nostrorum commoda ampliavda, honorumque ipsorum augmentum, dictis, factis, opere, & voluntate semper assistemus, & eorum honori, famæ, statui, & profectui derogare volentibus, totis viribus volumus esse contradictores, & impugnatores. Preterea etiam omnem concordiam, unionem, ac colligantiam cum quibuscumque personis initam, & formatam, quæ præmissæ unioni, confæderationi, & obligationi in toto, vel in aliqua sui parte derogaret, seu posset in futurum derogare, irritam esse volumus, & unionem autem vero concordiam, pacem, ligam, & unionem cum prædictis regibus, fratribus nostris charissimis quocumque tempore initas, & contractas, quæ hac confæderatione robur possunt tribuere aliquale, in sua firmitate, & vigore perpetuiter determinus fore permansuras, & ut præmissa rata, & inconvulsa permaneant, & serventur, præsentes literas nostras appositione sigillorum Ducalium, nec non sigillorum Prælatorum, & Baronum, Ducatuum nostrorum, quorum sigilla præsentibus appenduntur, sunt hæc (17) ... *Datum, & actum Possonii ultima die mensis Februarii* (18) *anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo secundo*

Con-

(17) Habent autem tu hæc verba: *Venerabilis in Christo Dominus Gottfridus Patavensis, Dominus Gurcensis nostræ Curiæ Cancellarius, Dominus Ulricus Secoviensis, & Dominus Petrus Lavantinensis ecclesiarum episcopi. Petrus S. Lamberti, Joannes Mellicensis, Ulricus S. Pauli, vallis Lavantinæ, Albertus Admontensis, Clemens Wiennæ, Ulricus in Kitouer, ... in Cremsmünster monasteriorum Abbates. Item Jacobus Frisingensis, Ortolphus Newbergensis ecclesiarum præpositi. Item spectabiles, ac generosi Mainhardus de Goritia Palatinus Charinthiæ, Otto de Ortenburg, Ulricus de Schaumburg Comites, avunculi nostri dilecti, Berchtoldus de Maidburch, Joannes de Pfanberg, Ulricus de Cilia etiam Comites, Stephanus Dominus de Maissau Mareschalcus, Albertus dominus de Puchaim summus Dapifer, Petrus dominus de Eberstorff summus Camerarius, Henricus dominus de Maissau summus Pincerna, Wilhelmus dominus de Creußpach summus Magister Venatorum Austriæ, Joannes de Traun Capitaneus supra Anasum, Eberhardus dominus de Wallsee de Anaso, Joannes dictus Orres de Perstein, Luitoldus dominus de Stadeck provincialis Mareschalcus Austriæ, Eberhardus dominus de Capella Capitaneus Anasi*

Confecta hunc in modum armorum societate Budam devehuntur, in qua cum Rudolphum liberalissime habet Ludovicus, novas priori foederi leges adjecit, quibus utrinque cautum est, quidquid occupatum in hostico foret in aequas partes divisum iri, neutrumque altero invito ex campo excessurum signatae sunt ejus argumenti literae VI idus Martias in haec verba. (19)

Annus Christi 1362. Statuitur nova sanctio-nam de pro-vinciis, quas occu-parint ejus fed. fede-rati.

Nos Ludovicus Dei gratia rex Hungariae, ad omnium, & singulorum, quorum interest, vel in futurum intererit, notitiam deducimus per praesentes, quod nos sano consilio, & matura deliberatione praehabitis praefatas debiti odia amputare & discordias, ac amicitias, & unitatem mentium solidari, si res futurae, praesertim bellicae, quorum eventus est dubius, aeque lancis moderamine procedentur, cum serenissimo Principe Domino Rudolfo Duce Austriae, Styriae, & Karinthiae fratre nostro karissimo concordavimus, & convenimus in hunc modum. Quod in casu, quo ipsum, & nos in quovis, seu quibuscunque hominum cujuscunque status, conditionis, vel praeeminentiis existat, etiam si imperiali, vel regia fulgeant dignitate, litem, & guerram contrahere, vel movere contingeret, quod omnes homines, Civitates, oppida, castra, & fortalitia, seu munitiones partis adversae, quas, & quae capiemus, acquiremus, & expugnabimus divino praesidio suffragante, cum dicto Domino Duce fratre nostro condividere debemus, & volumus aequaliter, & sub pari numero, ac valore, post quam etiam divisionem pars utraque de portione, quae sibi cesserit, ordinare, & disponere poterit ad suae placitum voluntatis, hominibus, & rebus exceptis duntaxat, quae, & quae ad terras, & dominia alterius nostrum antea pertinebant, quorum & quarum captio, & acquisitio illi ex nobis, ad quem prius pertinuerant, debebunt integraliter permanere. Ceterum promisimus, & per praesentes bona fide promittimus, nomine praestiti juramenti, quod si cum dicto fratre nostro Duce contra nostros hostes, & adversarios in campis manere contingeret exercitu instaurato, nunquam sine ipsius voluntate, & scitu ab eo disjungere volemus, nec debebimus, quovisque in causa hujus totum sit ante assequutum. Cum ipse se ad praemissorum observantiam nobis obligaverit consimiliter vice versa. In in hujus rei testimonium evidens, atque robur praesentes sigillo nostro fecimus communiri, Datum, & actum Budae decimo die Martii, anno Domini Millesimo CCCLX secundo.

Adjecit Ludovicus quoque beneficium, quo sibi Rudolphum fortius obstringeret, castro Schwarzenbach Austriae ducibus restituto cumque praeterea Duces nomina obaerata haberent, quod plurium annorum spatio argentum Hungariae regibus, ob defensum Neostadium ex pacto debitum, solvere neglexissent, non modo id liberaliter remisit, sed exactionis quoque jure editis tabulis renuntiavit. (20)

Rex aeris summam Austriae Ducibus remittit.

Nos Ludovicus Dei gratia Hungariae rex recognoscimus, & notum facimus publice per praesentes, quod cum illustris Princeps, frater noster karissimus, Rudolfus

nusi, Perchtholdus dominus de Pergowe judex Curie nostre, Henricus dominus de Kervenstein, Joannes Turso dominus de Rauhenek, Eberhardus dominus de Duchsberg, Joannes dominus de Zelking, Albertus Stuchs de Trautmansdorff, Chunradus Comes de Pertersdorf, Pilgrimus dominus de Strein, Fridericus dominus de Wodel, Cholldus senior dominus de Ekarzau, Ulricus dominus de Kramperg, dominus de Hohenberg, Heinricus dominus de Hohenberg, Wolfgangus dominus de Woten, Otto dominus de Wertersdorf, Gotfridus dominus de Wildungsmaur, Cholldus dominus de Haslowe .... Item de Styria, Fridericus dominus de Pettowe summus Marescalcus, Fridericus dominus de Walse de Gretz summus Dapifer, Rudolfus Otto dominus de Lichtenstein summus Camerarius, Fridericus dominus de Stubenberg summus Pincerna Styrie. Item Fridericus dominus de Aufenstain summus Marschalcus & Capitaneus, Hertnidus dominus de Kunig summus Dapifer. Hermanus dominus de Osterwitz summus Pincerna Carinthie. Item Chunradus dominus de Aufenstain Capitaneus Carniole, Henricus dominus de monte Paris, Eberhardus dominus de Walse de Gretz, Henricus de Rappach nostre Curie Magister, Joannes de Losperg nostre Camere Magister

(18) Exemplar habet *Decembris*, sed monet P. Steyerer errorem scribae esse manifestum, quod Fridericus Austriae Dux, cujus in diplomate fit mentio, in principio Decembris hujus anni fato functus fuerit.

(19) Ex Tabular. Caesar. Vienn. apud P. Steyerer S. J. pag. 336

(20) Ex eodem ibid. pag. 337

Anno Christi 1362.

fus Dux Austriæ, Stiriæ, & Karinthiæ - - - se nobis fraterna dilectione, & amicitia confæderaverit, ac etiam adunaverit, dignum reputamus, & condecens, quod ipsius voto uberius debeamus condescendere in cunctis negotiis, quæ ipsum, & suas terras concernere dignoscuntur. Cumque etiam sibi, suo, & illustrium fratrum suorum, ipsorumque heredum omnium nomine assignaverimus castrum, & restituerimus Szerzenpach, quod nos, & nostri progenitores habebant, & tenuerunt a longis temporibus retroactis, purchuta, seu persone pro Castellania, vel Castrensi custodia deputata ad idem castrum de nova Civitate per nos relaxata exhibuerimus, & dimissa, remissa quoque liberaliter eadem persone, seu purchuta, quæ de dicta nova Civitate habemus soluta non exstitit, & neglecta. Nos pro nobis, & universis nostris heredibus, & successoribus renuntiavimus præsentibus omnibus, & singulis juribus, actionibus, & impetitionibus, quæ dictum castrum Szerzenpach, & ad purchutam prædictam de nova Civitate habuimus, habemus, vel habere possumus quovis modo, promittentes, quo supra nomine, quod in dictum castrum, & purchutam prætactam, nullam unquam actionem, impetitionem, seu causam de jure, vel de facto movere, habere, seu intentare debemus, nec volumus quolibet quovis ingenio, vel colore, et tamen adhibita moderamine, quod per præsentem renuntiationem, seu cessionem, nobis, seu nostris terris in suis metis ibidem nullum præjudicium generetur, verum ipsæ metæ permaneant, & permanere debeant in juribus, quibus ab antiquis temporibus permanserunt. Volumus etiam, quo supra nomine, litteras super dicto castro Szerzenpach, vel purchutam prædictam datas, seu editas, in nostra potestate, vel alibi depositas, seu servatas, quoad idem castrum, & dictam purchutam fore mortuas, cassas, & irritas, & nullius roboris, firmamenti, nec ipsis dictis Ducibus Austriæ, vel eorum heredibus ullum penitus afferre præjudicium, sive damnum, si non in eisdem litteris forent aliqua de causis, seu rebus aliis comprehensa, quæ dictum Castrum, & purchutam prænotatam non concernerent, ea debeant in suo vigore, & robore perpetuo, & integraliter permanere, dolo, & fraude quibuslibet in præmissis, & præmissorum singulis penitus relegatis, harum testimonio litterarum. Datum, & actum Budæ decima die Martii anno Domini Millesimo CCCLX secundo. Rudolphus munificentia regis mire delectatus, id quoque ab Ludovico impetravit, ut, quoniam limitum, & censuum causa sæpe inter Hungaros, & Austriacos lites oriuntur, constitueret quatuor utrinque arbitris, quorum judicio staretur, futuris forte casibus quoque vellet. Annuit rex æquis postulatis, sed litium cognitionem, ne ab armorum apparatu revocaretur, ad aliud tempus prorogavit. (1)

Trenchinium copias promovet.

Abhinc bellum toto animo complexus militum delectum toto regno haberi jubet; in quo cotanta cum menses aliquot abiissent, & exercitum ingenti confluxisset numero, Trenchinium cum copiis contendit, sive illa parte in Moraviam irrumpe-re

(1) Exstat in Tabul. Cæsar. Viennæ, ex deinde sequens diploma. *Nos Ludovicus Dei gratia rex Hungariæ - - recognoscimus & notum facimus, quod nos cum serenissimo Principe Domino Rudolfo, eadem gratia Austriæ, Styriæ, Karinthiæ Duce, fratre nostro karissimo super omnibus discordiis, & dissensionibus, quæ fuerunt hactenus inter suarum, & nostrarum terrarum metas, occasione decimarum censuum, juris montium, & emphyteotici, vel aliarum causarum quarumcunque concordati sumus, & convenimus in hunc modum, quod quamprimum lis, seu guerra, quæ eidem fratri nostro Duci Austriæ, & nobis verisimiliter instat, & vertitur contra Romanorum Imperatorem, & Bohemiæ regem, & contra Marchionem Moraviæ ejus fratrem terminata fuerit, & decisa, tunc prænominatus frater noster quatuor de terrarum suarum dominis, & nos quatuor de terrarum nostrarum dominis deputare debemus, & eligere, qui quidem octo domini abibunt locorum, in quibus sua, & nostræ terræ sibi invicem sunt conterminæ, metas discernant ab invicem, & distinguant infra spatium trium mensium immediate dictæ litis compositionem sequentium sine dolo. Quidquid etiam per eosdem octo dominos cognitum, & compositum fuerit, sub debito suæ fidei super metis, censibus, decimis, jure montium, & emphyteotico, debet effectum sortiri, & ex tunc in antea perpetuo observari. Ita tamen quod quilibet homo utriusque partis in eo permaneat, ad quod sibi jus competit, vel quod per possessionem, vel laudabilem consuetudinem hoc tempore habeat ab antiquo, harum testimonio litterarum, datum, & actum Budæ decimo die Martii, anno Domini Millesimo CCC sexagesimo secundo.*

re moliretur, sive Sulnicensem Ducem in suas partes allectum iri speraret. Submiserat Rudolphus, quemadmodum super conventum erat, non temnendo numero subsidiarias cohortes ex Austria, iis praepropere flagitans, ut, si limitum causa ab arbitris lingi interea quidpiam oboriretur, illius cognoscendi provinciam ad expeditionis finem rejiceret, ne belli fortuna, quae levissimo saepe momento verteretur, intercepto diffidiis tempore adhaereret. Assensit Ludovicus, Ducemque data fide certum reddidit, nihil se, dum bello adversum hostes implicaretur, cujusquam rei gratia in Austrios tentaturum. (2)

Anno Christi 1362.

Nos Ludovicus Dei gratia rex Hungarie, notum facimus universis praesentes litteras inspecturis, quod nos animo deliberato, ac maturo Prelatorum, & Baronum nostrorum habito consilio promisimus, & promittimus absque omni dolo, sive fraude, ac tactis sacrosanctis evangeliis corporali praestito juramento, quod si nos ad Campos cum excellentissimo Principe Domino Rudolfo Duce Austrie, Styrie, & Karinthie fratre nostro carissimo, contra serenissimum Principem, Dominum Karolum, Romanorum imperatorem, & Bohemie regem, ac Illustrem Dominum Joannem ejus germanum Marchionem Moravie, nostros aemulos instaurato exercitu venire contingeret, tunc eundem dominum Ducem, fratrem nostrum carissimum non debebimus, nec volumus pro aliqua re, seu causa, quocunque nomine vocitetur, impetere, nec ipsum super his verbis, vel factis quomodolibet ammonere, tandiu, donec factum guerrae inter nos, & dictum imperatorem, & Marchionem suborta juxta votum utrorumque nostrorum fuerit expeditum, prout idem Dux frater noster similiter tactis sacrosanctis evangeliis, praestito corporali juramento ad id ipsum se firmiter obligavit. In cujus rei testimonium easdem praesentibus Sigillum nostrum est appensum. Datum in Tyrnaviis, quinto decimo die mensis Augusti anno Domini Millesimo CCC Sexagesimo Secundo

Rudolphus Austriae Ducibus fidem obstringit.

Carolus Imperator, quid quod Ludovicus, & qua de causa adversum se moliretur, non ignorabat, coacto vicissim exercitu ad vim propulsandam egregie se comparaverat, castris ad Brodam Moraviae oppidum defixis. Placuit prius, praelio quam causa decerneretur, missis Legatis Ludovici animum pertentare, si posita armis, injuriam oblitterare vellet. Dux Sulnicensis Caroli nomine Trenchinium ad regem adit, & expositis, quibus pax utrinque confieri posset, conditionibus, Nicolaum Konth Palatinum, tum Stephanum Bebekum Curiae Judicem in castra Imperatoris adducit, quorum arbitrio inducue, aut foedus componeretur. (3) Credibile est Ludovicum, quoniam inconsulto Austriae Duce nullas se cum hoste pacis conditiones initurum spopondisset, simulato studio animum pacis cupidum prae se tulisse, quod tempus autumni pluviis corruptum spem patrandae feliciter hoc anno rei penitus intercepisset. Quod ipso eventu haud multo post comprobatum est, cum uterque exercitus solutis signis in hiberna discederet. Ne tamen frustra Ludovicus belli impendia fecisse videretur, Ladislaum Ducem Opoliae, & Petrum Barum cum maxima militum parte in limitibus Moraviae stativa habere jussit, qui captatis temporibus illata provinciae vastitate praedas ex hostico egere (4)

Caesar in Ludovicum exercitum opponit.

Agitur de pace, sed incassum.

Tam crebri armorum apparatus cum ad Urbanum Pontificem ejus nominis V. afferrentur, pro sua in Christianos Principes charitate metuens, ne atritas viribus bellum injuria, & rapacitati objicerentur, Petrum Vulteranensem Episcopum in Hungariam, ac Bohemiam misit, qui infensissimos hostes omni studio pacare niteretur. Quam provinciam ut cum auctoritate obiret, Legatum sedis Apostolicae creaverat, ac qua in causa ejus operam requireret, edocuit. (5)

1363. Pontifex ad conciliandos hostes suum quoque studium adjungit.

Urbanus - - Venerabili Fratri Petro, Episcopo Vulteranensi Apostolicae sedis nuncio salutem.

Nuper in nostrae promotionis ad apicem summi apostolatus exordio de Imperii Romani, ac Regum, & Principum, aliorumque Christi fidelium tranquillitate soliciti, de

(2) Ex eodem Tabul. Caesar Vienn. apud P. Styrerer S. J pag. 878
(3) Joann. Archidiac. Cap. XXXV
(4) Idem Cap. XXXVI
(5) Raynald. ad annum 1363

Anno Christi 1363

de ipsorumque statu paterna investigatione quærentes admodum dolenter audivimus, quod quædam discordia dudum inter Charissimum in Christo filium nostrum Carolum Romanorum Imperatorem semper Augustum, ac dilectum filium nobilem virum, Joannem de Bohemia Marchionem Moraviæ fratrem suum ex parte una, & Charissimum in Christo filium nostrum Ludovicum regem Ungariæ illustrem, & dilectum filium Nobilem Virum Rudolfum Ducem Austriæ ex altera, procurante Satore Zizaniæ suscitata, nondum fuit, ut sperabatur, ad finem optatæ pacis adducta, quamvis sub pendulo differentiarum deducatur in longum. Nos igitur timentes, ne scintilla tenuis non extincta, in flammam, quod absit, transeat destructivam, Apostolicæ provisionis remedium in hac parte providemus adhibendum, & de zelo pacis, ac circumspectionis industria tua fraternitatis in his, & aliis gerentes in Domino fiduciam pleniorem, te velut pacis angelum de fratrum nostrorum Consilio ad præfatorum discordantium partes, ac præsentium propterea duximus destinandum. Datum Avinione IX. Cal. Februarii anno primo. Addit Raynaldus quidem argumenti litteras ad regem, & Ducem Austriæ fuisse datas, ac Ludovicum præterea ob Elisabethæ matris mortem dolori indulgentem solatum esse, ut spe immortalitatis ad Christianam constantiam nimium mœrore absorptum erigeret. Sed aut confictam, quæ ad Pontificem allata est, famam fuisse oportuit, aut Raynaldus non rite subducta temporum ratione se ipsum fefellit, quod Elisabetham rumori huic pæne vicenos annos superstitem fuisse compertum sit.

Casimirus regi suspectus venit

Ceterum Legati in Hungariam missi opera, tametsi nihil diligentiæ prætermiserit, frustranea in principio fuisse videri potest, quod Ludovicus, cum primum tempus opportunum affulsit, ad bellum rursus prosiliret, eo maxime consilio fretus, quod Casimirum cum auxiliaris propediem affuturum speraret. Neque is multum moratus ingentem Russorum, ac Tartarorum copiam adduxit, quibus, nisi Casimiro libidinum fœdibus involuto animus defuisset, præclarum aliquid patrari poterat. Sed dum tergiversatur, & Ludovicus, quod, quam in partem Polonus inclinaret, nondum satis exactum habuerat, discrimini se solum objicere veretur, Carolus habitis per Germaniam delectibus cum numerosissimo exercitu prius adfuit, quam venientis famam accepissent. Ita mutuo in conspectu, sed citra injuriam, hostes fuere. Qua re animadversa Legatus Pontificius complanandæ litis tempus occupans ultro, citroque ad castra commeabat, modumque conciliandi cum Ludovico Caroli diligenter quærebat.

Et arbitri partes amplectitur

Imperator, quod Stetinensis Ducis filiæ, Casimiri neptis, matrimonio sibi copulandæ spem haberet, satisfacturum se adversariis pro convicio receperat: cui conditioni dum Casimirus, qui sororis contumeliam æquatinus, quam par esset, ferebat, non ingratus subscripsisset, Ludovicus, ne belli moles uni sibi incumberet, dissimulato dolore non abhorrere se ab ineunda pace professus est, si illius arbitrium Polono deferretur. (6)

Conjurata Cracoviæ colloquio

Conspirante in Polonum quoque Carolo, locus conficiendo fœderi Cracovia designatur, ad quam urbem, cum dimissus utrinque exercitus esset, Imperator cum Ludovico, ceterique Principes ingenti satellitio stipati profectionem adornarunt, Carolus novæ Conjugis spe illectus, Ludovicus contra, ut regem Poloniæ, si pax honestis conditionibus conciliari nequiret, ad paciscendas secum inducias flecteret. Celebratis summo apparatu nuptiis, ad pacandum Ludovicum curæ converse sunt, qui tametsi in principio ad stabilem pacem ægro animum adjecturus videretur, tamen Legati Apostolici adhortationibus emollitus, Casimiri judicio staturum se promisit. Qui assumto in causæ cognitionem socio Bolkone Suidnicensi Duce, quid utrinque constitutum fuisset, in hanc sententiam pronuntiavit. (7)

Armorum induciæ promulgantur

Nos Kazimirus Dei gratia rex Poloniæ, & Bolko eadem gratia Dux Slesiæ, & Dominus Suidnicensis, notum facimus, quibus expedit tenore præsentium universis, quod serenissimus Princeps, & Dominus Karolus quartus divina favente clementia Romanorum semper Augustus, & Boemiæ rex, ac Illustris Princeps Dominus Johannes Marchio Moraviæ ab una, & serenissimi Principes Domini Ludovicus rex Hungariæ, Rudolfus, ceterique sui fratres, Duces Austriæ parte ab alia, super omnibus eorum controversiis,

(6) Cromer. Hist. Polon. lib. XII.

(7) Ex Tabular. Cæsar. Vienn. apud P. Schierer S. J. pag. 375.

fiis, contentionibus, seu dissensionibus, quas inter se hinc inde usque in diem praesentem habuisse noscuntur, in nos, tamquam in arbitros, seu amicabiles compositores, alias compromiserunt, ut in litteris eorum nobis super hoc traditis plenius est expressum — quare virtute arbitrariae potestatis nobis, ut praemittitur traditae una cum voluntate, dicimus, & pronunciamus in his scriptis, quod dictae partes ab hodierna die in antea perpetuo super omnibus dissensionibus, controversiis, & displicentiis, quae inter ipsas hucusque viguerunt, boni amici debent fideliter remanere, dolo, & fraude quibuslibet procul motis. In cujus rei testimonium Sigilla nostra praesentibus sunt appensa. Actum, & datum Cracoviae in vigilia beatae Luciae Virginis gloriosae. Anno MCCCLXIII. Sed quod litterae initam solum generatim amicitiam, non item conditiones singillatim exprimunt, locum postea dedere Carolo, ut foedus novis pactis confirmaret.

Anno Christi 1363.

Tum pax utrinque firmatur.

Ejus rei causa Ludovicum, & Austriae Duces Brunam sequente anno per Oratores invitarat Imperator, ubi splendidissimo apparatu exceptos, facile permovit, ut coronatis utrinque injuriis amicitiam stabili foedere redintegrarent. Adjectae sunt tabulae omnium nominibus, qui eo foedere comprehenderentur, & jurejurando firmatae. (8)

Nos Karolus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus. Nos Wenceslaus etiam Dei gratia rex Boemie, & Marchio Brandeburgensis, jam dicti nostri dilecti Domini, & patris Karoli Imperatoris filius, & nos Johannes eadem Dei gratia Marchio Moravie praedicti Domini nostri Imperatoris frater, pro nobis, & pro omnibus nostris haeredibus, filiis, & filiabus ex parte una. Et nos Ludovicus Dei gratia Rex Hungarie, ac nos Rudolffus, Albertus, & Leupoldus etiam Dei gratia Duces Austrie, Styrie, & Karinthie — pro nobis, omnibusque nostris haeredibus, filiis, & filiabus, virtute nostrae specialis ligae ex parte altera, fatemur, recognoscimus, & notum facimus publice per hanc litteram omnibus eam inspicientibus, legentibus, vel legi audientibus, quod nos in parte utraque bona praemeditatione praevia, sciente de consilio nostrorum fidelium ecclesiasticorum, & secularium Principum, & Baronum, nostri jurati consilii per tractatus, & manus serenissimae, illustris, honestae, & sapientis Katherinae de Boemia, nostri praedicti Karoli Imperatoris filiae, & nostri praefati Rudolffi Ducis Austriae legitimae Conjugis, factos super pronunciationes, quam prius illustres Principes, Dominus Kazimirus rex Polonie, & Dominus Bolko Dux Swidnicensis inter nos utrobique ordinasse noscuntur, hinc inde ad invicem pro nobis, & omnibus nostris amicis, auxiliatoribus, & servitoribus sumus unit, expediti, & reconciliati amicabiliter, & benevole super omnibus dissensionibus, discordiis, & controversiis, quas adversus invicem habuimus, verbis, factis, & gestibus usque in hodiernum diem, ex causis quibuscunque, & debent etiam sublatae ipsi totaliter omnes actiones, & impetitiones, quas ex nobis pars altera ad reliquam pro suis terris, hominibus, seu bonis, usque in praesentia tempora habuit quovis modo, propterea quod ad firmam securitatem perpetuam, & integram stabilitatem ejusdem amicitiae, & reconciliationis, nos praedictae partes spondemus, & promisimus alterutrum per fidem nostram, verbis dignitatum nostrorum principatuum, ac pro eo etiam ad sancta juravimus juramentis corporalibus, sacrosanctis evangeliis, ac ligno sanctae Crucis manibus nostris tactis, quod neutra partium hujusce, vel contra alterius partis terras, ac homines, principatus, nec dominia, libertates, jura, dignitates, nec honores, quas, & quas nunc habet, & possidet, vel acquiret imposterum, ubicunque situentur, vel quibuscunque censeantur nominibus, nullo unquam temporibus conari, seu ipsum se eisdem debilitare, damnificare debet, aut per vias aliquas impedire, vel etiam nulli consulere, auxiliari, vel consentire, tacite vel expresse, qui ipsam in his quovis modo vellet aggravare, offendere, vel angariare, omni dolo, & fraude penitus (9) *circumscriptis. Et in praemissorum omnium, & singulorum testimonium evidens, & robur perpetuum, Nos Karolus Romanorum Imperator, Nos Wenceslaus rex Boemie, & nos Johannes Marchio*

(8) Ex Tabular. Caesar. Vienn. apud P. Steyerer S.J. pag. 387.

(9) Credo scribae errorem esse, & subsituendum. *praescriptis.*

Anno Christi 1363.

de ipsorumque statu paterna investigatione quærentes admodum dolenter audivimus, quod quædam discordia dudum inter Charissimum in Christo filium nostrum Carolum Romanorum Imperatorem semper Augustum, ac dilectum filium nobilem virum, Joannem de Boemia Marchionem Moraviæ fratrem suum ex parte una, & Charissimum in Christo filium nostrum Ludovicum regem Ungariæ illustrem, & dilectum filium Nobilem Virum Rudolfum Ducem Austriæ ex altera, procurante Satore Zizaniæ suscitata, nondum fuit, ut sperabatur, ad finem optatæ pacis adducta, quamvis sub gradibus differentiarum deducatur in longum. Nos igitur timentes, ne scintilla tenuis non extincta, in flammam, quod absit, transeat destructivam, Apostolicæ provisionis remedium in hac parte providimus adhibendum, & de zelo pacis, ac circumspectionis industria tua fraternitatis nobis, & aliis gerentes in Domino fiduciam pleniorem, te velut pacis Angelum de fratrum nostrorum Consilio ad præfatorum discordantium partes, ac præsentium propterea duximus destinandum . . . . Datum Avinione IX. Cal. Februarii anno primo. Addit Raynaldus ejusdem argumenti litteras ad eugem, & Ducem Austriæ fuisse datas, ac Ludovicum præterea ob Elisabethæ matris mortem doloi indulgentem solatum esse, ut spe immortalitatis ad Christianam constantiam animum mœrore absorptum engeret. Sed aut confictam, quæ ad Pontificem allata est, famam fuisse oportuit, aut Raynaldus non rite subducta temporum ratione se ipsum fefellit, quod Elisabetham rumori huic pene vicenos annos superstitem fuisse compertum sit.

Casimirus regi suspectus venit.

Ceterum Legati in Hungariam missi opera, tametsi nihil diligentiæ prætermiserit, frustranea in principio fuisse videri potest, quod Ludovicus, cum primum tempus opportunum assinisit, ad bellum rursus prosiliret, eo maxime consilio fretus, quod Casimirum cum auxiliariis propediem affuturum speraret. Neque is multum moratus ingentem Russorum, ac Tartarorum copiam adduxit, quibus, nisi Casimiro studium foederibus involuto animus defuisset, præclarum aliquid patrari poterat. Sed dum tergiversatur, & Ludovicus, quod, quam in partem Polonus inclinaret, nondum satis exactum haberet, discrimini se solum objicere veretur, Carolus habitis per Germaniam delectibus cum numerosissimo exercitu prius adfuit, quam venientis famam accepissent. Ita mutuo in conspectu, sed citra injuriam, hostes fuere. Qua re animadversa Legatus Pontificius complanandæ litis tempus occupans ultro, citroque ad castra commeabat, modumque concliandi cum Ludovico Caroli diligenter quærebat. Imperator, quod Stetinensis Ducis filiæ, Casimiri neptis,

Et arbiter partes amplectitur

matrimonio filii copulandæ spem haberet, satisfacturum se adversarius pro convicio receperat: cui conditioni dum Casimirus, qui sororis contumeliam æquanimius, quam par esset, ferebat, non ingratus subscripsisset, Ludovicus, ne belli moles uni sibi incumberet, dissimulato dolore non abhorrere se ab ineunda pace professus est, si illius arbitrium Polono deferretur. (6)

Constituto Cracoviae colloquio

Conspirante in Polonum quoque Carolo, locus conficiendo fœderi Cracovia designatur, ad quam urbem, cum dimissus utrinque exercitus esset, Imperator cum Ludovico, ceterique Principes ingenti satellitio stipati profectionem adornarunt, Carolus novæ Conjugis spe illectus, Ludovicus contra, ut regem Polonæ, si pax honestis conditionibus conciliari nequiret, ad pacificendam solum inducat secteret. Celebratis summo apparatu nuptiis, ad pacandum Ludovicum curæ conversæ sunt, qui tametsi in principio ad stabilem pacem ægre animum adjecturus videretur, tamen Legati Apostolici adhortationibus emollitus, Casimiri judicio staturum se promisit. Qui assumto in causæ cognitionem socio Bolkone Suidnicensi Duce, quid utrinque constitutum fuisset, in hanc sententiam pronuntiavit. (7)

Arbitrorum indutiæ promulgantur

Nos Kazimirus Dei gratia rex Poloniæ, & Bolko eadem gratia Dux Slesiæ, & Dominus Swidnicensis, notum facimus, quibus expedit tenore præsentium universis, quòd serenissimus Princeps, & Dominus Karolus quartus divina favente clementia Romanorum semper Augustus, & Boemiæ rex, ac illustris Princeps Dominus Johannes Marchio Moraviæ ab una, & serenissimus Princeps Dominus Ludovicus rex Hungariæ, Rudolfus, ceterique sui fratres, Duces Austriæ parte ab alia, super omnibus eorum controversiis,

(6) CROMER. Hist. Polon. lib. XII.

(7) Ex Tabular. Cæsar. Vienn. apud P. STUYVERR. S. J. pag. 378.

fiis, contentionibus, seu dissensionibus, quae inter se hinc inde usque in diem praesentem habuisse noscuntur, in nos, tanquam in arbitros, seu amicabiles compositores, alias compromiserunt, ut in litteris eorum nobis super hoc traditis plenius est expressum — quapropter virtute arbitrariae potestatis nobis, ut praemittitur traditae una cum voluntate, decernimus, & pronuntiamus in his scriptis, quod dictae partes ab hodierna die in antea perpetuum super omnibus dissensionibus, controversiis, & dissensionibus, quae inter ipsos hucusque viguerint, boni amici debent fideliter remanere, dolo, & fraude quibuslibet procul motis. In cujus rei testimonium Sigilla nostra praesentibus sunt appensa. Actum, & datum Cracoviae in vigilia beatae Luciae Virginis gloriosae. Anno MCCCLXIII. Sed quod literae instar solum generatim amicitiam, non item conditiones singillatim exprimant, locum postea dedere Carolo, ut foedus novis pactis confirmaret.

Anno Christi 1363

Ejus rei causa Ludovicum, & Austriae Duces Brunam sequente anno per Oratores invitarat Imperator, ubi splendidissimo apparatu exceptos, facile permovit, ut condonatis utrinque injuriis amicitiam stabili foedere redintegrarent. Adjectae sunt tabulae omnium nominibus, qui eo foedere comprehenderentur, & jurejurando firmatae (8).

Tum pax utrinque firmatur

Nos Karolus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus. Nos Wenceslaus etiam Dei gratia rex Boemiae, & Marchio Brandeburgensis, jam dicti nostri dilecti Domini, & patris Karoli Imperatoris filius, & nos Johannes eadem Dei gratia Marchio Moraviae praedicti Domini nostri Imperatoris frater, pro nobis, & pro omnibus nostris haeredibus, filiis, & filiabus ex parte una. Et nos Ludovicus Dei gratia Rex Hungariae, ac nos Rudolffus, Albertus, & Leopoldus etiam Dei gratia Duces Austriae, Styriae, & Karinthiae - - pro nobis, omnibusque nostris haeredibus, filiis, & filiabus, virtute nostrae specialis ligae ex parte altera, fatemur, recognoscimus, & notum facimus publice per hanc literam omnibus eam inspicientibus, legentibus, vel legi audientibus, quod nos in parte utraque bona praemeditatione praevia, scienter de consilio nostrorum fidelium ecclesiasticorum, & secularium Principum, & Baronum, nostri jurati consilii per tractatus, & manus serenissimae, illustris, honestae, & sapientis Katherinae de Boemia, nostri praedicti Karoli Imperatoris filiae, & nostri praefati Rudolffi Ducis Austriae legitimae Conjugis, factos super pronuntiatione, quam prius illustres Principes, Dominus Kazimirus rex Poloniae, & Dominus Bolko Dux Schweidnicensis inter nos utrobique ordinasse noscuntur, hinc inde ad invicem pro nobis, & omnibus nostris amicis, auxiliatoribus, & servitoribus factis unitis, expeditis, & reconciliatis amicabiliter, & benevole super omnibus dissensionibus, discordiis, & controversiis, quas adversus invicem habuimus, verbis, factis, & gestibus usque in hodiernum diem, ex causis quibuscunque, & debent etiam sublatae esse totaliter omnes actiones, & impetitiones, quas ex nobis pars altera ad reliquam pro suis terris, hominibus, seu bonis, usque in praesentia tempora habuit quovis modo, propterea quod ad firmam securitatem perpetuam, & integram stabilitatem ejusdem amicitiae, & reconciliationis, nos praedictae partes spopondimus, & promisimus alterutrum per fidem nostram, verbis dignitatum nostrorum principatuum, ac pro eo etiam ad sancta juravimus juramentis corporalibus, sacrosanctis evangeliis, ac ligno sanctae Crucis manibus nostris tactis, quod neutra partium litigosa, vel contra alterius partis terras, ac homines, principatus, nec dominia, libertates, jura, dignitates, nec honores, quos, & quas nunc habet, & possidet, vel acquiret imposterum, ubicunque situentur, vel quibuscunque censeantur nominibus, ullis unquam temporibus conari, seu ipsam in eisdem debilitare, damnificare debet, aut per vias aliquas impedire, vel etiam nulli consulere, auxiliari, vel consentire, tacite vel expresse, qui ipsam in his quovis modo vellet aggravare, offendere, vel angariare, omni dolo, & fraude penitus (9) circumscriptis. Et in praemissorum omnium, & singulorum testimonium evidens, & robur perpetuum, Nos Karolus Romanorum Imperator, Nos Wenceslaus rex Boemiae, & nos Johannes Mar-

Q cbio

(8) Ex Tabular. Caesar. Vienn. apud P. STEPHAN S.J. pag. 585.

(9) Credo scribae errorem esse, & substituendum praescriptis

Annus Christi 1364

chiæ Moraviæ prædicti, pro nobis, & nostris hæredibus ex una. Nos quoque Ludovicus Rex Hungariæ, & Nos Rudolfus, Albertus, & Leopoldus Duces Austriæ prænotati pro nobis, & nostris hæredibus parte ab altera, ut præditur, sigilla nostra appendi fecimus ad præsentes. Actum, & datum Brunæ in die sanctæ Scolasticæ Virginis anno Domini Millesimo trecentesimo, sexagesimo quarto.

Jus successionis in Austriam regi confirmatur.

Confectæ sunt aliæ pactionum tabulæ inter Carolum & Austriæ Duces, quibus Cæsar, si ipse ejusque hæredes legitimi sine prolibus decederent, sacramento spondet Bohemiam cum ceteris ditionibus ad Austriacos devolutum iri: contra si Ducibus Austriæ nulli hæredes essent, & Ludovicus præterea improlis fato fungeretur (10) Austriacarum provinciarum jura ad Cæsarem, ejusque posteros in solidum pertinerent. Comprehensa est eodem Diplomate utraque Elisabetha, mater Ludovici, & Stephani ejus fratris, sed jam defuncti filia; cujus mentionem nuspiam alibi reperias. Ex quo fonte arguitur, cum Lucenburgicæ gentis successionis prærogativa non alter, quam si præter Austriacam stirpem Hungarica quoque deficeret, concedatur, jam multo ante hæreditariam quoque pactionem inter Duces Austriæ, & Ludovicum intercessisse, sed cujusmodi fuerit, aut quo tempore inita, exstetne etiam, an contra, in obscuro est. Inde opinor, Timoni (11) error obrepsit, ut successionem inter Hungariæ, ac Bohemiæ regna stabilitam ad hunc annum referret, cujus quidem Tabulæ, quas diligenter scrutatus sum, & ex quibus hæc deprompsi, nihil prorsus meminere.

Pontifici auxilia contra Bernabonem offert

Expeditus bello Bohemico Ludovicus auxilia summo Pontifici obtulit, quibus Bernabonem, latius per Italiam in dies grassantem, ad officium revocaret, quin, si ita Urbano videretur, se ipsum copiis in Mediolanensem agrum ducturum pollicitus est. Quæ cum Bernabos per exploratores, quos in aula Pontificia habuerat, comperisset, rem serio agi videns, ac Ludovici arma, & comminationes veritus, ad pacis fœdera cum Pontifice sancienda descendit. Firmata est pax in has conditiones: ut Bernabos quæcunque in tractu Bononiensi, Mutinensi, ac provincia Romandiolæ bello acceperat, restitueret, Pontifex contra quingenta florenorum millia, octo annorum spatio persolveret. Urbanus, qui maximas in conficiendo fœdere partes Ludovicum habuisse cognorat, amplissimam regi gratiam pro oblatis auxiliis, ceterisque officiis habuit, & perpetuam hujus beneficii memoriam spopondit. Plena laudum est, quam de eo argumento scripsit, epistola, dignaque, ut posterorum memoriæ commendetur. (12)

Ludovico Regi Ungariæ illustri

Expositione propterea laudibus a Papa ornatur

O Princeps devotissime, ac præcharissime fili ecclesiæ sanctæ Dei! qui ardore pietatis incitatur vehementer matri tempore indigenti, qui cælestis regis obsequiis devote militare desideras, & ejus sponsam a malignorum incursibus defensare. Tu es vere

(10) Exstat diploma Germanicum in Tabul. Cæsar. Vienn. apud P. STEYERER S. J. pag. 383 ex quo, quæ huc faciunt, depromimus. *Und ze gleicher weis hinwieder sprechen, und wollen wir, die vorgenant Herzogen von Oesterreich, und wir die egenant Margret ir Swester, ob daz geschehe, daz Got durch sein Gnad wende, daz wir, und der Durchleuchtig Fürste, her Ludweig Kunig ze Ungern, unser lieber bruder, und die hochgeborn frawe Kunigin Elspet sein muter, und die hochgeborn Elspet, weilent Herzog Stephans von Ungern, seines bruder tochter, unser liebe Swester, abgiengen, und verfüren an elich Leiberben, und auch ob wir an denselben unsern tail Leiberben gewunnen, die furbaz one Leiberben verfüren, und unser Lant also rechter Leiberben, die von uns unsern Kinden, und Kinder Kinden kommen mochten, erblos wurden, daz darin alle unsere erblaeche Fürstentume, Lant, und herschefte, Vesten, und Stette, Leit, und güter ... mit vollem, und mit gantzem rechte auf die vorgenant Keiser Karlen von Rome, Kunig Wentzlawen von Behem, und Marggraf Johansen von Merhern, und auf ir Leiberben, Sün, und Tochter, und auf derselben Kind, und Kindes Kinde nach dem rechten Stame ewikleich &c. gegeben ze Brune nach Kristes geburde drewtzehen hundert jar, darnach in dem vier und sechtzigisten jar an der heiligen Jungfrawen sand Scholastica tage.*

(11) In Epitome Chronol. ad hunc annum.

(12) RAYNALD ad annum 1364.

vere gratitudinis filius, qui datam tibi a Deo potentiam in humilitatis spiritu recognoscis, dum eam in suis beneplacitis nunc contra Christianos inques hostes ecclesiae, nunc contra Schismaticos, & haereticae foeditatis respersos, nunc contra infideles, & ethnicos satagis exercere. Tu vere rex, & Princeps CHRISTIANISSIMUS, qui non vacas terrenis delitus, sed jugiter laboras pro tui nominis redemtoris, terrenum regnum in coeleste sapiens laudando commercio commutare. Tua siquidem oblatio praedicta magnifica, siculis inaudita moderuis, mentem nostram consolationis plenitudine recreavit, & licet ipsius effectu non videamus ad praesens, quia hostis olim ecclesiae fuit ad gratiam reconciliationis admissi, oblationem tamen ipsam multipliciter habemus acceptam, eam in necessitatibus ejusdem ecclesiae, quae pro tempore possent occurrere, pro thesauro pretiosissimo retinentes, & proinde regiae liberalitati copiosas gratiarum referimus actiones, rogantes Deum, quod in salute, & prosperitate vestra multiplicet dies tuos. Datum Avinione V. Kalendas Martii, anno II.

Anno Christi 1364.

Abhinc juris dicundi rationem, ne ob perdita Bosnensi bello sigilla fraudi locus in judiciis daretur, ita constituit, ut publica novi sigilli fide, non modo Caroli patris, sed suas quoque, quas hactenus donationis, & alio quovis nomine vulgasset, aut postea editurus esset, litteras corroborari voluerit, fereque diplomata illius aevi in hanc sententiam concludi solent. (13) *Ad perpetuam rei memoriam. Nos Ludovicus praefatus rex universis declaramus, quod, ubi in regno nostro Bosnae innumerabilis multitudo haereticorum (14) pullulasset in errorem fidei orthodoxae, & ad extirpandum quoque de ipso regno nostro eosdem ex una parte nos personaliter, instaurato valido exercitu proficiscebamur, ex alia vero parte Venerabilem in Christo patrem Dominum Nicolaum Archiepiscopum Strigoniensem, Cancellarium nostrum, penes quem utrumque par sigilli nostri authentici habebatur, & virum magnificum, dominum Nicolaum Palatinum cum ceteris Praelatis, Baronibus, & regni nostri Proceribus in Usuram destinaveramus, quidam familiares ipsius Domini Archiepiscopi pro custodia deputati, utramque par dicti sigilli nostri authentici praecurrepta malitia subtraxerunt. Nos itaque praecaventes, ne ex hujusmodi sigilli nostri deperditione regnicolis nostris in eorum juribus successive periculum possit imminere, sigillum novum in duabus partibus fecimus pro nobis sculpi, quod ad omnia privilegia nostra, & quondam Domini Caroli regis, patris nostri, sub priori sigillo ejusdem tempore suae coronationis sculpto, & demum per eundem, eo quod sub ipso plurimae infidelitates perpetratae extiterunt repertae, permutato, & dissecto, ac sub alio sigillo ipsius in partibus Transalpinis casualiter deperdito, confecta juxta dicta tria sigilla decrevimus fore appendendum. Ad quaecunque vero privilegia paterna, dictis duobus prioribus sigillis suis consignata, quae per eundem patrem nostrum per sigilla ejusdem posteriora, vel per nos eum sigillo, modo praemisso, deperdito confirmata non haberentur, & ad ipsa privilegia ipsum novum sigillum nostrum non appenderetur, vel quaecunque patentes litterae nostrae, & paternae non confirmarentur, ea privilegia, & litterae, si non per eundem patrem nostrum fuerint revocata, & annullata, sic & nos ipsas, seu ipsa commissionis verbis carituras, nullam quoque roboris obtentura firmitatem, utrique patris privilegiorum nostrorum omni prorsus subjectione destitutum, & omnia ea et superius contenta, & expressa pro eadem Ecclesia Nitriensi dicti sigilli nostri novi, duplicis & authentici appensione renovavimus, & confirmavimus. Datum per manus ejusdem Domini Nicolai Archiepiscopi, Cancellarii nostri, tertio idus Maii, anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo quarto, regni autem nostri anno vigesimo tertio.*

Judiciorum ratio ob perditum sigillum c... novi

Dum haec domi Ludovicus satagit, grave inter Bavaros, & Austriacos bellum exoritur, cui quod utrisque foederatus esset, implicare necesse habuit. Obtigerat Rudolpho Austriae Duci Tyrolis cum ex Margaretae dono, ad quam ea provincia attinebat, tum Caesaris, ac reliquorum Principum suffragiis. Quem dum Albertus, & Stephanus senior, fratres Ducis Bavariae, ac hujus filii Stephanus, Fri-

Lites inter Austriae, & Bavariae Duces dirimit.

Q 2 deri-

(13) In Corpore juris patrii ante Decretum Ludovici.

(14) Alius additur quoque *Saracenorum*. Non dubitem, jam antea rebus publicis per novum sigillum consultum fuisse, annum tamen hoc procuratorum non reperi.

Anno Christi 1364.

dencus, & Joannes sibi per injuriam ereptam quererentur, habito Landshuti Conventu bellum in Austriacos decernunt, inchoantque. Adjunxere Bavaris auxilia Noembergensis Dynasta, Nassovius, Schwarzenburgus, Orlamundanus, & Steinius Comites. Austriacis contra Pilegrinus Salisburgensium Antistes favebat, ablatque ex Bavaria prædis bello initium fecit. Bavari, ut Pilegrinum ad sua defendenda reflecterent, Muldorfium juribus illius obnoxium obsidione cingunt, ad quam solvendam dum Rudolphus Austriæ Dux copias Riedæ oppido vicinus admovet dissidia in apertas belli flammas utrinque erupere. Quæ ut ne porro serperent, Ludovicus interposita auctoritate dissidentes sic placavit, ut induciæ pridie idus Septembris ad IX Calendas Maji anni sequentis, quoad litem penitus suo judicio complanaret, bona utrinque fide servarentur. (15)

1366. Liberandis Græcis bellum in Turcas decernit.

Conciliatis Austriæ, & Bavariæ Ducibus curas in Orientem convertit, quem Amurates Turcarum Sultanus felici armorum progressu adeo terruerat, ut metus non inanis esset, firmatis in Europa rebus, victisque Græcis, in Hungariam tota virium mole incubiturum. Id periculum cum apud animum suum Ludovicus diligenter exigeret, ac cum Urbano quoque communicasset, consilium accepit, ut una cum Petro Cypri rege fœderibus bellum in Barbaros decerneret, præsertim, quod Joannes Palæologus, qui rerum apud Græcos tunc potiebatur, missis Oratoribus se ad Romana Sacra transiturum spoponderat, si ejus auctoritate summorum Principum subsidio adjuvaretur. Ludovicus, non modo facile morem gessit Pontifici, sed Sacramento etiam, ut rumor erat, ad ferendam Græcis opem se adstrinxerat, fecitque necessarios propterea apparatus, ut, dum Cypri rex classe adversum Turcas rem agunt, ipse terrestri, ut conventum erat, itinere barbaros ingrueret. Hæc summo studio conantem haud multo post Pontifex per litteras interpellavit, suasitque, ut ne prius Græcis succurreret, quam is ad Romanæ Ecclesiæ obedientiam revertisset. Neque enim satis into Græcorum ingenio fidi poterat, qui plures Pontifices simulata religionis larva fefellerint. Itaque jus jurandum, si quo rex se obstrinxisset, ad annum sequentem se prorogatum velle, dum certiora unionis indicia Græci exhiberent, iisdem litteris significavit.

Urbanus - Charissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungariæ illustri salutem & Apostolicam benedictionem

Jubetur a Papa non ante militare, quam Græci unionem promittant

Licet sit Charissime plurimum habeamus acceptum, quod negotium defensionis Græcorum ad finem reductionis eorum ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ unitatem, modis debitis prosequaris, decet tamen, & expedit, hoc ita prudenter, & mature fieri, ut non tendat ad noxam, quod agitur ad salutem. Sane tuo, sicut in antiquis Chronicis, & Scripturis aliis reperitur, iidem Græci cum dicta Ecclesia in tractatibus per eam cum eisdem habitis doloſe, ac fraudulenter incesserint, illudendo fallaciter Ecclesiæ memoratæ, & ex

(15) Exstat in Tabular. Cæsar. Viennæ apud P. STEYRERR S. J. pag. 394. Diploma, ex quo ad præsentem materiam hæc excerpo. „ Wir Stephan der älter, und „ Albrecht gebruder. Wir Stephan, Fri„ drich, und Johans gebruder, des egenanten Stephans des Eltern Sün all von „ Gotes genaden Pfallenzgrafen bey Rein, „ und Hertzogen in Bayrn, Grafen ze „ Tyrol .... tun kunt offenleichen mit „ dem brif, das Wir fur uns, und fur alle „ unser frewnt, helfer, und diener durch „ fleizzig bet willen des Durchlauchtig„ sten Fursten, Herrn Ludweigs Kunig „ zu Ungern unsers lieben bruder, einen „ getrewen, guten, vesten, und staeten „ frid fur zeil, und fur werch an alles „ gevärt, und argliſt auf genomen ha„ ben mit Herzog Rudolffen, Herzog Al„ brecht, und Herzog Leupolden gebrudern Herzogen zu Ostreich .... auf „ fant Georgen tag, der schirst kumpt .... „ mit solch bescheidenheit, ob der „ obgenant unser bruder der Kunig von „ Ungern uns beheldenhalten einen tag „ kündet, und darauf beitet, das wir dar„ auf kömen mügen .... Er soll auch „ der vorgenant unser bruder der Kunig „ von Ungern disen frid, und ungeschri„ ben stukh vesten, und besiten mit „ seinem brif, und kuniglichem insigel .... „ geben .... ze Passaw des nechsten „ Pfintztag vor des heiligen Chrewtzes„ tag, als er erhöchet ward, nach Krists „ geburt drewtzehen hundert jar, dar„ nach in dem vier und sechtzigsten jar „

Anno Christi 1366.

& ex hujusmodi præteritis, de similibus futuris sit verisimiliter præsumendum, præsertim, quia idem Græcus non videtur ex devotionis zelo, & pura voluntate, sed coacti pro habendo tuo succursu venire velle ad hujusmodi unitatem, cum eo est cum multa maturitate, & cautelæ studio procedendum. Et quia de re ardua agitur, & ipsius executio est adeo difficilis, & prolixa, quod infra modicum tempus compleri non poterit, ut optatur, si tua Celsitudo voluisset, seu juraffet prædictis Græcis, seu eorum Imperatori infra certum terminum venturum de proximo præstare succursum, nos præmissorum consideratione inducti, votum & juramentum hujusmodi usque ad annum a data præsentium computandum, auctoritate Apostolica tenore præsentium suspendimus ad cautelam. Placet tamen nobis, quod dicto Imperatori, ac ejus filiis, reductis ad hujusmodi unitatem eis, interim de aliqua armigera gente succurras, si tibi expediens videatur, itaque magnificentia tuum operibus semper intenta, interim vacare poterit aliis operibus pietatis - - - Datum Avinione X. Kalendas Julii anno IV. (16)

Palæologus obsequium Pontifici defert. Pontifex reges in Turcas hortatur.

Palæologus intellecto, quod regem, & suppetias moraretur, continuo Budam paucorum Procerum corona stipatus, multisque actus erroribus ad Ludovicum venit, interposito Sacramento pollicitus, se cum filiis ad Ecclesiæ Catholicæ sacra transiturum, facturumque, quidquid Pontifex mandasset, si Græcorum imperium adversus Turcorum impetus defendendum susciperet. Simul Elisabetham regis conjugem adortus orabat, ut suas apud virum preces adhibere ne gravetur, agi causam, quæ illius quoque genti communis esset, quando Amurathem, si Græcos profligaret, in Bosniam, ac Serviam arma conversurum ex ipso locorum positu, & Turcorum indole perspicuum sit. Ludovicus, qui sponte sua causæ jam prius favebat, conjugis, & Palæologi precibus tanto acrius incitatus Stephanum Nitriensem Episcopum ad Pontificem misit, ut, quæ illi eatenus sententia esset, cognosceret. Urbanus cognito Palæologi in Romanam Ecclesiam studio, ad Principes Hungariæ viros, præsertim Kontum Palatinum Comitem, Nicolaum Strigoniensem, & Thomam Colocensem Archiepiscopos literas dedit, ut pium in rege ardorem ad revocandos Græcos, & Turcas bello opprimendos foverent. Ad Ludovicum quoque scripsit, partaque Barbarorum victorias, rei Christianæ pericula, quantum denique, nisi maturè caveretur, Hungariæ discrimen immineret, prolixe explicuit. *Quæ omnia (inquit) tu acceptissime Dei Princeps, quem Deus igne devotionis accendit, illustratis virtutibus, & potentia roboravit, pie consideres, ac in tanta miseria, & periculo constitutis charitativa tua humanitate compatiens, spiritu consilii, & fortitudinis induitus, & etiam confortatus, sicut per venerabilem fratrem nostrum, Stephanum Episcopum Nitriensem, ambassiatorem tuum propter hoc specialiter ad sedem Apostolicam destinatum, nobis significari curasti, ad ulciscendum tot, & tantas - - redemptoris injurias, ac subveniendi eisdem fidelibus, qui persecutiones, & impugnationes dictorum Turcorum jugiter perferunt, & eorum præsumptuosa molimina reprimendum, & exterminandum eos, si cum Dei auxilio poteris, disposuisti cum beneplacito, & licentia dictæ sedis pro illo, qui pro te dignatus est mori, te tradere periculis, & liberi, ac largitam tibi a Deo potentiam in obsequium exponere largitoris, cum grandi multitudine tuorum subditorum, & cum nullorum aliorum fidelium contra Turcos eosdem magnifice processurus, nobisque humiliter supplicasti, ut tibi assumendi cum fortis brachio hujusmodi negotium, prout devotioni tuæ manifestabit altissimus, prosequendi licentiam, ac omnibus, & singulis Christi fidelibus, qui tecum, vel Ducibus, seu Capitaneis a te contra præfatos Turcos, qui eosdem fideles in eadem unitate dictæ Ecclesiæ persistentes - - impugnant, mittendis devote accesserint, ut in hujusmodi bello Domino se promptiores reddantur, quæ majori gratia se prospexerint præveniendi, illam plenam indulgentiam, quæ per dictam sedem dari solet transfretantibus in terræ sanctæ subsidium concedere dignaremur. Nos igitur lætati ab intimis de tua devotione, & magnanimitate tam grandi, ac hujusmodi tuum sanctum propositum Apostolicis coadjuvare favoribus intendentes, tuis supplicationibus inclinati de fratrum nostrorum consilio, dictam licentiam auctoritate Apostolica tenore præsentium elargimur, indulgentiam vero præfatam concessimus, prout in* aliis

(16) RAYNALD. ad an. 1366.

Annus Christi 1366

alus nostris litteris inde confectis plenius continetur. - - Datum Avinione Kalendis Julii, anno IV. (17)

Profectio tamen incertum ob quas causas adhæsit.

Neque tamen Ludovicus in Græciam penetravit, aut quidquam contra Turcos patratum fuit, sive novarum rerum metus ex Bulgaria afferretur, seu pervagatus de Serviorum clade rumor profectionis moram injecerit. Cum enim hi validissimo exercitu Adrianopolim Turcis eripere conantur, & negligenter noctu excubias agunt, erumpentes ex urbe Turci cæsis quinquaginta millibus reliquos in fugam egere. Nisi forte satis virium adversus barbaros Twartkum Bosniæ Banum habere existimaret, qui id temporis, postquam hostes intestinos magna virtute profligasset, ad eam potentiam excreverat, ut de sumendo regis titulo cogitaret. Itaque cum per Legatos, tum per se se apud Ludovicum crebro egit, ut sibi bona illius venia eum honorem usurpare liceret non abnuit rex, modo Chulmensem provinciam, quam ad Elisabethæ conjugis suæ dotem ex pacto attinere contendebat, bona fide restitueret, & se supremum Bosniæ Dominum clientelari obsequio profiteretur. Twartkus regii nominis dulcedine inescatus facile morem gessit, solemnique apparatu a Milescevensis claustri metropolitano corona redimitus est, & Stephanus Myroes appellatus. (a)

Bosniæ Banus regia dignitate ornatur.

1367

Foederibus contra Bernabovem ille focius accedit.

Hæc, si conjectura, & temporum ratio nos non fallit, in causa fuisse verisimile est, quo minus Turcis arma Ludovicus inferre voluerit, aut potuerit etiam quamquam sint omnino, qui negati auxilii causas in Casimirum Poloniæ regem rejiciant, quem ad recuperandam Russiæ partem ab Ludovico suppetiis juvari oportuerit. Nostrorum enim plerique copias sequente anno Polonis submissas perhibent, quibus Uladomiriensem tractum partim vi, partim deditione in potestatem redegerint, de quo, cum nihil apud Polonos scriptores reperiam, quivis, ut libuerit, arbitretur. Illud certius, regem fœderibus se adjunxisse, quibus potentissimos Italiæ Principes Urbanus adversum Bernabovem, & Galeacii ambitionem sibi conciliarat. Fœdera ad septennium prorogata, quibus Italiæ contra quosvis hostes præcipue cavebatur. Prostant publicæ de iis tabulæ, quarum initium hujusmodi est. (18)

In nomine Domini nostri Jesu Christi, & gloriosæ Virginis, ac Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & totius Curiæ triumphantis, ad honorem, statum, & exaltationem sanctissimi in Christo patris, & Domini nostri Urbani, divina providente clementia Papæ V. sanctæque Romanæ Ecclesiæ, & reverendissimorum in Christo patrum Dominorum S. R. E. Cardinalium, & gloriosissimi, ac invictissimi Principis, Domini Caroli, Dei gratia Romanorum Imperatoris semper Augusti, & Boemiæ regis, nec non serenissimi Principis, Domini Ludovici, Dei gratia illustris regis Ungariæ, & ad conservationem, & statum magnifici, & potentis Domini Francisci de Carraria pro sacro Romano Imperio Paduæ, Feltri, Belluni - - vicarii generalis, & Dominorum Nicolai Ugonis, & Alberti fratrum illustrium, Marchionum Estensium, ac Dominorum Guidonis de Gonzaga, Ludovici, & Francisci fratrum, & filiorum ejusdem Mantuæ - - pro Sacro Romano Imperio Vicariorum generalium - - Tum leges fœderis subjunguntur, quibus mutua ope ad propulsandos hostium Italiæ conatus sese obstringunt; ad extremum fidem pactionibus a tempore, loco, ac testibus in hæc verba conciliant. *Singula supra scripta acta fuerunt, lecta & firmata in præsentia reverendissimi in Christo patris, & Domini Domini Anglici tit. S. Petri ad vincula presbyteri Cardinalis, præsentibus nobili viro Domino Nicolao de Spinellis de Neapoli legum doctore, Cancellario regni Siciliæ, Domino Joanne de Cabrispina decretorum doctore, & Domino Joanne de Senis licentiato in jure civili, testibus ad prædicta vocatis specialiter, & rogatis, anno Domini MCCCLXVII., indictione quinta, pontificatus sanctissimi in Christo patris, & Domini nostri Domini Urbani divina providentia Papæ V. anno V. præsentis die ultima mensis Julii in palatio Apostolico Viterbiensi* - -. Quæ usus pactionibus his fuerit, postea referemus.

Sub

(17) Idem ibid.
(a) ORSINI, LUCARI, DU FRESNE.

(18) RAYNALD. ad annum 1367

Annus Christi 1368. Subsidia Bosnensibus mittit.

Sub hæc Bosnia domesticis simultatibus laborabat, coorto inter Stephanum, ejusque fratrem religionis causa dissidio, cum hic Schismaticos acriter tueretur, ille contra Romanæ Ecclesiæ studiosissimus esset. Simultates paullum post in apertum bellum eruperant, cui dum Stephanus propulsando satis virium non haberet, Ludovicum orabat, ut sibi, quoniam res illius quoque ageretur, opem & subsidia mittere ne differret. Rex, qui religionis causa nihil cuiquam negasset, omnino validum exercitum Stephano suppetias misit, cujus opera fratrem facile in ordinem redegit, magnasque ad Ecclesiam accessiones fecit. Ferunt enim intra quinquaginta dierum spatium ducenta hominum millia ad Romana sacra traducta fuisse. Opera laus ad octo viros ex Minoritarum ordine pertinuit, etsi non minima illius pars ad Ludovicum quoque attineret, cui Pontifex amplissimas propterea gratias scriptis de eo argumento litteris habuit. (19)

Jura sua in regnum Neapolitanum persequitur.

Quæ tametsi amoris, & laudum plenæ essent, prohiberi tamen se rex minime passus est, quin jura sua apud Sedem Apostolicam tueretur. Ludovicus Andium Comes Caroli Galliarum regis frater in Provinciam juri Siculo obnoxiam irruperat, quam cum Joanna exigere regno nequiret, pæne nobilissimam regni partem, quam tueri non poterat, hosti cedere constitutum habebat. Id ne fieret, Ludovicus Hungariæ rex misso Joanne quondam Dalmatiæ, & Croatiæ Bano aliisque Legatis ab Urbano flagitabat, ut suam eatenus auctoritatem interponeret, ne ea provincia a Siculo regno avelleretur, suam hic quoque remagis professus, ad quem, si Joanna improlis obiret, Sicilia luculento jure spectaret. Rescripsit Pontifex humaniter, & daturum se operam, ne qua injuria afficeretur, promisit. (20)

Charissimo in Christo filio Ludovico, Regi Ungariæ illustri salutem.

Quo animo Pontifex id acceperit.

Dilectos filios nobiles viros, Joannem de Ludberg, olim Dalmatiæ, & Croatiæ Banum, ac Joannem Treutel de Nevna milites ambassiatores tuos, latores præsentium ad nostram præsentiam destinatos, & dilectum filium Nobilem virum, Stephanum Francisci militem Jadrensem eorundem ambassiatorem interpretem gratanter recepimus, in eis quodammodo tuæ Celsitudinis præsentiam contemplantes, dictumque Stephanum prudenter, ac facunde proponentem, quod regnum Siciliæ tuæ Serenitati debetur, & quod moleste ferres, si ad extraneos devenerit, & quod licet charissimam in Christo Filiam nostram, Joannam reginam Siciliæ illustrem in tota sua turbare minime intenderes, tamen contra ea remedia providere valebas periculo, quod posset post dictæ reginæ obitum evenire, multaque prudenter referentem, quæ ad hoc regnum mutuum videbantur, concludentemque, ut dignaremur tandem tuam justitiam condignis habere commendatam favoribus, sæpe audivimus diligenter. Ad quæ, præmissis laudum præconiis, quibus tuam devotam magnificentiam merito possumus, & debemus extollere, sincerissimoque affectu, quem ad te gerimus, duximus respondendum, quod in monstratione justitiæ, in qua sumus omnibus debitores, non erit Deo juvante defectus, nec etiam in gratus, & favoribus, in quantum patiatur conscientia, & jus alterius non lædatur. Hæc igitur fili charissime tam exposita, quam secundum decretum Apostolicæ gravitatis responsa ad majorem tuam certitudinem tuæ sublimitati præsentibus duximus intimanda. Datum apud Montemflasconem VI Kalendas Septembris, anno VI.

1369. Promittit se contra hostes Ecclesiæ copias in Italiam ducturum.

Tam pronam Pontificis voluntatem ut sibi porro stabiliret, neve Siciliæ regnum ad exteros devolveretur, Carolum Dyrrachinum filiæ posthumæ Caroli quoque Dyrrachini senioris virum dedit, &, ut beneficio quoque adjiceret dignitatem, Dalmatiæ, ac Croatiæ Banum creavit. Neque multum post conciliandi sibi rursus Urbani medium Bernabos suppeditarat, qui, quoties metus abesset, toties incursionibus suis Italiam infestabat. Moleste tulit Ludovicus, Pontificem, qui ob restitutam urbi sedem coli debuerat, bello ab Italis vexari: itaque per oratores significat, se cum decem Hungarorum millibus certa lege auxilio futurum, neque deportaturum prius ex Italia copias, quam Bernabos armis profligatus,

(19) Extat apud Raynald. ad an. 1368. Num. 18.

(20) Apud eundem Num. 30.

Anno Christi 1369.

gatus amicitiam redintegraret. Quibus autem conditionibus se suppetias Pontifici adducturum promiserit, Urbanus Anglicum Cardinalem per litteras edocuit. (1)

Urbanus --- venerabili fratri Anglico, Episcopo Albanensi, in terris Romanæ Ecclesiæ immediate subiectis pro nobis, & Ecclesia ipsa Vicario in temporalibus Generali salutem.

Deduximus ad tuæ fraternitatis notitiam, quod ambassiatores charissimi in Christo filii Ludovici, Regis Hungariæ illustris, qui apud nos fuerunt, dudum quam pluribus super arduis petitis, per eos bene contenti a nostro præsentia discesserunt, dixeruntque nobis, quod ipse rex, prout ab eo habuerunt, paratus erit ad depressionem hostium Romanæ Ecclesiæ, & colligatorum ipsius personaliter venire, saltem cum decem millibus armatorum bonorum, & non paucioribus, & non recedere, donec dicta repressio esset totaliter terminata, pro quorum tertia parte stipendiorum idem rex de proprio solveret, Ecclesia, & colligatis eisdem solventibus reliquas duas partes, & dantibus gentes ordinatas, & taxatas per ligam, vel saltem medietatem earum, & melioribus de terris Ecclesiæ assistentibus ipsi regi. Quibus respondimus, quod hoc præsens Ecclesiæ, & colligatis omnino impossibile redderetur, & propterea ipse rex adjuvando Ecclesiam, & colligatos eosdem, utique suos omnino, suam, si placeret, magnificentiam exhiberet. Cum itaque superbia injustum semper ascendat, & contra eos sit celeriter providendum, volumus, & tuæ fraternitati mandamus, quatenus dilectos filios Florentinos, & alios colligatos ad providendum super his, & offerendum dicto regi subsidium, quod offerentibus sit possibile, ipsique regi gratum, studeas sine moræ dispendio convocare ac super his tractare, & deliberare, quod magis videbitur expedire. Datum Romæ apud S. Petrum XVII. Kalendas Januarii, anno VIII. Bernabos Ludovici apparatu territus, dimissis Anglorum turmis, quas stipendio conduxerat, animum ad conciliandam cum Pontifice amicitiam haud gravate adjecit.

1370. Capellam Divis Stephano, Ladislao, ac Emerico Aquisgrani fundat.

Pacato Bernabone sacras res animo complexus rex capellam, quam triennio abhinc Aquisgrani Divorum Stephani, Ladislai, ac Emerici honoribus, ad Sacellum Deiparæ Virginis struere cœperat, hoc anno ad finem adduxit, amplissimisque fundis, ac prærogativis exornavit. Juvat litteras pientissimi regis, quas eum ob finem, postquam cum magistratu illius urbis conventiones iniisset, vulgaverat, ad posterorum memoriam transmittere. (2) *Ludovicus Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galiciæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæque rex, Princeps Salernitanus, & honoris montis S. Angeli Dominus. Omnibus Christi fidelibus tam præsentibus, quam futuris præsentium notitiam habituris salutem in omnium Salvatore. Gloria & honore coronatos in terra Principes cœlestis altitudo consilii supra cunctos terreni imperium in excelsis, ideo ad regni gubernacula sublimavit, ut quamquam universis sint subditis esse debeant liberales, ita curam tamen, & decorem Sanctæ Matris Ecclesiæ, quam altissimus ille Dominus opifex futurorum bonorum sui sanguinis rosco cruore rubricavit, impendere debent potiorem, ne in ea signanter per eos piæ fundata, aliquod reperiatur incongruum, seu cuiusvis indecentiæ nota respersum, sed sit in his omnibus erga ipsum splendor honestatis cinctus, quod in ea delectetur altissimus, & devotio populi augeatur. Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod nos de circumspectione, & providentia providorum virorum, magistrorum civium, scabinorum, & juratorum civitatis Aquensis, amicorum nostrorum dilectorum, spem & præsumptionem obtinentes indubiam, Capellam nostram, quam ob spem & fiduciam nostram, & ferventis desiderii nostri affectus, quos ad beatissimos Stephanum, Ladislaum reges, ac Emericum ducem, piissimos progenitores nostros sanctissimorum recordationum gerimus, & habemus singulares, quorum corpora, & venerabiles reliquiæ in Basilicis ipsorum diversis coruscant miraculis, vestigia eorundem licet insufficientibus meritis humiliter sequentes sub honore eorundem sanctissimorum progenitorum nostrorum, in eadem civitate Aquensi circa Capellam Beatæ Virg.*

(1) RAYNALD. ad an. 1369.
(2) Nicolaus Schmitt e S. J. Part. I. Episcop. Agriensium pag. 250.

Virginis ibidem constructam propriis nostris sumptibus, & expensis construi fecimus, & fundari, & pro duobus Capellanis in eadem jugiter degendis, ob reverentiam dictorum adnificatorum nostrorum progenitorum, quorum suffragantibus meritis, nobis usque ad hæc tempora victoriose triumphantibus cuncta prospere successerunt, & successibus de præsenti, confiniaque regni nostri, eo authore Domino feliciter possidemus, longe lateque diffusa, & mirifice exist [illegible] *dilatata, nec non pro nostra, nostrorumque parentum animarum salute, perpetuis redditibus, & obventionibus dotavimus, ne in ea segniter propter loci distantiam cultus divinus minuatur, sed potius iidem duo Capellani usibus necessariis sufficienter muniti, relicta vita activa contemplationi divinæ insistere, pacibusque orationum suffragiis altissimum complacere, & cum Propheta continuo psallere illud Davidicum: Dominus pars hæreditatis meæ &c. possint, & valeant, cum effectu eisdem Magistris civium, scabinis, & juratis, civibus nostris eandem capellam nostram cum omnibus redditibus, proventibus, ac attinentiis suis quibuslibet, loco nostri cum mera, & omnimoda potestate ad fidem ipsorum Deo dubitam commisimus, reliquimus, & deputavimus, eis committimus, relinquimus, & deputamus, in his scriptis; ita tamen, quod Capellani, qui pro tempore fuerint in eandem deputandi, semper de regno nostro Hungariæ recipiantur. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam præsentes concessimus literas nostras privilegiatas, pendentis, & authentici sigilli nostri duplicis munimine roboratas. Datum per manus venerabilis in Christo Patris Domini Ladislai Episcopi Vesprimiensis, Regnalis Cancellarii, & aulæ nostræ vice Cancellarii, fidelis nostri, & dilecti, anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo, IV nonas mensis Januarii, regni autem nostri anno vigesimo nono. Venerabilibus in Christo Patribus, & Dominis Thoma Strigoniensi, decretorum Doctore, Stephano Colocensi, sacræ paginæ Magistro, Ugolino Spalatensi, Dominico Jadensi, & Elia Ragusiensi Archiepiscopis. Demetrio Varadiensi, Colomano Jauriensi, Michaele Agriensi, Wilhelmo Quinque-Ecclesiensi, Stephano Zagrabiensi, Demetrio Transilvaniensi, Joanne Vaciensi, Dominico Csanadiensi, Petro Bosnensi, Ladislao Nitriensi, Stephano Sirmiensi, Nicolao Tininiensi, Demetrio Nonensi, Nicolao Traguriensi, Stephano Pharensi, Valentino Macariensi, Mathæo Sibenicensi, Michaele Scardonensi, & Portina Legiensi, Ecclesiarum Episcopis Ecclesias Dei feliciter gubernantibus, Corboniensi sede vacante. Magnificis viris Domino Ladislao Duce Opoliæ, regni nostri Palatino, Emerico Vayvoda Transilvano, Nicolao de Zech Judice Curiæ nostræ, Joanne Tavernicorum nostrorum Magistro, Simone regnorum Dalmatiæ, & Croatiæ, Petro Zudar totius Sclavoniæ, & Nicolao de Machi Banis, Paulo Dapiferorum, Joanne Janitorum, & Stephano Agasonum nostrorum Magistris, ac eodem Domino Ladislao Duce Opoliæ Comite Posoniensi, & aliis quam pluribus comitatus regni nostri tenentibus, & honores.*

Hæc in anni primordio; qui cum satis auspicatus pene evolutus esset, in exitu novam ex improviso rerum faciem exstincto Casimiro Poloniæ rege, turbasque dedit. Ziemovitus Massoviensium Dux vulgata regis morte oppida, quæ sibi ex pactis conventis debebantur, per vim occupavit, ne Polonos defuncto Casimiro deditione præverteret. Lubartus cum fratre Kestuto ingentes Lithuanorum Copias in Lodomiriensem agrum infuderant, brevique omni ea provincia potiti sunt. Ad hæc regnum ipsum factionum studio in partes distrahebatur, non nullis optimatum in duos Casimiri filios, quos ex tertia uxore genuerat, vota sua conferentibus, cum alii Casimiro Stetinensium Duci faverent. Ludovicus, ad quem regni jus ante alios attinebat, ut primum de avunculi morte, & intestinis turbis certior factus esset, ne jura sua incuriose videri posset, Elisabetham matrem, defuncti Casimiri sororem, in Polonium misit, ut sua auctoritate, & captato gentis favore partium studia sedaret. Quæ ubi Cracoviam attigit, facile plerosque in eam adduxit sententiam, ut Casimiri voluntatem, qua Ludovico regnum decretum erat, ratam haberent. (a)

Anno Christi 1370.

Casimiro Poloniæ rege ex stincto

R Ita-

(a) Cromerus rerum Polonic. Lib. XIII

Anno Christi 1370. Regnum Ludovico defertur.

Itaque celebrato conventu omnium suffragiis Ludovicus rex proclamatur, missique oratores in Hungariam, Florianus Episcopus Cracoviensis, & Strelcius regni Cancellarius, qui regem orarent, ut primo quovis tempore rem publicam capesseret, ne æmulorum postea consiliis a possessione, Casimiri arbitrio, & jure debita deturbaretur. Id cum Legati Ludovico Vissegradi tum commoranti prolixe exponerent, aliquandiu, quid facto opus esset, deliberasse memoratur, tum, ubi Poloni orando perinde, atque Hungari suadendo instarent, in hanc sententiam respondisse: neque hos, quid suaderent, neque illos, quid peterent, satis intelligere, quod e neutrorum re id sibi futurum videretur. Sibi satis esse curarum, uni populo præesse, si alterum ad curas per se molestas regnum adjiceret, vix ulla ratione posse fieri, ut non sine alterutrius, aut utriusque etiam incommodo, ac periculo administretur. Hæc tum quidem Ludovicus, sive re ipsa sic comparatus erat, seu, quo animo id Poloni acceperint essent, periclitari voluerit. Victus tandem Oratorum precibus annuit, & cum præcipuis Optimatum, ingentique militum manu in Poloniam profectus est. Venientem proceres, cum frequentissima nobilitate Sandecum honoris causa obviam progressi, excepere, & Cracoviam deduxere. Ibi rursus civium occursu honorifice consalutatus est. Postero die, cum Senatum dedisset, publice rogatus a Cancellario, an testamentum regis ratum esse juberet, pæne consenserat, nisi a proximis admonitus, ea ratione magnam regni partem ad Stetinensium ducem devolutum iri, rem omnem ad regni proceres referri jussisset. Qui cum neque novum regem neque Cæsarem, cujus soror Stetinensi nupta erat, offendere cuperent, Ludovicus ita cum Duce transegit, ut is Dobertensem ditionem, & pauca oppida, quæ ad eam attinerent, sibi integro jure servaret, cetera regi, ac regno relinqueret.

Coronatio-ne illius proceres offendit.

His constitutis ab Jarodao Gnesnensi Archi-Episcopo, adstantibus Floriano Cracoviensi, & Petro Lubusensi Episcopis in Cracoviensi basilica solemni gentis ritu, magnaque omnium, sibi, regnoque congratulantium lætitia rex inauguratur. (3) Cujus quidem partem haud multo post Ludovicus plerisque optimatum visus est non mediocriter accidisse, quod Nemyerza, & Joanne, quos Casimirus ex Judæa concubina procreaverat, hæreditate privatis, Ladislaum Opuliæ Ducem, ac Hungariæ tum Palatinum amplissimo Weluniensium tractu aliisque in Siradiensi provincia latifundiis donasset. Quorum prius quamquam Poloni non inviti ferrent, postremum tamen, quod pulcherrimam portionem a regno averterunt vererentur, palam etiam carpebant. Id Ludovicus intelligens, ne quid molestiæ sibi ineunte in primordio crearetur, donationem feudi nomine sic temperavit, ut data fide Ladislaus polliceretur, ditiones, quas donum ab Ludovico acceperat, si absque masculo hærede decederet, ad Polonum rursus devolutum iri. Pacatis hunc in modum Polonis honorificentissimas avunculo exequias celebrat, quibus regia pompa peractis Gnesnam invisit, ubi cum illi regnum Thalamum Archi-Episcopus apparasset, rogassetque, ut illum conscendere ne gravaretur, aperte renuit, veritus, ne id ludibrio sibi verteretur, quasi inaugurationem Cracoviæ celebratam ea innovatione parum æquis hominibus infirmare velle videri posset. Constitutis Gnesnæ rebus Cracoviam remeavit, relictaque matre Elisabetha, cui Poloniæ arbitrium commiserat, diadema, ceteraque regni Clenodia, ne quid se absente turbarum cooriretur, re autem vera, quo certior regni possessio penes illum maneret, in Hungariam deportavit. (a)

1371. In Hungariam reversus contra Valachos movet, & profligat.

Commodum prorsus in regnum redierat, quod Valachos Transalpinos excusso jugo obedientiam detrectare crebris nuntiis afferretur. Ludovicus, ne malum longiore mora incrementum caperet, serperetque ad alios, conflato brevi tempore gemino exercitu in refractarios movet. Alteri Nicolaum Transilvaniæ Vayvodam præficit, jussitque, ex Siculia hostem ut peteret, alterum ipse in Bulgariam ductabat, ex qua trajecto danubio in mediterraneam Valachiam penetraturus erat, ut conclusum utrinque hostem facilius ad obedientiam revocaret. Nicolaus superatis improbo labore montium faucibus, in planitiem regionis feliciter eluctatus est, & Dragomerum Valachorum Ducem cum valido exercitu

(3) Idem ibid.

Annus Christi 1371.

citu ad fluvium Boncham nactus, prælioque congressus, ingenti clade profligat, captis per deditionem oppidis plerisque. Sed dum hostem parum caute, & victoriæ recens obtentæ studio ardens, saltus, & nemorum devia petentem consequitur, inextricabili locorum angustia comprehensus, fortitudinis laudem temeritate corrupit. Valachi ex abditissimis silvis, & montium jugis erumpentes, nostros pæne omnes trucidant, paucissimi evasere, reliqui in vincula abstracti. Claudit nuntius Ludovico Bulgariæ partem jam emenso, & ad danubii ripam, ex qua in Valachiam irrumpere constituerat, allatus, stimulos ad maturandam vindictam adjecit. Itaque comparata ad eum usum ingenti classe, & mare navibus imposito, ipse inter primos in adversam ripam, quam confertissimi hostes occuparant, eluctatur, iisque propulsis exercitum nullo accepto incommodo in Valachiam traduxit. Extemplo copiæ Zeurino, principi gentis urbi, admotæ, quam ubi ostentato armorum metu occupasset, adjectisque operibus communitam militari firmasset præsidio, victor in Hungariam revertit. (4)

1372

Exacta hieme, eum novum rursus bellum immineret, Dalmatiam petit, ut consilii rationes, si usus ferret, in propinquo magis expeditas haberet. Franciscus de Carraria Princeps Paduanus, cui cum Ludovico vetus amicitia, & fœderum pacto intercesserat, Venetorum ditiones crebris procursionibus infestabat, causamque bello, spe augendi imperii, prudens volensque obtulit. Veneti, ne eadem opera regem Hungariæ irritarent, Pantaleonem Barbum oratorem ad Ludovicum mittunt, qui de injuriis ab Carraria illatis modeste quereretur, peteretque, ne, si vim vi propulsarent, rex fœdera idcirco violari existimet, quando hostis nulla de causa prior arma admovens necessariam defensionem provocaret. Ludovicus, seu ut ægre faceret Venetis, seu ex pactorum fide se obstrictum crediderat, non modo Oratorem non audit, sed ingenti numero militem Paduano suppetias misit. Ea re malignam sibi apud Principes famam conflavit Ludovicus, quasi quietis impatiens, neglecta fœderum fide bellum ex bello dedita opera sereret. Famæ auctores cum Veneti essent, rex vulgatis litteris se purgavit, causa in Venetos rejecta, qui Paduanum oblatis Feltrio, & Bellunensibus pacem postulantem audire contempserunt. Hinc magis utrinque ad bellum apparatus fiebant, cumque Ludovicus mari quoque minaretur, Michael Delphinus classis Præfectus Dalmatiæ litora observare jussus, ne quid inde periculi immineret, ceteris in Tarvisanam Marchiam, quam Hungari in auxilium missi populatione jam pervagari cœperant toto animo conversis. (5)

Hungarorum auxilia Venetis vincuntur

Paduanus prius, quam Veneti copias coegissent, magnis itineribus in Tarvisanum agrum properabat, ut consociatis Hungaris facilior belli ratio esset. Ad Sacilum uterque exercitus conjungitur, rectaque ad Plavim fluvium, qui ad trahendum bellum multum momenti allaturus videbatur, contendunt. Hic inopinatus casus prælio occasionem dedit. Præerat Venetis Thadæus Justinianus, qui cognito hostes Plavim tendere, ut bonum conatus anteverteret, quanta potuit celeritate usus speculatores præmittit, qui exploratis numero, itaque, quorsum hostes evasuri esset, diligenter referrent. Sed hi dum in Hungaros forte fortuna incidissent, capti ad unum omnes Justiniani consilia metu mortis adacti prodidere. His cognitis Paduanus structa pro tempore & loco acie in nil tale metuentes Venetos, ab itineris contentione vehementer lassos summo impetu fertur, pugnamque init. Consternati primum improviso hostis adventu Veneti recessere, & postea revocato a metu animo atrocissimum prælium ciebatur, fussetque eo die haud improspere ab iis dimicatum, si stipendiarii pares ad pugnam animos attulissent. Horum præpropera fuga proditi ab Hungaro equitatu circumfunduntur, & pæne omnes internecione delentur. Justinianus cum Gerardo de Camino, cum Comite Cenetensi, ac Rizolino de Azzonibus, qui strenuissime rem gesserant, capti, ac Paduam primum, tum in Hungariam ad regem deducti sunt. (6)

(4) Joann. Archidiac. Cap. XXXVIII. (6) Idem ibid.
(5) Dandulus in Chronico ad annum 1372.

Anno Christi 1372. Offensum regem ob amissam a Neapolitano regno Siciliam

Victoriæ nostrum magna lætitiæ significatione Ludovicus acceperat, tametsi hanc res ex Sicilia allatæ non leviter temperarent. Gregorius XI, qui Urbano Pontifici anno priore successerat, Trinacriam insulam Friderico Arragonio ex pacto cum Joanna fœderibus concessit, quæ res Ludovicum, qui nobilissimam provinciam a regno Neapolitano divelli ægre ferebat, ita vehementer commovit, ut missis ad Pontificem oratoribus vetera sua in regnum Neapolitanum jura obtenderet, eamque concessionem irritam declarari postularet. Gregorius ut regem sibi subolentium placaret, aut iras ejus aliorsum flecteret, captata ex Turcas occasione, qui domitis Macedonia, & Achaja pleno victoriæ cursu in Rascios, ac Servios grassabantur, pio eum studio accendere conatus est, ut expeditionem in Turcos apparaet. Scripsit ejus argumenti litteras in hæc verba. (7)

Gregorius - - Ludovico regi Ungariæ illustri.

Placare Pontifex, & in Turcos concitare tentat.

Audi fili Charissime verba patris salubria, audita mature consideres, & considerata studeas adimplere, cum illa tibi suadeant, quidquid honoris & gloriæ, quidquid securitatis & commodi, quidve perpetui præmii valeas adipisci. Dudum siquidem non longe prætextis multiplicati rumores de diversis partibus ad sedem apostolicam perduxerint, quod impii Turci, atroces hostes Christiani nominis, super nonnullas partes Græciæ in gravi multitudine irruentes, subactis quibusdam magnatibus regni Rasciæ, tunc in ea dominantibus, & earundem partium populis professione Christianis, sed tamen schismaticis, & hæresum erroribus depravatis, late terrarum spatia occuparunt, & usque ad tui Ungariæ, & præfatæ Rasciæ regnorum, nec non Albaniæ, & Sclavoniæ confinia pervenerint, & venire ad maritima, & portus obtinere maris Adriatici formidantur, propter quæ timor, & tremor fidelibus partium vicinarum incutitur, & desolationis earum proximum præparatur periculum, ac maris, & terræ conturbatio pertimetur.

Expropter cum ad obviandum sufficienter ingruenti turbini tantæ cladis aliud, quam tuæ prægrandis potentiæ validiorem non videatur remedium, cum præsenti tempore, quo mundus plus solito est positus in maligno, de generali passagio in hac parte nequeat provideri, devotissimam magnificentiam tuam, quæ inter omnes reges Catholicos consuevit esse & persecutrix infidelium, & defensatrix Catholicæ fidei, omni qua possumus affectione precamur, quatenus pie, grateque recognoscens eximiam potentiam tuam ad hoc a Domino tibi datam, ut ea utaris ad defensionem sui populi, quem pretiosissimi cruoris sui spatione redemit, & per hoc de caduco regno secum conscendas æternum, ad retundendam potenter rabiem, & præsumptionem tam crudelem, tamque execrabilis nationis, tanquam Leo fortis, & animosus exurgas, sperteque in dextera regis regum, cui suo fideli populo, quod de ipsis hostibus victoriam reportabis, & a tuis, aliorumque fidelium terminis procul pelles, sicque tui regni, & aliorum fidelium securitati duratura, Deo dante, efficaci remedio providebis, & præter famosi tui nominis adauctum gloriam æternæ regni diademate potieris. Nos enim dilectum filium nobilem virum Ducem Venetiarum, ut tibi, si volueris, de copia navigiorum subveniat, per nostras litteras exortamur, aliosque possibiles favores Apostolicæ sedis magnitudini tuæ offerimus, cum ad hoc intendere volueris, promptis affectibus intendendos. Datum apud Pontem Sorgiæ Avinionensis diœcesis idibus Maji, anno secundo. Non obscure patuit, Pontificem eo curas omnes contulisse, ut Ludovicus, conciliato cum Venetis fœdere, Turcorum progressionibus modum poneret, regem contra, posthabito Gregorii consilio vim omnem in Venetos convertisse, quod quam magno postea Hungariæ detrimento fuerit, futurarum rerum eventu perspicuum fiet.

Illis cum Carolo se Ecclesiis præmissis jussione abdicat.

Sub hæc Carolus Imperator Bohemiæ suæ, ac Silesiæ metuens, Joannem Patriarcham Alexandrinum sedis Apostolicæ Legatum in Hungaria commorantem orabat, ageret apud Ludovicum, ut is nihil molestiæ regnis suis creaturum iri, neque se juris quidquam in eas unquam arrogaturum jurejurando sponderet. Incertum est, quid causæ Imperatorem ad id consilium adduxerit, aut quo timere poterit verum,

ne

(7) RAYNALD. ad annum 1372.

ne Ludovicus Caroli successoribus jura ambigua redderet, quonio possessionis adeundae tenebatur, ex quo conjectura firmari possit, apud neminem scriptorum reperitur: nisi forte Casimiri Poloniae olim regis, ac sui avunculi, ut fere videtur, jura, quae illi in Silesiae Principatus fuere, ab Ludovico suscitatum iri Carolus metuerit. Rex ut Imperatori, quem multis de causis amicum potius, quam hostem malat, timorem eximeret, ex optimatum suorum consilio omnibus juribus concepto solemnibus verbis Sacramento se abdicavit, ac ne quid inde litium aliquando oriretur, publicis quoque litteris testatus est.

*Nos Ludovicus Dei gratia rex Hungariae, Dalmatiae, Poloniae - - Notum facimus universis, quibus interest, vel interesse poterit in futurum, per praesentes: quod ob singularem internae charitatis ardorem, quo serenissimum ac invictissimum Principem & Dominum Dominum Carolum IV. Romani Imperii semper Augustum, & Boemiae Regem illustrem, serenissimam Principem Dominam Elisabeth Romanorum Imperatricem, & Boemiae Reginam sororem nostram, & illustrem ac Magnificum Principem Dominum Wenceslaum Boemiae regem praefati Domini Imperatoris filium, ac illustres Principes, Dominos Joannem, & Jodocum ejus Primogenitum, Marchiones, & Dominos terrae Moraviae fratres nostros charissimos, utrosque plus, & haeredes ipsorum, pio fraternoque sinceritatis zelo complectimur ipsis, animo deliberato, non per errorem, aut improvide, sed maturo Principum Ecclesiasticorum, & saecularium, Comitum, Baronum, & Nobilium nostrorum, fideliumque ad hoc accedente consilio, & ex certa nostra scientia pro nobis, ac serenissima Principe Domina Elisabeth consorte nostra charissima, Hungariae, Poloniae, Dalmatiae - - Regina, nec non haeredibus, haeredum haeredibus, & successoribus nostris Hungariae, Poloniae, Dalmatiae, - - Regibus in perpetuum promisimus, & promittimus bona fide, dolo, & fraudibus quibuslibet procul motis, & sub juramento corporali, quod nos, & praedicta Domina consors nostra charissima regina Hungariae super lignum vivificae Crucis, & super Dei Evangelia in manus Reverendi in Christo Patris Domini Joannis Patriarchae Alexandrini, Apostolicae sedis legati, praestitimus, quod tam nos, quam eadem Domina regina, haeredes, & successores nostri, nunquam nos, vel haeredes nostri, & haeredum haeredes, & successores aspirare debemus, nec volumus ad vendicandum, aut usurpandum nobis, vel ipsis, aut alicui ex nobis Regnum Boemiae, Principatus seu Principes, aut Praelatos Ecclesiasticos, sive saeculares. Et signanter specifice, & expresse ejusdem regni, & Coronae Boemiae, Principes, Principatus, & Ducatus videlicet Wratislaviae, Swidnicae, Jauroensis, Munsterbergensis, Legnicensis, Brigensis, Olsniensis, Glogoviensis, & Crosna, Saganensis, Oppoliensis, Falckenbergensis, Strelitzensis, Tessinensis, Ratiboriensis, & Oppaviae, Kosleensis, Bytomiensis, Uslaviensis, Stinaviae, & Gorricensis, nec non Marchionatus Moraviae, Lusatiae Budissensis, & Gorlicensis, seu alios eorum quoscunque Principatus, Ducatus, terras, homines, Dominia, Civitates, Castra, seu quaslibet pertinentias eorum communiter & divisim in genere, seu in specie, sive in Boemia, Moravia, Silesia, Polonia, Saxonia, Bavaria, Franconia, sive alias ubicunque locorum existant, vel ad vendicandum, seu usurpandum nobis, quascunque vel aliquas eorum metas, granitias, Gades seu terminos aut Jura, libertates, pertinentias, consuetudines, vel observantias, quae, seu quas ad praesens tenent, habent, & possident, seu auctore Domino adepti, habere, tenere, obtinere vel possidere poterunt, aut debebunt, quomodolibet in futurum. Seu etiam quaecunque alia ad ipsos quovis modo spectantia, ubicunque sita, quae non sunt nominatim inclusa praesentibus, etiamsi talia forent, de quibus hic fieri deberet, vel posset mentio specialis. Et in eum casum, si hujusmodi eorum Principes, Principatus, Ducatus, Duces, Comites, Barones, Nobiles, Milites, & Clientes, Cives, Civitates, Oppida, Castra, aut Universitates terrae seu homines, aut eorum aliqui, vel aliqui se voluntarie, seu sponte, libere offerrent, offerre vellent, vel quovis modo deliberarent, subdere, subjicere, vel offerre, quod ex nunc, prout ex tunc, promittimus, & spondemus, pro nobis, & omnibus, & singulis supradictis sub juramento, & fide praestitis, tales vel talem nullatenus assumere, recipere, seu aliquatenus acceptare, quibuscunque adinventionibus, ingeniis, vel colore quaesitis. In cujus rei testimonium praesentes nostrae Majestatis, & ejusdem Domina reginae, consortis nostrae charissimae sigillis authenticis, simplicibus appensione

Annus Christi 1372 — *jussimus communiri. Datum in Wyssegrad in Festo sanctæ Trinitatis anno Domini MCCCLXXII.* *

Veneti prælio superiores Stephanum Transilvanum Vayvodam capiunt

Veneti interea, postquam superiore prælio victi fuissent, Tarvisium summo conatu defendendum accepere, quo salvo frustra hostium conatus erant. Carrara, & Stephanus Transilvaniæ olim Vayvoda, multarum in Italia palmarum Dux, cognito Venetorum consilio urbem, qua occupata tota provincia deditionem factura erat, arctissima obsidione circumdant, magnoque intercluso commeatu, quam vi expugnandam censebant. Gessere urbis præfecturam alternis diebus Gibertus de Corrigia, Leonardus Dandulus, & Petrus Fontana, qui ut militi ex priori pugna meticuloso sensim animos facerent, sæpe ex urbe exiguo numero in nostrorum castra impetum fecere, obortaque velitatione fere victores redibant, quod paucitatem incurrentium Carrara despectui haberet. Id Fontanæ consilium rei periclitandæ suggesserat, ex qua, si hostis priore contemtu uteretur, victoria potiri posset. Itaque eruptionem ex urbe decernit, paucos ad morem priorum dierum in Paduana castra incurrere jubet, ipse cum lectissimo militum robore alia parte inobservatus rem acturum se pollicetur, adstrictis prius jurejurando omnibus, quicunque fugam primus iniret, a proximo Commilitone trucidatum iri, omnesque magnopere rogatos velle, ut se ipsum, si virtutis oblitus terga verteret, eodem mortis genere afficerent. His constitutis, ut jussum erat, erumpunt primi citra ambages facto in castra impetu, & coorta sensim velitatione hostem in pugnam proliciunt. Aliquamdiu dimicatum ancipiti marte est, quoad Tarvisini, ut conventum erat, pedem referrent, Paduanis ac Hungaris acriter fugientium vestigia prementibus. Tum vero Fontana ex insidiis erumpens, ac tergo Hungarorum circumfusus immanem stragem edit, totaque hostium vi aut dissipata, aut capta insigni victoria potitur. In Captivorum numero præter mille Hungaros Stephanus Vayvoda, aliique Proceres, ax Paduanis Bonifacius, & Antonius de Lupis, ac Comes sancti Bonifacii fuere. (8)

1373 Inita pax cum Venetis, & decretum in Turcas sacrum bellum.

Hæc in exitu anni evenerant, quo Turci obtritis Rasciæ, nisi hiems ingruisset, in Hungariam irrupturi ferebantur. Et fama fuit Tartaros in armorum communionem quoque pertractos ex Moldaviæ parte aggressionem tentaturos, cum Turci ad Savum vastitatem circumferre constitutum haberent. Ludovicus eo periculo territus, auctor Paduano fuit, ut quibus conditionibus posset, pacem interea cum Venetis conficeret, ipse per Præpositum Transilvaniensem, & Ungensem Comitem de discrimine Gregorium edocuit, petiitque, ut pro suo in rem Christianam studio propositis indulgentiarum præmiis Christianos ad sacrum bellum excitaret. Dedit Pontifex ad Strigoniensem Archiepiscopum litteras, ex quibus, quo loco Christianorum res tum temporis fuerint, & quam liberaliter regi morem gesserit, cognoscere possimus. (9)

Gregorius - - Archiepiscopo Strigoniensi, ejusque suffraganeis.

Dudum multorum fide dignorum literis, atque relatibus amare didicimus, & nuper Charissimus in Christo filius noster Ludovicus rex Hungariæ illustris per dilectos filios Uratislaum Canonis Præpositum ecclesiæ Transilvanæ, decretorum Doctorem, & nobilem virum Nicolaum Comitem de Ung ambassiatores suos nobis significare curavit, quod infideles impii, Turci vocati, crudelissimi hostes nominis Christiani, & illius persecutores assidui, plus ceteris infidelibus Catholicam fidem, & ipsius cultores persequi, & delere, quod absit, animosis conatibus molientes, a non longis temporibus, præsertim a viginti mensibus citra, amplas terras imperatorum Romaniæ, & Bulgariæ, & regnum Rasciæ, aliasque partes profitentium nomen Christi, quorumtamen Schismaticorum, continuatis hostilitatibus invaserunt, occuparunt, & immaniter destruxerunt, & contra incolas terrarum, & partium earumdem magnas victorias habuerunt, eisdem incolis, aut crudeliter trucidatis, aut in miserabilem captivitatem abductis, aut aliis retentis sub jugo infelicissimæ servitutis non nullis eorum abnegantibus,

* Ex Tom. MS. Hevenyessiano sub lit. D. pag. 89.

(8) Dandulus in Chronico ad cit. annum.

(9) Raynald. ad an. 1373.

tibus, proh dolor, nomen Christi, quodque ex his iidem Turci in tantam ascenderunt superbiam, quod prædictum regnum Rasciæ, & alias partes Christianorum præsumpserunt amplius invadere, ac præsumunt, & ad sua elationis fomentum, & robur, ut probabiliter præsumitur, se se cum Tartaris versus regno Ungariæ ad invadendum ipsum regnum, atque gloriosum, in quo fides Catholica præcipuus noscitur devotione vigere, impetuosis furoribus colligarunt. Propter quæ rex ipse Christianissimus Princeps, & infidelium persecutor magnificus, ut nobis per eosdem ambassiatores notificavit, intendit Deo prævio, cujus fidei causa geritur in hac parte, in persona propria, & cum sua potenti militia, & etiam alia de diversis partibus fideliter procuranda, infra annum ab instante mense Maji computandum, contra eosdem Turcos, & etiam Tartaros, si forte ipsi Tartari contra dictum regnum Ungariæ venire tentaverint, in Christi nomine proficisci, & ipsos persequi juxta posse. Quare idem rex nobis humiliter supplicavit, ut omnes dicti Ungariæ, & Poloniæ, & Dalmatiæ regnorum suorum, & aliarum suarum terrarum, & alii, qui cum ipso ibunt, eo libentius, & promptiores ad dictorum infidelium exterminium proficiscerentur, quo majora præmia, spiritualia videlicet exinde se speraverint adipisci, in dictis suis regnis, & terris, & aliis partibus, de quibus nobis videretur expediens, verbum Crucis prædicari, & venerabile signum, ejus quibusvis fidelibus quarumcumque partium illud suscipere devote volentibus concedi, ipsorumque humeris imponi de benignitate apostolica dignaremur.

Quibus expositis amplissimam prædicandæ Crucis veniam largitur, precesque publicas pro regis salute, & secundo expeditionis eventu indici toto regno jubet. Ad extremum quibus terminis expeditionem comprehendi cupiat, exponit, ac datam Archi-Episcopo potestatem certis finibus definit. *Ceterum* (inquit) *volumus, memoratumque regem hortamur, quod ipsos Turcos usque ad fretum maris, quod est inter Constantinopolim, & insulas archipelagi, & quod a nonnullis brachium sancti Georgii appellatur, posse suo fideliter persequatur. Vobis autem, & ceteris aliis inhibemus, ne crux ipsa prædicetur nisi in dictis regnis, & terris domino præfati regis subjectis, & personis eorum regnorum, & terrarum duntaxat huneris imponatur, præsentibus post triennium ab inceptione profectionis hujusmodi negotii computandum minime valituris. Datum Avinione X Kalendas Aprilis, anno III.* Jussus præterea Archi-Episcopus, prius, litteras quam vulgaret, cum Colocensi Archi-Episcopo, & Episcopo Quinque Ecclesiensi regem sacramento adigere, ut se ad anni extrema copias in Turcos ducturum, neque opes sacras alio-sum, quam in id bellum derivaturum spoponderet. Quod an præstitum a Ludovico sit, incertum est.

Interea Paduanus Princeps, quoniam suppetiarum ex Hungaria spes propemodum nulla fuit, de pace cum Venetis diligenter tractabat, quæ post multa jurgia potius, quam consultationes in conditionibus, quas Veneti dictabant, utrinque coalut. Pactionum capita hæc fere præcipua fuere: Paduanus ad compensandos belli sumtus centum aureorum millia pendat: filiumque mittat Venetias, qui in patris loco erratorum veniam publice ab Duce flagitet. Oriacum Castrum ad Brentæ fluminis ripam sitam funditus convellatur. Denique qui armorum prius fuissent, nunc foederum quoque essent socii. Ludovicus pactionum tabulis usquam insertus fuit, quæ res postea novis rursum turbis, ut narrabimus, occasionem præbuit. (10)

Ad hæc nonnihil illi simultatis anno sequenti cum Gregorio intercesserat, ex quo adeo intepuisse in proposito ferunt, ut consilium Turcos persequendi prorsus negligeret, abjiceretque. Simultatem a decimis sacerdotiorum exortam memorant, quas dum Ludovicus in belli usus poposcisset, Gregorius autem, quod illas ad gerendum cum Bernabote bellum derivare constituerat, aliquanto illiberalius negaret, nomen suum inter foederatos Principes, qui Pontificis consilio classem ad arcendos ex Asia Turcos in Hellesponto sumtibus suis alaerant, pro-

fiteri

Anno Christi 1373.

Constituto inter Venetos, & Paduanum foedere

1374. *Simultas regi cum Papa intercedit ejusque causa.*

(10) DANDULUS in Chronico ad an. 1373.

Annus Christi 1374

fiteri minime voluit. Gregorius, ut Ludovicum, cujus magnum in utramque partem momentum erat, pacaret, his litteris conveniendum censuit. (11)

Ludovico Regi Ungariæ illustri.

Rediens ad præsentiam nostram dilectus filius nobilis vir Joannes Lascari miles Constantinopolitanus, qui dudum cum nostris litteris ad præsentiam tuæ serenitatis accessit, nobis retulit, quod serenitatem eandem ad contribuendum in unione inter Romanam ecclesiam, tuamque celsitudinem, & nonnullos alios Principes, ac Magnates facienda contra Turcos hostes sacri nominis Christiani, & ad contribuendum in certo numero galearum tenendarum continue contra Turcos eosdem dispositam non invenit. De quo miramur non modicum, cum regnum tuum Ungariæ vicinum sit nunc Turcis eisdem, & negotium hujusmodi te, & ipsum regnum non modicum tangere dignoscatur. Quare regalem devotionem, ac magnificentiam precamur attentius, & in Domino exhortamur, quatenus provide considerans, quod alii, qui volunt esse, & contribuere in unione prædicta, te in hac parte deficiente, etiam deficient, quod absit, & sic non facta resistentia Turcis eisdem, ipsi contra fideles poterunt, prout verendum est, nimium prævalere in perditionem innumerabilium animarum, & Catholicæ fidei maximum detrimentum, digneris ob reverentiam Dei, & dictæ fidei, ac tutelam præfati, & aliorum fidelium regnorum, & partium hujusmodi tuum propositum in melius commutare, ac ligari, in unione prædicta, & in illa contribuere condecenter, super hoc nobis tuam piam, & gratiosam responsionem per regias litteras referendo, ut ea habita ad dandum debitum ordinem in hac parte procedere valeamus, prout hæc & alia venerabili fratri nostro Stephano Episcopo Zagrabiensi, & dilecto filio, Nobili viro, Petro Zudar Bano Sclavoniæ ambassiatoribus tuis, latoribus præsentium, verbo duximus exprimenda, ut ea tuæ referant Majestati. Datum Avinione XIII. Kalendas Octobris anno IV.

Mandat Legatis, ut hereditarias provincias a Joanna repetant.

Mandarat Legatis suis Ludovicus, ut Joannæ Neapolitanæ reginæ intentato apud Pontificem judicio, præter Principatum Salernitanum, & Honorem montis S. Angeli, provinciæ Pedemontis, ac Folcalquerii comitatus repeterent: cum a Joanna contenderent, ut, cum liberis careret, se Siculi regni hæredem regio edicto testaretur. Gravissima iis oborta est, quod principatus hos a regno Siculo divelli nefas esset, neque eos, dum pacem cum Joanna sanxisset, Ludovicus tanquam hæreditarios exegerat. Quæ tametsi Legati non inficiarentur, de his tamen omnibus inter regem, & Principes Dyrrachinos, ac Tarentinos, dum Vissegrado liberi in Italiam dimissi sunt, ictis clam foederibus conventum esse asseverabant. Gregorius ne in utramvis partem offenderet, pactionum tabulas, quas ad annum seculi hujus quinquagesimum primum memoravimus vulgandas censuit, ut publico judicio abscura, & intricata caussa illustraretur.

Regni Neapolitani jura in Ludovicum Andegavensem transfert, si aliquam ex filiabus duxerit.

Verum ex nihilo remissius jura sua persequi statuit, & ne ambiguum cuiquam esset, regni Siculi hæreditatem ad se attinere, Legatos in Galliam proficisci jussit, qui, si Ludovicus Andegavensis Caroli regis natu maximus, aliquam ex filiabus regis Hungariæ connubio sibi jungeret, Siciliam dotis nomine pollicerentur. Quorum quidem jam prius mentio facienda erat, sed hic ob narrationis nexum rejicienda arbitrabar. Exstat diploma, quo Legatis amplissimam de spondendo matrimonio, & paciscenda dote potestatem facit. (12)

Dos per tabulas constituta.

Nos Ludovicus Dei gratia Hungariæ, Poloniæ, Dalmatiæ Rex - - Notum facimus universis, quod nos considerantes ad plenum, de discretione, & fidelitate dilectorum, & fidelium nostrorum, Reverendissimi in Christo patris, Domini Stephani, eadem, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopi Ecclesiæ Zagrabiensis, & Magistri viri Domini Petri Zudár regni nostri Sclavoniæ Bani, nec non strenui militis Domini Simonis de Posho, ipsos ad Illustrissimum Principem, Dominum Karolum Franciæ regem Fratrem nostrum karissimum ambassiatores, & nuntios destinavimus, & ad infra scripta Procuratores constituimus, & nuntios speciales, dantes eisdem plenam, & liberam potestatem

(11) RAYNALD. ad annum 1374. (12) Communicavit id mecum Cl. KOLLAR.

Anno Christi 1374.

statem, & speciale mandatum tractandi, promittendi, concordandi, & jurandi, & modis melioribus, quibus poterunt fieri, vallandi, vice & nomine, nostris sponsalia, & matrimonium contrahenda inter illustrem Dominum Lodovicum Franciæ primogenitum præfati karissimi fratris nostri, & alteram de nostris filiabus, Caterinam videlicet, Mariam, & Advigam, illam videlicet de tribus dictis nostris filiabus, quæ nobis videbitur, & placebit, nec non & nos obligandum specialiter, & expresse ipsa sponsalia, & matrimonium contrahi faciendum, & unam de dictis filiabus nostris, ut præmittitur, dandum in sponsam, & uxorem præfato Domino Lodovico, cum pervenerit ad legitimam ætatem, melioribus, & fortioribus pactis, promissionibus, & obligationibus, quibus fieri poterit, & nostris prædictis procuratoribus visum fuerit expedire, dandumque pro nobis in dotem, & ad opus prædicti Matrimonii contrahendi, illi, & dictis filiabus, de qua duxerint, ut superius continetur, pro futuris sponsalibus, & matrimonio cum Domino Lodovico tractandum, & concordandum, & quæ cum ipso contrahet in futurum, regna, terras, & dominia Siciliæ, Neapolitanum, Apuliæ, Calabriæ cum omnibus terris, appendentiis, & pertinentiis ad ipsa, & Principatum Salerni, comitatusque Provinciæ, Falcalquerii, & Pedemontis, & Honorem sancti Angeli, cum omnibus juribus, & pertinentiis eorundem, ac quidquid juris habemus, habere possumus, vel debemus, quocunque titulo, vel causa in præfatis regnis, Principatibus, Comitatibus, & ceteris tenendis, vel habendis pleno jure hæreditario per præfatos Dominum Lodovicum, & Mariam (13) filiam, sponsam ejus futuram, liberosque, & successores ex eis, si Deo placuerit, legitime descendentes sine contradictione quacunque. Volentes insuper, quod præfati ambassiatores nostri, tres filias nostras prædictas, videlicet usque ad ultimam superstitem in casu, quod Deus avertat, quod alias ab humanis decedere contingeret, usquequo promissio sponsalium firmata fuerit, tunc alternative ad nutum, & optionem nostrum, illam, quam voluerimus, fiamus, & manentes adstricti, aptandam, & concedendam, qua promissione firmata, & declarata, super illa, quam præfato Domino Lodovico tradendam duxerimus in uxorem, tunc nobis liceat, & liberi consistamus de reliquis aliis nostris filiabus ad nostrum liberum cum quibuscunque contrahi matrimonium.

Quæ quidem præmissa, & sequentia promittere possint præfati Procuratores nostri, una cum dote, regnis, & terris præfatis, præfato regi fratri nostro prædicto Domino Lodovico, meliori modo, quo fieri poterit, & obligare & habeant plenam, & liberam potestatem & speciale mandatum ad faciendum confederationes, & obligationes in perpetuum, vel ad tempus inter præfatum regem Franciæ, & nos, sua & nostra regna, & subditos, & confederatus generales, & speciales, super recuperatione prædictorum regni Siciliæ, Comitatuum, & terrarum, vel alias, si quid videbitur faciendum & quidquid in præmissis, & circa præmissa, & quolibet præmissorum dependentibus, & connexis fecerint, & tractaverint, ac concordaverint, vel firmaverint, etiamsi majora fierent præmissa, & expressa, & mandatum exigant speciale in animam nostram jurandi, & nos ad ea strictioribus vinculis, & pœnis, obligationibus, & submissionibus, quibus fieri poterit, obligandi, & omnia faciendi, quæ nos in eis, & circa ea possemus facere, si præsentes, & personaliter interessemus, promittentes bona fide, & in verbo regio, & per juramentum nostrum super sancta Dei Evangelia corporaliter præstitum, ea tenere, & fideliter adimplere, nec per nos, nec per alium in contrarium facere, vel venire ratum, & gratum habentes, & perpetuo habituri, quidquid in præmissis, & circa præmissa per prædictos Procuratores nostros factum, concordatum, & tractatum extiterit, vel firmatum fuerit. In quorum testimonium sigillum nostrum præsentibus litteris duximus apprimendum. Datum Budæ sedecimo die mensis Aprilis anno Domini millesimo, tercentesimo, septuagesimo quarto. Quo eventu legatio accepta, aut terminata sit, compertum non habeo. Credibile est, Catharina defuncta, & evocato in Hungariam deinde Sigismundo eum omnem adhæsisse.

S Pari

(13) Non obscure hinc conficitur, Mariam secundo genitam fuisse, quod rex ipse in secunda serie in litteris nominat ordine videatur expressisse, erraroque Polonos Scriptores, cum ante hunc annum Mariam Sigismundo desponsam memorent.

Anno Christi 1374. Polonam aiden Hedwigi filiae haereditarium reddit.

Pari cura Polonum filiabus haereditariam facere Ludovicus constituit. Quam cum per sese invidiae plenam, tum ex pactis conventionum tabulis difficilem ita aggressus est, ut aliud prorsus, quam meditabatur, acturus Polonis videri posset. Legatos ad regni Optimates miserat, qui, ne Casimiro decessore suo inferior potestate videretur, tributum suo nomine flagitarent: sperare se, petitionem aequissimam omnibus probaturum, quando & sua magnopere referret, dignitatem regiam eatenus lucri, & regni interesset praeterea, ne quid, si vis hostium ingruat, quidquam detrimenti penuriae caussa caperet: alioquin non postulaturos Proceres, ut Hungaria aliorum indemnitati suomet periculo, & impendio caveat. Nova, & insolita Polonis visa oratio est, quod haud ita dudum Ludovicus publico edicto gentis libertati cavisset, quam postulato tributo, exaustoque convelli penitus videbant. Itaque oratores suos in Hungariam abire jubent, qui datam Ludovici fidem implorent, agantque, ut regem ad mitiora flectant Casimiri exemplo, qui id tributi genus regno liberaliter condonasset. Difficiliorem se in principio, quam speratum sit, rex praebuerat, quod non ignoraret, tributi pensionem publicis quidem litteris a Casimiro antiquatam, re tamen ipsa, quoad vixit, imperatam, & per Quaestores regio aerario illatam fuisse. Ne tamen summo dominii jure ageret, facile se de sua sententia decessurum Legatis recepit, si Optimates vicissim irritatis, quas prius ad masculam solam prolem contraxerant, pactionum tabulis, regni haereditatem ad filias quoque attinere pollicerentur, suamque voluntatem novis conventionibus data publica fide confirmarent. Legati relata ad suos re, & magnopere in utramvis partem agitata, Procerum, ac regni nomine tum interposito successorum vadimonio Hedwigem, alteram Ludovici filiam regni haeredem se accepturos spopondere, ac fidem re ipsa, ut in loco narrabimus, praestitere (a)

1375. Et Wilhelmo Austriae Duci desponsat.

Ludovicus tam prona Optimatum in se voluntate utendum ratus, quo certiorem regni possessionem Hedwigi faceret, Wilhelmum Leopoldi Austriae Ducis filium, juvenem & ingenio, & vultu liberalem, cum natura ipsa ad regendum egregie comparatum, in Hungariam bona patris venia accitum filiae solenni ritu desponsat, confectisque pro more tabulis ita utrinque conventum est, ut Ludovicus, si sponsionem irritam redderet, CC. florenorum millia, Leopoldus totidem, cum primis Hedwigis sponso in manus converteret, se soluturos reciperent. Atque abhinc Wilhelmus in aula Ludovici educatus castos Hedwigis amores virtutum ope, & singulari de Hungaris bene merendi studio sibi conciliavit. Quae res quam magnas olim Jagelloni Lithuano in concliandis nuptiis molestias conferent, ubi res, & tempus nos monuerit, exequemur (b)

Ad ferendam contra Turcas opem a Papa urgetur.

Dum hunc in modum filiarum commodo Ludovicus studet, Turci prolatis in dies victoriis ad immanem potentiam excreverant. Dragesis Mysiorum rex in Amuratis potestatem devenit: Bogdanus, qui Rhodopen imperio tenebat, barbari imperia, & exercitum sequi jussus, quodque omnium minime ferendum videbatur, Emanuel Joannis Palaeologi filius, Amuratis favores pluribus officiis eblanditus, Ducem se ad redigendos in servitutem Graecos praebuit. Palaeologus praesentissimo periculo consternatus ad Pontificem recurrit, orabatque ut regem Hungariae ad auxilia, quae pollicitus esset, submittenda quam posset, gravius adhortaretur, conclamatum de Christianis esse, nisi opem celerrime ferret, aut ostentato armorum metu, Amuratem a prosequendis victoriis cohiberet. Gregorius fortem Imperatoris miseratus sine mora ad Ludovicum litteras dedit, quibus vehementer obtestatur, ne Graecos, qui omnem salutis spem in ejus potentia collocassent, in extremo discrimine tam immani hosti proderet, qui terra marique tam late grassetur, ut ni tempestive occurrat, Siciliae ingens quoque periculum incumbat. Quo opinor satis aperte innuit, jura, quae rex in Siciliam praetenderat, non sibi penitus improbari, alioquin nihil caussae fuit, cur illum ad tuendam eam provinciam in primis exhortaretur. Sic vero litterae habent. (14)

Chr-

(a) DLUGOSS. Hist. Polon. Lib. X.
(b) Idem ibid. diploma de ea re ad annum 1385 proferemus.

(14) RAYNALD. ad annum 1375.

Annus Christi 1375

Charissimo in Christo filio Ludovico, regi Ungariæ illustri

Significavit nobis nuper charissimus in Christo filius noster Joannes Imperator Græcorum illustris, quod licet olim, dum ipsi tecum fuit in tuo regno, a te contra impios Turcas tuæ potentiæ auxilium postulaverit, tuaque devota magnificentia sibi ob reverentiam Dei, & Catholicæ fidei benigne responderit quod si ipse ad obedientiam Romanæ rediret Ecclesiæ, sibi hujusmodi auxilium exhiberet, & post hæc idem Imperator ad urbem personaliter accesserit, & eidem obedientiam præfatam solemniter etiam cum proprio juramento, secundum quod felicis recordationis Urbanus Papa V voluit, & mandavit, promiserit, & ex tunc a te instanter petierit auxilium prælibatum, illud tamen adhuc obtinere nequivit. Quare cum, sicut præfata significatio subjungebat, licet idem Imperator, & Civitas Constantinopolitana treugam habeant cum Turcis eisdem, tamen in magno sint periculo constituti, supplicaveritque nobis instanter Imperator præfatus, ut pro dicto auxilio per modum utilem erga te, & ipsum tractandum, sibi præbendo partes nostras apud serenitatem eandem interponere dignaremur, nos de certitudine dicti periculi non solum pro parte præfati Imperatoris, sed ab aliis informati, & illud accidere in maximum detrimentum Christianitatis, & specialiter regnorum tuorum, & etiam regni Siciliæ merito formidantes, eandem magnificentiam excitamus, & rogamus attentius, quatenus periculum præfatum pie considerans, etiam si nulla oblatio regia præcesserit, aut facta, aliter impleri non debeat, tamen ob reverentiam Dei, & dictæ Christianitatis tutelam brachium tuæ potentiæ, qua uti debes in servitium regis regum, qui illam tibi tribuit, contra eosdem Turcas, & pro defensione præfatorum Imperatoris, & Civitatis extendas, ut per hoc eisdem -- subvenias, & ipsos Turcos longius progreditur ad tuos fines accedere non permittas.

Speramus siquidem fili charissime, quod Clerus, & Cives jam dictæ Civitatis humanitatem tuam pro ipsorum liberatione magnificatam certius comprobantes, edicto ipsorum damnato schismate ad gremium ejusdem Ecclesiæ promptius revertentur; super quo nuper ad eos quatuor nostros nuntios ducimus destinandos, & credimus ex gratia Dei materiam ad hoc esse dispositam. Nam, ut fide digno relatu percepimus, in quadam disputatione per quosdam fratres Ordinis prædicatorum, quos ad conversionem infidelium orientis transmisimus, cum Prælatis, Doctoribus, & Calogeris Græcorum in mense Octobris proxime præterito facta in Civitate prædicta, per eosdem fratres obtenta victoria veritatis, non nulli ex eisdem Prælatis, Doctoribus, & Calogeris ad rectam fidem sunt divina miseratione conversi, & ad dictum gremium redierunt, nobisque super conservando statu eorum in dicto gremio humiles literas destinarunt. Datum Avinione V Kalendas Februarii anno V.

Ludovicus tamen, incertum ex quo capite, suppetias Palæologo mittere tergiversabatur, nisi forte Polonorum simultates caussam præbuerint, ut neglectis exterorum rebus, sua curaret. Poloni enim, cum absentis regis, muliebrisque imperii eos pœnitere cœpisset, Uladislaum cognomento Album, ac Cujaviæ olim Ducem, tum vero institutum D. Benedicti Divione sectantem, ad capessendum regnum accersiverant, quod nemo eo propinquior Uladislao & Casimiro regibus esse videretur. Atque is, ut erat levis, inconstantisque animi, facile in spem, & cupiditatem potiundi regni adductus Pontificem Avinione adierat, ut soluta votorum religione principatum, ad quem communi Optimatum suffragio vocaretur, adire sibi liceret. Repulsam passus in Poloniam proficiscitur, conflataque promiscue concurrentium hominum turma aliquot arces, & oppida partim vi, partim deditione occupat, civesque in verba sua jurare cogit. Hæc cum Ludovico per Sendivojum majoris Poloniæ Præfectum nuntiata fuissent, facile Regem a persequendis Turcis ad proprias ditiones tuendas reflexere (15)

Impeditur turbis in Polonia exortis

Neque tamen Pontifex regem hortari ad sacrum bellum destitit, præsertim, quod crebris nuntiis intellexisset, Joannem Palæologum jam illo redactum esse,

Instat iterum Pontifex ut in Turcas moveat.

(15) Cromerus rer Polonic. Lib. XII.

Anno Christi 1375. esse, ut Amurati vectigal quotannis pendere cogeretur. Quae res cum Christiano nomini in primis turpissimam maculam allineret; & Gregorius ingenti numero classem ad refrenandos praeterea Turcos comparasset, missis Legatis regem majorem in modum orabat, ut exercitum in barbaros ducere ne intermitteret, ita facile futurum, ut terra marique coarctatus hostis, aut internecione deleri possit, aut metu apparatus bellici territus in Asiam revolet. Addidit quoque litteras per Legatos deferendas, ex quibus & patrandae rei modum, & mentem suam intelligeret. (16)

Charissimo in Christo filio Ludovico regi Ungariae illustri.

Meminimus fili charissime, quod dudum devota magnificentia, defensioni, & ampliationi Catholicae fidei, & impugnationi fuorum hostium anhelanter aspirans, & specialiter adversus Turcos saevos hostes nominis Christiani magnifice intendens procedere, litteras super praedicatione crucis facienda in tuis regnis, a nobis per tuos nuntios impetravit. Sed audivimus, quod adhuc, nescimus ex quibus causis, dicta praedicatio non est facta, nec contra Turcos eosdem tuum regalem exercitum direxisti. Credimus tamen quod non sine magna causa hoc bonum distuleris, & quod ad id efficiendum pro tempore tua devotio perseveret. Et propterea notificamus magnitudini tuae, quod dudum a pluribus fide dignis audito, quod iidem Turci adversus Christianos, licet Strifmatico, nimium praevalebant, & quod Imperator Graecorum nimis oppressus a Turcis eisdem, omnique auxilio destitutus, factus erat eis tributarius, & cum ipsis certam concordiam, & colligationem inierat, quae admodum periculosa Christicolis reddebatur, non considerantis, quia de infidelium concordia confidendum non erat, & quod Civitas Constantinopolitana asserebatur, prout erat, nimium esse in magno perditionis periculo constituta, qua perdita, quod Deus avertat, omnes aliae terrae fidelium ultra marinarum perditae reputabuntur, prout reputantur. Ad inquirendam de eis veritatem, & ad confortandum Imperatorem praefatum, suosque subditos, & ad offerendum eis subsidium gentis armigerae, & galearum, per certos fideles ablatarum pro ipso negotio, ac insuper, & principaliter ad exquirendum ab eis, si ad obedientiam, & unitatem sanctae Catholicae & Apostolicae Ecclesiae redire volebant, quod tamquam maximum bonum plenis desideriis affectamus, quatuor providos nuntios nostros anno praeterito duximus destinandos. Qui nuper reversi sunt, & periculum dictae Civitatis, & debilitatem potentiae Imperatoris praefati, aliaque Christianitatis pericula, exinde proventura indubie nobis certius retulerunt; propter quae nonnullas gentes armigeras de fratribus hospitalis S. Joannis Jerosolymitani, & de aliis fidelibus in bono numero, & quam plures galeas, ut praemittitur, nobis oblatas, & alias per nostram Cameram stipendiarias, si tuum, & aliorum fidelium, ut speramus, tribuantur auxilia, quam cito fieri poterit, intendimus destinare, & super obedientia, & reconciliatione Graecorum tale habemus responsum, quod si eis competens mittatur succursus, contentamur exinde.

Quare pietatem, & magnificentiam regiam ex parte Dei, cujus fidei negotium agitur in hac parte, instanter requirimus, & cordialissime deprecamur, quatenus ad conterendos, seu expellendos Turcos, qui sunt in Romania, vel aliis partibus ultra mare, utique tuo regno satis vicinis, ut dicitur, illum regalem exercitum, quem olim contra dictos Turcos deliberaveras mittere, vel saltem minorem ad beneplacitum tuum, quam cito poteris, destinare digneris. Speramus enim in brachio virtutis Dei, quod iidem Turci, ut nobis asseritur ab informatis de talibus, sic inter tuum, & alterum aliorum fidelium, qui erunt ex parte maris exercitus confringerentur, quod sperata victoria habebitur de eisdem. Super quibus, & aliis dependentibus, tuo culmini latius exponendis, dilectis filiis Bonaventura de Padua, Ordinis Eremitarum S. Augustini, magistro in Theologia, & Hessoni Praeceptori de Friburgh hospitalis ejusdem, Apostolicae Sedis nuntiis, latoribus praesentium de his plenius informatis, velis fidem plenariam adhibere. Datum Avinione VI. Kalendas Novembris, anno V.

Sapi-

(16) Raynald. ad annum 1375.

Sapiens, & instaurandis rebus opportunum plane consilium, nisi Deus altissimo suo judicio humanas rationes, tametsi ad propositum, & tempus egregie comparatas, perturbasset: quod fere, cum regnorum conversiones ex occultis mortalium sapientiae caussis designat, evenire usu compertum est. Ad haec sua quoque Ludovico momenta fuere, quo minus curas, bellumque in Turcos converteret. Nam & vetera in Siciliam jura, si Joanna, quae ob decrepitam aetatem gignendis liberis jam impar erat, improlis decederet, armis repeti oportere arbitratus est, & Polonia intestino bello flagrans vehementer sollicitum habuit.

Annus Christi 1375. Frustra tamen est, partim Dei permissione.

Uladislaus enim, quem superiore anno in Poloniam delatum, ac tyrannidem arripuisse narravimus, aucta in dies potentia ingentem ex oppressis, & facinorosis hominibus exercitum conflavit, ut jam non privatis solum arcibus, quas interceperat, sese contueretur, sed in apertum quoque campum prodire, praedasque agere minime vereretur. Sendivojus Poloniae majoris Praefectus, ut malo tempestive occurreret, Jascum, qui Siradiensi provinciae praeerat, adjungendam militem accersit, cum quo in Uladislaum profectus, conserto ad Gneucoviam urbem praelio, omnem eam agrestium multitudinem facile dissipat, fugatque. Uladislaus aegre trajecto Vistula in Zlotoriensem arcem cum paucis evasit. Victores, ne belli fax, caputque elaberetur, verum, arcem obsidione circumdant, hostemque quamquam diu defensionem strenue, neque pro monacho, quem professus erat, ingenio adornasset, inedia deditionem facere coactum in Hungariam ad Ludovicum misere. Acceptus a rege, praeter quam commeruerit liberaliter, factaque eorum, quae in se commisisset venia, opulenta ut nonnulli scribunt, S. Martini montis Pannoniae Abbatia donatus est. (17)

1376. Partim ob Polonorum turbas.

Pacatam Poloniam haud multo post Elisabetha, tametsi parum auspicata fortuna, revisit. Lithuani enim coactis ex Russia quoque copiis in Poloniam irrupere, ac percurso magna celeritate Lublinensi tractu, quidquid in Sendomiriensi provincia ad Sanum, & Vistulam fluvios erat, populationibus, ac incendiis pervagati, nullque hostile passi, ingentem hominum, rerumque praedam abduxere. Cladis caussam non obscure in Elisabetham Cromerus rejicit, quod, dum hostes impune per Poloniam grassarentur, ipsa intemperantius, quam Reginam decuerit, choreis indulgeret. Rectene id, an contra alii existiment, mihi, quod apud neminem Scriptorum hoc vitio, cum juvenis adhuc esset, atque illius aetatis, quae ejusmodi oblectamento mirum in modum capitur, notatam fuisse reperio, haud facile videtur creditu, temperantissimam ceteroquin mulierem, & octogenariam huc intemperantiae delabi potuisse. Quidvis sit, Elisabetha post cladem, & obortum Cracoviae inter Hungaros, ac Polonos jurgium, in quo centum & sexaginta illorum caesos perhibent, seu a filio revocata, seu sponte in Hungariam redit. (18)

Elisabetha in Poloniam redit.

Cromeri de ea cavillatio.

Haec inter Ludovicus viam ad recuperandum Siciliae regnum complanare nitebatur, quam cum a Venetis obstrui posse non ignoraret, foedera adversum hos cum Patriarcha Aquilejensi pactus est, quibus praeter Forojulienses Marquardus Goritiae Comes, ac Franciscus Paduanus accessere. Conditiones, per quas mutuo sibi vinculo obstringerentur, publicis tabulis in hunc modum complexi sunt. (19)

Ludovicus nova adversus Venetos foedera paciscitur.

Ludovicus Dei gratia Hungariae, Poloniae, Dalmatiae, Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriae, Bulgariae, Comaniaeque rex, Princeps Salernitanus, & Honoris montis S. Angeli Dominus. Notum facimus universis praesentes has inspecturis, quod tanto celebrius fama nostra praeminens Culmen nostro regalis serenitas non dubitet ampliare, quanto praedecessorum nostrorum notabili ritu, & praecipue nostri Excellentissimi genitoris ecclesiarum causas, & commoda, in quibus nostrae Christianissimae religionis potentissima vis consistit, amplioribus nititur favoribus confovere, & regalibus munificentiis praemunire. Sane ad sanctam Aquilejensem ecclesiam multorum amulorum pate

(17) Cromerus rer. Polon. Lib. XIII. Et Tinon in Epit. Chronol. ad hunc annum.

(18) Cromerus ibid.

(19) Apud Muratorium Tom. III. Antiquit. Italiae.

Annus Christi 1376

tre discordia ministrante retroactis temporibus oppressionibus lassitam, eiqus pastores, & incolæ universi ad culmina nostri augmentum, innatas devotiones, fidelem animum habuerant, mentis nostræ serenitatis aciem dirigentes, modis & conventionibus infra scriptis, more filiorum, hæredum, & successorum nostrorum in regno, & ipsius regni nostri una voce cum magistris nostris, & regni nostri Prælatis, & Baronibus, de eorumque consensu, scitu, & voluntate, ac matura deliberatione, & de certa scientia, & infra annota se, successores, filios, & hæredes, & bona omnia, vice etiam, & nomine dictorum regni obligationibus, cum eorum juramentis, & sigillis inferius denotatis recepimus, & nunc reverendissimum in Christo patrem, Dominum Marquardum Patriarcham Aquilegiensem, & ipsius successores, & sanctam Ecclesiam Aquilegiensem, Prælatos, Capitula, & successores suos, & Communitates Forojuliensis Civitates, terras, castra, & territoria jam dicti Patriarchatus, & dictorum Prælatorum, Capitulorum, Nobilium, & Communitatum prædictarum, quos, quæ, & quod ad præsens tenent, & possident, & in futurum acquirent, seu ad eos devenerint, sub nostra filiorum, hæredum, & successorum nostrorum, nec non regni nostri Prælatorum, & Baronum ipsius, protectione, & defensione plena, & gratuita. Et ipsas terras castra, & Civitates præscriptas, & territorium præscriptum defendere promittimus, quibus supra, nominibus, manu tenere, defendere, & conservare, contra & adversus quoscunque Principes, Duces, Comites, Barones, ac Dominos, & quascunque Communitates, ad requisitionem ipsius Patriarchæ, & successorum suorum, & majoris partis sui consilii, parlamenti, & sede patriarchali vacante, ad requisitionem vice Domini, & Capituli Aquilegiensis, & majoris partis consilii, parlamenti, excepto videlicet contra Papam, & suos successores, & Imperatorem, & successores Imperii.

Quibus Paduanus quoque comprehendit

Insuper volumus, & decernimus, quod Magnificus Dominus Franciscus de Carraria, Dominus Paduæ quem nunc pro nostro, & regni nostri Colligato declaramus, obliget se, & bona sua nobis, filiis, hæredibus, & successoribus nostris, & regno nostro, Prælatis, & principalioribus Baronibus regni nostri, ad nostræ serenitatis, hæredum, & successorum nostrorum, & regni nostri mandatum facere guerram in territorio suo, & in partibus circumstantibus apud territorium ipsius, contra inimicos dicti Patriarchæ, & successorum suorum, & patriarchatus, & Ecclesiæ Aquilegiensis, & patriæ fori Julii. Versa vice ipse Dominus Patriarcha pro se, Ecclesia Aquilegiensi, & patriarchatu suo, & successoribus suis, Prælatis & Capitulis dicti patriarchatus, pro se, & successoribus suis, & Communitates patriarchatus prædicti sub fide ipsorum, & cum eorum juramentis, & cum obligationibus bonorum suorum, prout ipsorum - - - - & privilegiis Celsitudini nostræ porrectis, & eorum Communitatibus super iis confectis, plenius inde patet, erunt, & sint de cetero cum Celsitudine nostra, filiis, hæredibus, successoribus nostris, & cum regno nostro, & Baronibus dicti regni, & hæredibus, & successoribus eorum, & cum ipso Domino de Padua Colligato nostro, & hæredibus suis, in quibuscunque bellis, guerris, & inimicitiis, & discordiis contra, & adversus quoscunque Principes, Duces, Comites, Marchiones, Barones, & Dominos, & quascunque Communitates, ad petitionem, & mandatum nostræ serenitatis, filiorum hæredum, & successorum nostrorum, & dicti regni in patria fori Julii, & in territorio patriarchatus Aquilegiensis, & in partibus circumstantibus apud dictam patriam fori Julii, & territorium dicti patriarchatus, faciendo, & exeundo contra inimicos de civitatibus, locis, terris, castris, passibus, & fortalitiis dicti patriarchatus, excepto videlicet contra Papam, & successores ipsius, & Imperatorem, & successores Imperii, quantum est pro facto Ecclesiæ Romanæ, & Imperii tantum. Excepto quoque contra Duces Austriæ, durantibus treugis præsentibus inter ipsum Dominum Patriarcham Aquilegiensem, & prædictos Duces, & contra solam personam Marquardi Comitis Goritiæ, claudentibus etiam passus, & stratas fori Julii, & territorii patriarchatus ad petitionem, & mandatum Celsitudinis nostræ, filiorum, hæredum, & successorum nostrorum tempore guerrarum contra quoscunque, contra quos esset guerra. Quod etiam faciet, & facere permittet, & claudere serenitas nostra versa vice, ac etiam facient nostri filii, hæredes, & successores, ac regnum nostrum ad requisitionem dicti Patriarchæ, & successorum suorum, & sede vacante ad requisitionem dicti - - patriarchatus Aquilegiensis, & ipsius Capituli. Et ad serenitatis nostræ mandatum, & filiorum, hæredum, & successorum, ac regni simili-

ter

Annus Christi 1376. Fœderis Conditiones

ter faciat, & claudat strata, & passus suos, & claudere tenebantur dictus Dominus Paduanus noster Colligatus, filii, & hæredes sui.

Vult insuper nostra Majestas, quod si contingeret durantibus præsentibus conventionibus, ut acquireretur aliqua Castra, terræ, villæ, aut civitates per nos, filios, & hæredes nostros, ac successores, & regnum nostrorum, & partes prædictas, videlicet, dictos Patriarcham, & successores suos, Prælatos, Nobiles, hæredes, & successores suos, & Communitates fori Julii, & Dominum Paduæ præscriptum, filios, & hæredes suos, communiter, vel divisim, & illa Castra, terræ, villæ, aut Civitates spectarent, & pertinerent, seu retro actis temporibus quovis modo pertinuissent ad patriarchatum, Aquilegiensem de jure, quod deberent esse dicti patriarchatus, & remanere dicto patriarchatui. Si vero non spectarent, nec pertinerent, seu retro actis temporibus quovis modo non pertinuissent ad patriarchatum prædictum de jure acquirendo, Communitates per partes dividantur secundum determinationem nostrorum hæredum filiorum, & successorum nostrorum, & dicti regni nostri. Si vero acquirerentur per aliquam partium, sint, & esse debeant acquirentis, & quod captivi, & bona mobilia sint capientium. Non possit insuper dictus Dominus Patriarcha, & successores sui in patriarchatu, & Prælati, & successores eorumdictis patriarchatus, & nobiles, hæredes, & successores sui dictæ patriæ fori Julii, & Communitates patriarchatus, nec debeant incipere novam guerram, nisi ad defensionem, & offensionem contra occupare volentes manu armata, vel alio modo illicito, & manifesto aliqua castra, terras, & civitates dicti patriarchatus, quæ ad præsens tenentur, & possidentur per dictos patriarchatum, Prælatos, Nobiles, & Communitates, & in futurum quovis modo acquirentur per eos, ac etiam ad defensionem, & offensionem contra invadere volentes manu armata, vel alio modo illicito, & manifeste territorium dicti patriarchatus. Et dictus Patriarcha, & sui successores in Patriarchatu, & Prælati, & successores eorum, Nobiles, hæredes, & successores eorum, & Communitates dicti patriarchatus non sint, nec possint facere pacem, aut treugas de aliqua guerra, in qua nostra Majestas, filii, & hæredes, ac successores nostri, & regnum nostrum debeat esse, & fuerint cum eis, sine consensu expresso nostri, filiorum, hæredum, & successorum nostrorum, nos insuper, filii, hæredes, & successores nostri, & regnum nostrum possimus, & possint, & valeant facere pacem, aut treugas sine consensu & voluntate dictorum Patriarchæ, & successorum suorum, & dictorum Prælatorum, & successorum suorum, Nobilium, hæredum, & successorum suorum, & Communitatum prædictarum, dummodo nostra serenitas, filii, hæredes, & successores nostri, & regnum nostrum includant in pace, aut treugis dictum Patriarcham, & successores suos, Prælatos, & Capitula, & successores suos Nobiles, hæredes, & successores suos, & Communitates patriarchatus, & Ecclesiam Aquilegiensem, & in casu prædicto nostra Majestas, filii, & hæredes, & successores nostri, & ipsum regnum non possint facere pacem, aut treugas sine consensu, & voluntate prædictorum, nisi constituantur in eo statu, in quo erant tempore guerræ inceptæ. Et si prædictus Dominus Patriarcha, & successores sui, Nobiles, hæredes, & successores sui, & Communitates prædictæ, durante dicta guerra, acquisivissent, aliquod, quod de jure spectaret, & pertineret seu retro actis temporibus pertinuissent ad patriarchatum Aquilegiensem, quod illud acquisitum tempore guerræ, per pacem, aut treugas faciendas per nos, filios, hæredes, & successores nostros, & dictum regnum non teneatur restituere.

Optimatum nominibus firmata.

Quas quidem conventiones, & omnia supra dicta vult, & decrevit nostra Majestas firmas esse, ac duraturas usque ad annos quinquaginta proxime futuros. Nos Dei gratia Joannes Strigoniensis, Stephanus Colocensis Archiepiscopi. Demetrius Zagrabiensis, Ladislaus Vesprimiensis, Michael Agriensis, Emericus Varadiensis, Petrus Jauriensis, & Dominicus Boznensis Ecclesiarum Episcopi, Prælati supra dicti regni. Nicolaus de Gara Palatinus, Ladislaus Vayvoda Transilvaniæ, Petrus Zudar Sclavoniæ, Joannes Treutel Zevriensis, Joannes Machoviensis Bani, Comes Jacobus Judex Curiæ regis, Gregorius Bebek Tavernicorum, Gregorius Zudar Curiæ regis, & Pincernarum, Paulus de Deserto Dapiferorum, Michael Zudar Janitorum regalium Magistri, Franco Comes Supruniensis, Joannes Ostl Comes Zagrabiensis, & Tomelnus Comes de sancto Georgio (20), Barones regni Hungariæ principa-

(20) Nomina fere erronee erant expressa, reduxi ad fidem aliorum diplomatum.

Annus Christi 1376.

capaciores pro nobis, successoribus, heredibus, & filiis nostris, ac vice & nomine totius regni Hungariæ sub fide nostra, & cum obligationibus bonorum nostrorum, & dicti regni, jurantes corporaliter ad sancta Dei evangelia promittimus, & nos, successores, heredes, & filios nostros, & dictum regnum, ac bona nostra, successorum nostrorum, heredum, ac filiorum, & regni prædicti obligamus fideliter attendere, observare, & in omnibus adimplere protectionem, & omnes conventiones factas, & promissa superius per gloriosissimum, & invictissimum Dominum nostrum, Dominum Ludovicum, excellentissimum Regem Hungariæ &c. Reverendissimo in Christo patri, Domino Marquardo Dei gratia sanctæ sedis Aquilegensis Patriarchæ, & ipsius successoribus Prælatis, & capitulo patriarchatus Aquilegensis, & eorum successoribus, Nobilibus fori Julii, heredibus, & successoribus eorum, nec non Communitatibus patriarchatus Aquilegensis. Et ea omnia durante termino in ipsis protectione, & conventionibus per ipsum Dominum nostrum regem appositis rata & grata habere, & inviolabiliter observare juxta supra dictarum litterarum dicti Domini regis continentiam, & tenorem. Præsentes etenim ipsius Domini regis & nostras litteras sigillis ipsius Domini regis, ac nostris communitas damus in testimonium præmissorum. Datum in Visegrad die XXI mensis Junii, anno MCCCLXXVI.

1377. In Lithuanos movet.

Hactenus conventionum tabulæ, in quibus quamquam Veneti nuspiam diserte in hostium numero comprehenduntur, tamen nobis perspicuum fit, præcipue designatos esse, quos bello petere constituisset. Sed eam destinationem Lithuanorum in Poloniam procursiones, Georgii, ac Belsensium Ducis defectio intercepere: ad quos domandos, postquam Polonis subsidia imperasset, ac ut sibi ad Sendomirium præstolarentur, jussisset, ipse non multo post tempore cum ingenti Hungarorum manu, transmisso Carpatho, illuc adfuit, habitoque conventu & copiis recensitis, partem exercitus Sendivojo, ut Chelmensem agrum ab hostibus perpurgaret, credidit, reliquum militem rex suo auspicio ad Belsum obsidendum adduxit. Ac Sendivojus quidem secunda usus fortuna brevi Chelmensem provinciam aut ejecto, aut profligato hoste in ditionem redegit, tum ad regem Belsum adhuc obsidentem reversus est. Erat enim ea arx, & loci natura, & operibus militaribus permunita: itaque ut suorum cruori parceret, Ludovicus fame præsidiarios ad faciendam deditionem compellere decreverat. Sed ab eo proposito Kestutus Lithuanorum Dux, qui ex hoste pacificator in castra venerat, regem facile amovit, & in has conditiones fœdus utrinque conciliavit. Georgius Dux regis fidei sese, ac Belsum urbem dederet, Lithuani contra captivos omnes, quos ex Polonia abegissent, restituerent. (1) Confecta in has leges pace, Russiam Hungarico jam asserue, ac Ladislao Opuliæ Duci (2), quem Poloniæ Gubernatorem quoque constituerat, regendam commisit: quamquam Bonfinius (3), Russiæ in varias Dynastias distributæ, Emericum Episcopum Agriensem, Gregorium Zadar cum fratribus, Emericum Bebekum, ac Joannem Zapolzum a rege præfectos fuisse scribat; quod mihi ob Zapolzeorum nomen, quod in litteris Ludovicianis, quas quidem viderim, nuspiam locum habent, haud satis tutum videtur, neque Emericum, sed Michaelem Episcopum hac ætate Agriensibus præfuisse, ex instrumento anni superioris compertum fit.

Quibus domitis Tyrnaviam profectus, Mariam Sigismundo Wenceslai filio despondet.

Ludovicus pacatis Lithuanis in Hungariam, qua parte Scepusiensis ager montibus Carpathicis a Polonia discriminatur, revertit, Tyrnaviamque invisit. Convenere illic jam antea Ludovici mater, & Caroli Imperatoris Conjux, utraque Elisabetha, ut de nuptiis inter Sigismundum Caroli natu minimum, ac Mariam regis filiam conciliandis agerent. Habito colloquio magna utriusque lætitia sponsio confectis Tabulis celebratur, transactionem Carolo & Ludovico ratam habentibus. Extractis aliquot inter familiarem consuetudinem diebus, Sigismundus in Hungariam deducitur, ut in aula a teneris educatus sermonem Hungaricum, & usum militiæ perdisceret, quorum alterum ad conciliandum gentis amorem, alterum ad firmandam rempublicam permultum momenti allaturum videbatur. (4)

Re-

(1) CROMERUS rer. Polon. Lib. XIII.
(2) Alii Apuliæ Ducem sed male scribunt.
(3) Dec. II. Lib. X.
(4) DUBRAVIUS Hist. Bohem. Lib. XXII.

Annus Christi 1378. Bella adversum Venetos initia.

Rebus in hunc modum constitutis Oratores ab Liguribus accepit, qui, si rex non abnueret, armorum societatem adversus Venetos polliciti sunt, remque mari interea acturos, cum ceteri foederatorum terra infesti ingruerent, spondebant. Idem Anconitanos optare, quibus Venetorum dominatus, quem in Adriatico exercerent, intolerabilis videretur. Commodum accidit, ut Veneti commeatum filiis Pagensis per Adriaticum vetarent. Id Ludovicus graviter ferens, tum oratorum persuasus rationibus, ac maxime domitis Venetis in spem recuperandi facilius regni Neapolitani adductus, oblatam armorum societatem cupide arripuit, suis se partibus non defuturum pollicitus, si Ligures vicissim non oscitanter consilia sua, operasque collaturi essent. Quae cum illi facturos in se reciperent, affirmarentque classem jam in promptu habere, quae primo quovis tempore Tyrrhenum mare emensa in Adriaticum sinum incursura esset, bellum in Venetos decretum est, monitique Aquilejensis Patriarcha, & Paduani, ut ex pactorum fide bello initium darent, se regni Palatinum cum auxiliaris proxime missurum, cujus arbitrio, & consilio armorum rationes administrarentur (5) Simul foedera, quae ante biennium pepigerant per Italiam vulgata. primusque omnium fuit Franciscus Carrarius, qui misso in urbem feciali regis, ac foederatorum nomine bellum Venetis indiceret.

Haud fe-tix auspi-cato.

Illi animadversa hostium, qui tantarum opum essent, conspiratione, animos nequaquam demisere; munitisque summa celeritate oppidis, quae in continenti habebant, curas omnes ad comparandam classem, quod in ea maximum conficiendi feliciter belli momentum situm esse viderent, converterunt. Tum vocato, sed frustra, in societatem rege Arragonum, Pisanum classis Praefectum mari Tyrrheno immittunt, ut Ligures prius, quam ceteris se conjungerent, aggrederetur. Id si ex sententia caderet, liber illis, tutusque per Adriaticum commeatus erat, & maritima Dalmatiae oppida praesidiis nudata traducendi in hosticum belli spem haud parvam faciebant. Pisanus secundis ventis usus non multo post tempore, quam portu solvisset, Ligurum triremes, Dalmatiae subsidio properantes, ad Antium promontorium nactus, praelium conserit. Praeerat Liguribus Ludovicus Fliscus, qui cum navium copia inferior esset, neque hostem tam propinquum crederet, & inopino casu, & numero Venetorum victus, ac cum sex triremibus captus est, reliquae in portum subductae periculum evasere (6)

Veneti occupatis nonnullis Dalmatiae oppidis ad Jadram adhaerent.

Pisanus quanquam victoria potitus esset, ob acceptum tamen in praelio damnum fugientes persequi destitit, ac in Aegeum secedens reparata classe in Dalmatiae litora invehitur, primoque impetu Catharum, Sibenicum, Arbamque partim vi, partim deditione capit, tum Jadram vela faciens, portum acerrime oppugnat. Verum Cives, qui aditum omnes probe communierant, & lectissimum quemque militem defendendis moenibus imposuerant, irritum eatenus Pisani laborem fecere. Is nihil eo apparatu territus in oppugnandi studio perstitit, &, quod capta Jadra omnes hostium conatus frustra futuros intelligeret, tanto acrius destinationem suam, nullo tamen fructu, urgebat. Haec inter Ligures instaurata, auctaque classe Traguriensem portum incolumes tenuere. quae res Pisani rationes vehementer conturbavit. Itaque soluta Jadrensi obsidione recta Tragurium contendit, ut Ligures aut ad pugnam proboceret, aut, si id detrectarent, interclusos, & exitu prohibitos a ferenda foederatis ope, cujus causa venerant, prohiberet. Est Traguriinus portus duobus ostiis, altero ad orientem, altero ad occasum patens, & opposita insulae adversus vim, & maris injurias egregie comparatus. Maximum tamen in insula robur, & momentum, qua capta nec tuta navibus sit statio omnisque defensio urbi inutilis. Id Ligures, cum primum portum subierunt, conspicati, insulam firmissima operum militarium structura, & compaginatione ita munierant, ut omnes hostis impetus se propulsaturos considerent.

Tum ad Tragurium.

(5) Dandulus in Chron. Et notae marginales in Codice Ambrosiano apud Muratorium Tomo XII. Scriptor rer. Ital.

(6) Idem Dandulus in Chronico.

Anno Christi 1378

derent. Neque spe sua aut ingenio frustratos eventu comprobatum est. Veneti enim cum frustra utrumque obsum tentassent, exposito in continentem milite urbem oppugnare aggrediuntur. at conatus illi omnino irriti fuere. Pisanus non solum urbe non est potitus, sed ingenti cum caede a Liguribus ad naves repulsus, soluta obsidione ad oppugnandam rursus Jadram cum classe redit. Neque hic tamen feliciore fortuna usus, urbem assidendo magis sollicitabat, quam premebat: ad extremum cum inopia commeatus laborare coepisset, neque spes esset, ut res frumentaria ab urbe suppeditaretur, & Croatorum equitum turmae indies confluerent, solutis anchoris Venetias revertit. (7)

1379. Maritimo praelio vincuntur

Hac ingruente jam hieme, neque satis prospere, nec fortiter gesta; proximo vere majoribus utrinque studiis mari, terraque ad bellum, sed non pari fortuna, utrinque provolatum. Ligures, qui curatis per hiberna corporibus, acceptoque navium, militumque supplemento animos sumsere, primi omnium litora maris Adriatici oberrantes hostem ad praelium deposcebant, quem, ubi ad Polam Istriae oppidum naves reparare comperere, astu militari ad pugnam elicere decreverant. Erat Ligurum classis ex tribus, ac viginti triremibus conflata, cui Lucianus Auria, nauticae artis, ac militiae expertissimus imperitabat. Hic occultatis, quas acceperat, sappetus, decem naves succedere portui jubet, ac simulata aggressione excensionem tentare, quasi urbem ex continente adoriri vellent, tum, si Veneti ad vim arcendam portu solverent, pugnam eminus auspicarentur, ac, si res sese daret, conversis pedetentim velis hostem in insidias pellicerent. Res ex sententia evenit. Veneti navium paucitate ad spem victoriae elati, classem XVIII. triremium ex portu educunt, & citatissimo cursu Ligures persequuntur. Hi per intervalla obnixi, timoris speciem Venetis primum objecere, quoad parum cautos in insidiarum locum adduxissent: hic conversis proris pugnam ingenti studio exorsi, reliquis spatium fecere, ut Venetos indagine circumvenirent. Acre oborum praelium est, sed Pisano classis Praefecto tam infausticatum, ut amissis XIV. triremibus, reliquas aegre periculo subducens, tristissimum cladis nuntium Venetias referret. Cecidit eo praelio Auria Praefectus classis Ligusticae, cui haud multo post Petrus ejusdem nominis suffectus, & nova supplementa adferens, LII. triremes, & XL. Dalmatarum lembos in Venetos eduxit, rectaque in Istriam delatus, eamque hostilem in modum depopulatus, Gradum incendit, & Clodiam Carnorum ope intercepit. Inde communicatis cum Paduano consiliis, Clugiam aggressi, pari celeritate XVI. Augusti occupant, fuissetque eo die de Venetorum urbe conclamatum, si Ligures Paduani consilium, ut urbem ex maritima parte infestarent, secuti fuissent. Inde turris Babarum, caput aggeris, Mathematicum & finitima Venetis oppida, in Ligurum, & Paduanorum potestatem concessere. (8)

Neque felicius in continente res gerunt

Pari eventu res in continente gesta est, cum primum Ludovicus Carolum, cui a pace cognomentum erat, cum decem equitum Hungarorum millibus auxilio foederatis submisit. Erat Carolus Ludovici Dyrrachini, qui contra Tarentinum, & Joannam partes Hungarorum acerrime tuebatur, filius, Hungarico regi sanguinis vinculo copulatus. Eum Ludovicus, postquam pater captus, & in carcerem a Joanna detrusus fuisset, in Hungariam evocarat, &, quamdiu prole caruit, in spem regni, & successionis educabat; postea vero conversis rationibus, ad regnum Neapolitanum evehere meditabatur. Atque hunc in finem cum Hungarorum auxiliaris ad occupandum regnum hoc anno in Italiam misit, ea conditione prius jure jurando obstrictum, ut Hungariam, aut Poloniam unquam captaret, & foederatis in Italia Principibus adversum Venetos subsidio esset. Sed quem in modum datam Ludovico fidem servarit, cum ad Mariae res narrandas ventum fuerit, perspicuum fiet. Is ut primum per Carnos in forum Julii advenerat, consociatis sibi Aquilejensibus, ac Paduanis castra ad Tarvisium posuit. Inde finitima loca aggressus, urbem S. Laurentii expugnat, tum Castrum Romanum pari felicitate in potestatem redigit. Tam frequentes victoriae Vene-

tos

(7) Idem ibid.

(8) Idem ibid.

tos ad petendam pacem impulere, missique propterea ad Carolum primi ordinis viri, Nicolaus, & Michael Mauroceni, Jacobus de Priolis, Zacharias Contarenus, & Joannes Gradonicus, qui bello finem, quam possent honestis conditionibus facerent. Audiit fuat a Carolo, visque conditiones, quantumvis arduas, non respuere: sed ubi res in communem cum Paduanis, & Genuensibus consultationem adducta fuisset, neque his de fœderum pactionibus satis amice conveniri posset, ad Ludovicum in Hungariam abire jubentur, ut illhic responsa peterent. (9) Hic cum pro dignitate ab rege accepti fuissent, difficultates opinione majores reperere, quod Ludovicus conditiones & parum decoras, & opere ipso molestissimas præscriberet. Cujus modi fuerint, unus duntaxat Mauroceaus memoriæ consignavit in hæc verba (10) *Quod in platea S. Marci solemnioribus diebus fissis vexillum regis Hungariæ erigeretur. Pro expensis quinque mille ducati solverentur statis temporibus. Electio Ducis a rege confirmaretur. Solverent regi annuum tributum quinquaginta millia ducatorum. Sane, qui his alias quoque adjiciunt Sigilli Venetorum inscriptio, qua se dominos maris dicebant, tolleretur. Res mobiles mutuo captæ remanebunt, & captivi cum fide remitterentur. Arx Venetorum Tenedi tolleretur, & nostri populo eam habere liceret, ad Tanaimque flumen incremonis prohibita tenebunt. Hist. Zagrab. pag. 137.* Quæ cum ardua, & Veneto præterea nomini probrosa admodum viderentur, omnis fœderum tractatio in annum exitu discussa est. Quid regem huc adduxerit, ut tam duras Venetis conditiones dictaret, exploratum non habeo.

Annus Christi 1379.

Retinuit sequenti quoque anno haud satis æquum in illos animum, seu quod res sociorum oscitantia parum prospere caderent, seu quod ex matris Elisabethæ obitu mœrore tabens, minus tantisper ad rem publicam idoneus videretur. Adduxerat hactenus vitam probissima mulier, temperantiæ, pietatis, ac munificentiæ laude in res sacras præ ceteris insignis, cujus monumentum prius, quam extremum diem ageret, prorsus singulare ad posteros exstare voluit, cui, quod incredibile religionis studium, quo adversus Deum, resque divinas ferebatur, cum exquisita probitate junctum complectitur, non nullum in annalibus locum tribuere, opere pretium esse putavimus. (a)

1380. Elisabetha Ludovici matris mors.

In nomine Domini Amen. Nos Elisabeth Dei gratia regina Hungariæ, Poloniæ, Dalmatiæ &c. omnibus Christi fidelibus præsens scriptum intuentibus, volumus fieri manifestum. Quod nos hujus mundi varietatis sortem tenentes, Divina inspiratione, mente sana, deliberationeque salutifera, sperantes visionaves, & indubie tenentes, per nostram voluntariam dispositionem, salutiferam a supremo creatore inter ceteros Christicolas nostræ animæ salutem adipisci, tale facimus, & condidimus testamentum. Primo, & principaliter sepulturam eligimus in capella Corporis Christi in claustro Beatæ Virginis de veteri Buda, in quo religiosæ Dominæ Deo jugiter famulentur, quodque per Dominum regem, & nos est exstructum, habita. Item altari Beati Ducis Emerici de Alba Regali villam nostram Bezi nuncupatam Reginalem, immobiliter per nostras manus constructam donavimus, totamque totam animæ nostræ ipsi Domino regi, filio nostro, & reginæ ejus consorti salubriter procurandam commisimus. Quorum etiam salubri regimini, & dispositioni claustrum præfatum Beatæ Virginis... Ipsi autem Domino regi unum de auro puro, ex una parte aquilam, & ex alia regni Hungariæ signa habens poculum, per Dominum Sanctissimum reginam Siciliæ nobis datum, tertium vero imaginem Beati Ladislai regis in se continens, ac duas tappas aureas, & unam lingam diaconis auream puram, pretiosis Lapidibus, & perlis decoratam, & reliquias sanctorum, quas habemus, exceptis uno plenario per sanctum Lucam Evangelistam manibus propriis depicto, & reliquiis ipsis claustro B. Virginis, & aliis Ecclesiis mediantibus literis nostris distribuendas legamus. Item jam dictæ Dominæ filiæ nostræ castrum veteris Budæ cum suis pertinentiis, unam tappam auream, unum plenarium, imaginem Beatæ Virginis habens in superiori parte auro, & inferiori argento tectum, & unum Breviarium, in quo legimus, legamus. Item ingenuas virgi-

Ejus testamentum.

(9) Idem ibid.
(10) Hist. Venet. Lib. XIV. pag. 299.
Annal. Reg. Hung. Pars III.

(a) P. Nic. Schmitt Part. I. Episcop. Agriensium.

Anno Christi 1380.

gioribus, neptibus nostris, Dominæ scilicet Mariæ unum crinale aureum decem fereus, habens duas aureas aquilas, unum monile, & unum sertum aureum sub peplo ferens. Ac Dominæ Hedwigi unum crinale illud ornatum, & unum monile similiter pretiosis gemmis, & lapidibus decoratum. Item filiæ regis Poloniæ defuncti Casimiri unum crinale (b) *Item Dominus rex filius noster charissimus, suis litteris mediantibus eligere nobis annuit septem millia florenorum auri, de viginti millibus florenorum pro nostris redditibus per eum nostræ Majestati ordinatis de quibuscunque redditibus tunc recipiantur de quibus legamus, ut omnibus nostris debitoribus, quibus literis mediantibus debitrices remanserimus, vel qui per testimonium evidens, & fidele nos debitrices et fore probaverint, satisfaciant: & pro exequiis nostris tempore sepulturæ nostræ quingentos florenos auri de eisdem debeant assignare. Postea pro sepultura vendam inclytæ Elisabeth Imperatricis Constantinopolitanæ, neptis nostræ charissimæ duo millia florenorum auri* (c) *Item Honorabili viro, Domino Joanni Præposito Budensi quadringentos, ac Jakob militi trecentos, ac Ladislao pro juvene aulæ nostræ ducentos florenos auri. Pro expensis eorum, qui ad suscipiendam ipsam Dominam neptem nostram transire debeant, ac pro sepultura ejusdem decem petias purpuræ, vel de camisia aurea, & commune, si in domo nostra remanserint, sin autem, de ipsa pecunia comparetur, legamus*

Item Dominæ Claræ de Pohor villam nostram Derst nuncupatam prope Verace habitam emptitam. Item unum currum mobilem cum sex equis, cum frenis. Item valorem, seu pretium quadraginta marcarum argenti, & unum Breviarium nostrum legamus, eo modo, quod usque ad vitam suam horas suas legat in eodem, suumque post decessum claustro Beatæ Virginis relinquatur. Item confessori nostro quinquaginta florenos, ac Dominæ Margarethæ manenti in domo nostra existenti similiter quinquaginta florenos. Item filiæ Stephani filii Gyurck quinquaginta florenos. Dominabus autem, & puellis in domo nostra commoranter Hungaris, & Polonis mille florenos auri, & universa ornamenta ipsius domus nostræ communia, videlicet tapetia, culcitras, indumenta, & alia clenodia in eadem remanentia legamus. Item unum ornamentum sacerdotale de Atlas flavi coloris cum suis pertinentiis, perlis ornatum, ad tempus exitus nostræ animæ præparatum in claustro Beatæ Virginis de præfata vetere Buda, cum uno calice aureo minori, prout calicem eodem dudum datum, nunc habitum. Item de vasis nostris argenteis quinquaginta marcas ponderantibus, portentur cum corpore nostro, quæ similiter ipsi claustro legamus. Item ad opus claustri Beatæ Virginis de Lampeckhaza quingentos florenos auri, & unam casulam cum suis pertinentiis, perlis decoratam, in dicto claustro de veteri Buda Beatæ Virginis habitam, cum uno calice argenteo deaurato quinque marcas ponderante, unum thuribulum argenteum, & duas nuces argenteas in processione supra velum gestatas. Item ad opus claustri de Aracha, si vita nobis Comite perfici non poterit, quingentos florenos auri, unam casulam de Atlas flavo cum suis pertinentiis, perlis ornatam, duas nuces argenteas in processione super velum gestatas, & duas ampullas argenteas in superiori capella nostra habitas. Item juvenibus, & servitoribus aulæ nostræ, honores & salaria specialia non habentibus, mille florenos auri, & equos nostros ac essiores, exceptis duodecim equis, quorum sex cum nostro funere ducantur, & sex, quos Dominæ Claræ commisimus. Item unicuique ordinum Beatorum Dominici, Francisci, & Augustini confessorum in toto regno Hungariæ existentium trecentos florenos, & fratribus eremitis unicuique ejusdem regni communiter ducentos florenos, ac fratribus Carmelitarum sub castro Budensi de novo congregatis centum florenos.

Item

(b) Reor aut Annam, aut Hedwigem fuisse, quas Casimirus ex Hedwige Henrici Glogoviensium Ducis filia genuerat. Nam has Elisabetha defuncto Casimiro in Hungariam abduxit, &, ne potentes maritos fortitæ Polonum perturbarent, Annam Wilhelmo Ciliæ Comiti, Hedwigem Romero Duci collocavit.

(c) Vehementer ambigo, quæ hæc Elisabetha fuerit: forte non aberrarim, si Elisabetham, quam Stephanus Ludovici frater ex Margaretha genuit, existimarem: quæ tametsi Alberto Austriaco desponsa fuerit, nubere tamen Græcorum Imperatori poterat.

Anno Christi 1380.

Item ad opus Ecclesiæ Beati Petri Apostoli de veteri Buda florenos trecentos, & religiosis Dominabus sanctimonialibus de insula Leporum florenos centum, ac claustro S. Ludovici de Lippa unum calicem aureum perlis, & gemmis ornatum, in superiori capella habitum legamus. Et si ad præmissa omnia pecunias promptas non habuerimus, quibus pluries carere propter varias expensas nostras dignoscimur, tunc hujusmodi nostra vota, & dispositio testamentaria compleatur cum vasis nostris argenteis effective, quorum vasorum quantitas ponderata ad præsens existens in nostra thesauraria se extendit ad septingentas, & quindecim marcas argenti, & tandem vasa alia, quæ remanebunt, eidem Domino regi relinquantur. Item Barones, milites, juvenes, & familiares nostros universos ipsi Domino regi, dominas autem, & puellas cunctas domus nostræ ipsi Dominæ reginæ, filiæ nostræ committimus fovendos, dirigendos pie, & conservandas per eosdem. Item petimus ipsum Dominum regem, nostrum filium amantissimum, imo eidem committimus, ut provisores nostros quoslibet, in quibuscunque nostris provinciis constitutos, specialiter thesaurarios nostros, ad oblocutionem, & sinistram informationem quorumcunque impedire, vel molestare non velit, eo, quod experientia per altissimum nobis concessa scivimus, quid fuit faciendum, & quos ex nostris familiaribus in officio nostro quocunque constituimus, quia fidelia, & grata nobis exhibuerunt servitia. Non etiam ipse Dominus rex honores eorundem nostrorum familiarium, qui meruerint, ab iisdem velit auferre. Alias litteras nostris super nostra testamentaria dispositione quasi præmissis temporibus præteritis concessas & emanatas cassamus, & annullamus, vigoribusque earundem carentes. Relinquimus enim executorem hujusmodi testamenti nostri dictum dominum reginam, Reverendissimum in Christo Patrem Dominum Demetrium, sanctorum quatuor Coronatorum Presbyterum Cardinalem, sanctæque Strigoniensis Ecclesiæ Gubernatorem, & venerabilem in Christo Patrem Dominum Ladislaum Episcopum Varadiensem, Joannem Præpositum Budensem, & prædictam Dominam Claram, nec non Magnificos Nicolaum Simbo Thesaurarium Domini regis, filii nostri Charissimi, & alterum Nicolaum filium Pauli de Swbor pariter Comanorum custodem constituimus, omnes ut ipsi simul, aut quatuor, vel tres ex ipsis aliis absentibus plenam potestatem habeant, præmissa exequendi. Quia autem Magister Michael literatus, Thesaurarius noster de vasis nostris argenteis, & aliis nostris negotiis certius est informatus, ideo idem Magister Michael juxta mandatum, & commissionem ipsorum nostrorum executorum, præmissam nostram testamentariam dispositionem procurare, & disponere debeat, & teneatur effective. In quorum testimonium præsentes concessimus litteras nostras duplices, & authentici sigilli nostri munimine roboratas. Sub forma autem pendentiarum litterarum nostrarum duo paria jussimus emanari, quarum unum in domo nostra reservamus, aliud vero ipsis religiosis Dominabus de veteri Buda relinquimus propter cautelam majorem conservanda. Datum Budæ sexto die mensis Aprilis Anno Domini MCCCLXXX.
Hæc tametsi minuta non nullis videbuntur, omittenda tamen non erant, ut Elisabethæ famam adversus paucorum scriptorum dicacitatem tueremur.

Quo successu bellum terra marique gestum sit

Ludovicus mitigato sensim luctu, animum ad res bellicas revocans, fœderatis, cum quibus in Venetos conspiraverat, ad instaurandos armorum apparatus stimulum, & calcar adjecit. Ex his omnium primi Ligures occupatis Metamauco, & Popilia, ut Venetis terrorem propius inferrent, portam Clodiæ invecti, cives ingenti metu consternarunt, veritos, ne intercluso commeatu media urbe occuparetur. Sed ea Ligurum audacia, an temeritas, ex qua extremum Venetis discrimen immittere putabatur, urbi postea saluti fuit. Pisanus enim, & Carolus Zeno classis Venetæ Præfecti, ubi intellexere, in quas se Ligures angustias parum cauti conjecissent, contractis celeriter navibus portum Clodiæ obsederunt, & detrectata pugna, fame ad deditionem obsessos compellere decreverant. Sero Ligures, quam malo loco res essent, cognorant, missisque Genuam, & ad Carrarium Paduanum nuntiis, opem, & suppetias implorant. Paduanus, quod vi parum se videret profecturum, ad solitas artes conversus, pacem se cum Venetis maturum pollicetur, si interceptos Ligures salvos ex portu emitterent: at illi, quo Paduanus evadere vellet, haud ignari, nullam se de fœderibus ineundis mentionem fieri passuros diserte affirmabant, nisi Classis Ligu-

Anno Christi 1380.

fisca eorum arbitrio se dederet. Ea machinatio cum frustra fuisset, placuit vi & armis socios ex periculo liberare. Commodum Casparus Spinola cum XL triremibus Genua suis in subsidium Jaderam appulerat, ubi conflata ex XXXVI. Dalmatarum navibus classe, ad liberandos socios portum Clodiæ petiere, multisque diebus Venetam classem eminus prætervecti ostentato armorum metu, occlusis arctissime Liguribus spatium & modum evadendi facere nitebantur. Sed cum Veneti neque locum, quem ceperant, desererent, neque, si pugnæ copiam offerrent, abnuere viderentur, Spinolæ autem neque tantum animi, nec copiarum esset, ut prælium sine discrimine auderet conferere, re infecta Dalmatiam repetit. Quæ res Liguribus fame propemodum enectis omnem salutis spem ademit. Itaque mense Junio Classiarii, quorum quinque millia fuere una cum navibus in Venetorum potestatem venere. (11)

Spes pacis oborta

Victoriæ fama cum per Italiam vulgaretur, ut Venetorum amicos mirum in modum recreaverat, ita fœderatos Principes vehementer consternavit, qui nisi Venetorum potentia mari coerceretur, parum, aut nihil reliqua ad belli summam profectura intelligerent. Accedebat Marquardi Patriarchæ Aquilejensis mors, quo defuncto civium studia magnopere refrixerant, & Leopoldus Austriæ Dux non temnendo numero subsidia propediem adducturus ferebatur, quodque omnium præcipuum fuit, Carolus Dyrrachinus, quem Ludovicus cum maximo militum Hungarorum robore adversum Venetos miserat, pulcherrimam rei gerendæ occasionem turpi avaritia corrupit. Cum enim Tarvisium urbem obsidione premeret, & spes esset haud levis, inedia captum iri, præter omnes belli rationes, invitisque vehementer Hungariæ Proceribus, quos in exercitu habuerat, depacta auri summa commeatum & annonam importari permisit. (12) Ea oscitantia, aut perfidia, nam quo nomine compellem non habeo, collapsas Venetorum res rursum erexit, spemque præbuit, si non profligandi belli, certe pacis honestis conditionibus ineundæ.

1381 Comitis Sabaudiæ opera conlecta, & quibus conditionibus?

Ad quam, cum res prospere caderent, plerique fœderati animum haud gravate adjecerant, præsertim, quod Amadeus Comes Sabaudiæ arbitri partes insecepisset. Itaque Legati ab omnibus Taurinum missi, qui Principum suorum nomine paciscerentur. Ab Ludovico Valentinus Quinque Ecclesiensis, & Paulus Zagrabiensis Episcopi adfuere, quibus post multiplices, ac molestas consultationes tandem in has conditiones cum Venetis convenerat. Hungaro ab Istriæ, & Riminensi promontoriis nec flumina, quæ in Venetorum ditione sunt, navibus ingredi fas sit, nec merces invehere. Venetus contra Dalmatiæ portus, qui eatenus obsepti essent, subire ne ausit, nisi data utrinque venia, & fide, nihil hostile tentaturos. Ad hæc Veneti septem quotannis aureorum millia Ludovico penderent. Catarum urbs in pristinam fortunam restitueretur. si quid sumtuum a Venetis in munitiones interea profusum fuisset, id Pauli de Georgio Jadrensis Patritii judicio æstimatum iri, neque regem invitum fore, si illius arbitrio sumtuum rationes ex pendendis septem aureorum millibus æquarint, compensarintve. Hæc publicis tabulis Taurini inserta, & XVI. Augusti firmata sunt. (13) Memorant nonnulli (14) Legatos in mandatis habuisse, ut pacem ne inirent, nisi Veneti pollicerentur, se corpus D. Pauli Eremitæ donum regi daturos. Eam ob causam Venetias Taurino delatos bona Ducis, & Senatus gratia sacras exuvias impetrasse, ac, postquam Budam pervenissent, in sacello primum regio arcis Budensis conditas, tum in monasterio eremitarum tituli S. Laurentii supra Budam posito, ingenti regis lætitia, & concurrentium frequentia honorificentissime collocatas esse. Ita bellum haud sine pro eo, ac apparatum erat finem accepit.

Carolus Dyrrachinus Romam profectus rex Siciliæ creatur

Interea, dum de pace inter fœderatos Taurini ageretur, Carolus Dyrrachinus a Proceribus crebris nuntiis invitatus, ad capessendum Siciliæ regnum studia omnia contulit. Ducebat præter decem Hungarorum millia haud partum

Ger-

(11) Idem ibid.
(12) Idem ibid.
(13) Idem ibid. & CAROLEVS apud Lucium Lib. V. Cap. I.
(14) Relatio de translatione S. Pauli primi eremitæ in hist. Zagrab. pag. 138.

Germanorum copiam, quos, ubi a Venetis confecta pace exauctorati fuissent, largo stipendio conduxerat: exercitus praefecturam Joannes Banus Sclavoniae, & Gianottus Salernitanus gessere, viri, & consiliis prompti, & magnam a militari scientia laudem consequuti. His Ducibus Ariminum magnis itineribus perventum est; ubi dum tantisper quietem militi Carolus indulget, adsunt ab Aretinis Legati, qui eum, ne in Tusciam ad sedandas civiles discordias venire gravaretur, orabant, eique urbis imperium concessere. Florentini, ne molesto & ambiguo bello sese implicare cogerentur, quadraginta aureorum nummum millibus impunitatem redemere, quae auri summa in Joannem Banum collata magnas olim, tristesque in Hungaria turbas dabit. Inde Romam ad Urbanum Pontificem contendit, a quo in senatorum ordinem primum cooptatus, tum corona redimitus Siciliae, ac Hierosolymorum rex magna populi acclamatione salutatur. Nova dignitas novos Carolo animos adjecit, abjectaque omni mora Neapolim regni sedem acceleratis itineribus profectionem adornat. (15)

Anno Christi 1381.

Erant res Neapoli ad trahendum, aut propulsandum bellum optime constitutae. Joanna, quae Ottoni Brunsvicensium Duci jam quartum nupserat, cum coronatum Romae Carolum audisset, neque ad arcendam vim, si hostis ingrueret, satis virium haberet, Ludovicum Andegavensem regis Galliarum natu alterum in filium cooptarat, ut eum spe regni ad ferendam sibi opem magis incitaret. Cives ac Optimatum plerique Carolo studebant: exteri, militesque, quos ex Germania stipendiis acciverat, Ottonem sectabantur. Ita comparatis in urbe rebus, Carolus cum exercitu celerius, quam existimatum fit, ad Neapolim constitit, & non tam obsidioni, quam expugnationi animum fecit. Cum enim Otto hostis consilia in principio irrita reddere, & porta urbis egressus dimicare vellet, Carolus a civibus vocatus, per alteram portam maximo populi applausu in urbem recipitur; & sine mora novam arcem, in quam se Joanna contulerat, obsidet, urgetque usque adeo, ut neque egredi, nec ingredi cuiquam integrum esset. Otto vero cum se exclusum, ac proditum cerneret, urbem foris oppugnabat, dumque ad praestitutum diem vi irrumpere conaretur, Carolus divisis bifariam copiis duabus portis egressus, & hostem utrinque adortus, acerrimum pro moenibus praelium conserit, quod dum Otto virtute sua bene multas horas sustinuisset, ad extremum equo excussus, captus, & Carolo traditus est. Joanna, ubi infelix praelium, & captum maritum comperisset, victoris arbitrio se, arcemque dedidit, quam ille honesto Comitatu in alium locum traductam a fidissimis suorum custodiri jussit. (16)

Neapolim obsidet, Joannam, & Ottonem capit.

Occupata Neapoli ad communiendam urbem, portumque curas omnes Carolus intenderat, ne terra marique quidquam ad propulsandos hostium conatus desiderari posset. Jam enim Ludovicus Andegavensis, quem in filium, & regni spem a Joanna cooptatum narravimus, universae Galliae, & Clementis, qui Urbano Pontifici a nonnullis oppositus erat, auctoritate quibusque adjutus triginta, aut, ut alii scribunt, quinquaginta millium exercitum in Italiam adducere ferebatur. Quo nuntio territus Carolus, sibi, regnoque metuens literas ad Ludovicum Hungariae regem dedit, quibus, quae anno superiore, & quam feliciter gesta essent, prolixe significat, habere se immortales regi gratias, quod se tam liberaliter adjutum esset. Ludovicum quidem Andegavensem magnis fultum clientelis, & copiis appropinquare, a quo tametsi ingens sibi periculum conflari videat, facile id tamen dissipatum iri, si rex nova sibi ex Hungaria supplementa mittat, atque se majorem in modum orare, ut, quando occupati regni gloriam Hungarorum virtuti debeat, conservati quoque laudem illis possit tribuere.

1382. Opem & auxilia a Ludovico flagitat.

Ludovicus ob tam secunda rerum initia mirifice delectatus, Carolum, quem in filii loco paene habuerat, omni ope juvare constituit. Sed cum morbo, ex quo non convaluit, implicitus esset, Elisabethae conjugi, ut eam rem quam posset, naviter curaret, praecepit. Illa, quae suapte Carolo quoque studuerat, con-

Ea de causa Elisabetham reginam ad Dalmatas mittit.

(15) Scipio MAZZELLA in vitis regum Neapolit. Et Pandulfus COLLENUTIUS Hist. Neapolit. Lib. V.

(16) COLLENUTIUS loco cit.

Annus Christi 1382.

continuo ad Dalmatas scripsit, ut militem, navesque in promptu haberent, ne quid, si profecto indiceretur, in mora esset. (17)

Elisabeth Dei gratia Hungariae, Poloniae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galitiae, Lodomeriae, Comaniae, Bulgariaeque regina fidelibus suis universis, & singulis, Rectoribus, Judicibus, Consiliis Civitatum, & locorum Jadrae, Ragusii, Sibenici, Tragurii, Spalati, Cathari, & insularum Lesinae, & Braciae, Arbi, & Kersi, ceterisque Communitatibus regni nostri Dalmatiae salutem, & gratiam. Quoniam pro cujusdam arduo executione negotii, honorem serenissimi Domini nostri regis, ac nostram concernentis potentiam maritimam, sine qua illud perfectionem assumere non valet, oportet experiri, Fidelitatibus vestris strictissime praecipiendo mandamus, quatenus mox visis praesentibus, omnes galeas, parascermas, brigentinos, & quodlibet aliud genus classis, quod sit aptum bellis aequoreis, sicut etiam magnificus vir, fidelis noster dilectus, Dominus Emericus Bebek, regnorum nostrorum Dalmatiae, & Croatiae Banus, vobis nostro regali verbo firmiter mandabit, armare debeatis, & sic ordinari facere, ut homines necessarios pro his classibus armandis disponere si taliter mandare, quatenus, quotiescunque habitam post praesentium notitiam, ad requisitionem fidelis nostri Domini Stephani Bani praetacti, sine aliqua mora ipsi possit cum navigiis hujusmodi armatis, & perfecte praeparatis ad locum, quem idem Dominus Banus ordinabit, maritimum iter feliciter arripere. Scientes, quod si qui vestrum nostris temerario praesentibus non paruerit omni cum effectu, regiam, & nostram indignationem subire, & nihilominus tales mandatorum neglectores supplicio debita poena corrigemus. Datum Vissegrad XXIII mensis Aprilis, anno Domini MCCCLXXXII V. Indictione.

Ludovicus curvis litteris Dalmatas ad ferendam Carolo opem hortatur

Neque multo post Ludovicus, qui interea Zolium Scepusii oppidum Polonis comitia indixerat, ut Sigismundum cum Maria filia ab obitu suo Poloniae haeredes constitueret; quorsum hi apparatus spectarent, datis ad Dalmatas litteris in hunc modum significavit (18) *Ludovicus - - fidelibus suis, Magnifico viro Emerico Bebek, regnorum Dalmatiae, & Croatiae Bano, item Rectoribus, Consiliis, & Communitatibus civitatum, ac insularum Dalmatiarum, quibus expedit, salutem, & gratiam. Quia sentimus adversus serenissimum Principem Dominum Carolum, Jerusalem, & Siciliae regem illustrem, fratrem nostrum carissimum, & ejus regna non modicam gentium armigerarum potentiam debere hostiliter advenire, ipsumque fratrem nostrum non valemus salvo honore permittere inauditum, fidelitatem igitur vestram requirimus, eaque damus in mandatis, quatenus mox, habita praesentium notitia, vos cum galeis, navigiis, & aliis exercitus necessariis adeo vobis disponere, & munire studeatis, ut, dum tempus opportunum advenerit, in subsidium ipsius fratris nostri dilecti, morae dispendio amputata egredi, & proficisci valeatis, in quo nobis grate complacere. Datum Zolii in festo sancti Philippi, & Jacobi Apostolorum anno Domini MCCCLXXXII.*

Joanna simili morte, qua Andreas olim, necatur

Carolus interea rerum suarum utcunque satagebat, &, Ottone ex conditione dimisso, ut extra regni fines discederet, quid Joanna se facere oporteat, cum suis deliberabat: metus enim erat, feminam dominationis amore correptam, nihil non tentaturam, ut regno iterum potiretur, praesertim quod non deessent ex Optimatibus, qui ei clam studerent. Sunt, qui Ludovicum Hungariae regem ea de re consultum fuisse scribant, suasisseque, ut reginam necari juberet. Quod ego cum ob datam olim per pactas conventiones Joannae a Ludovico fidem, tum ob Caroli metum, ne mulieris ambitione regno privaretur, prorsus improbabiliter dici arbitror. Quidvis sit, Carolus Joannam, ne quid sibi molestiae crearet, eodem loco, quo Andreas Ludovici frater olim enectus est, laqueo suffocari imperat, & postquam triduum insepulta jacuisset, in templo D. Clarae humari jubet. Qua re manifestum Numinis judicium patuit, quod Virum simili mortis genere, aut ipsa e medio sustulisset, aut sufferri prudens, volensque permisisset, ut inscriptio marmoris sepulcralis fidem facit. (19)

Vul

(17) Lucius Lib. V. Cap. I.

(18) Lucius cit. lib. & cap.

(19) Scipio MAZZELLA in vitis regum Neapol. pag. 157 in haec verba habens

Fu

Vulgata reginæ cæde tanto majori studio Andegavensis ad invadendum regnum properabat, quanto acriores ad vindictam stimulos tam probrosa matris nece sibi adjectos sentiebat. Jamque Flaminiam, & Picenum emensus Marsorum regioni exercitum infuderat, cum Carolus tametsi acceptos Anglorum subsidio, quos Florentini stipendio conductos, suppetias miserant, non impares hosti copias sub signis haberet, in Hungarorum tamen virtute spem omnem collocans, Ludovicum per nuntios orabat, ut ne se in tanto discrimine opis, & auxilii egentem destitui pateretur. Ludovicus res Caroli perinde ac suas complexus, rursum ad Dalmatinos scripsit, graviterque præcepit, ut, quam possent, celerrime terra, marique laboranti succurrerent. (20)

Anno Christi 1382. Eam eodem Andegavensis Dux victor pergit.

Nos Ludovicus Hungariæ - - Rex, vos fideles nostros dilectos, Comites, Rectores, Consules, & Communitates Civitatum & insularum nostrarum Dalmatiæ, & specialiter de Jadra, de Ragusio, de Catharo, de Sibenico, de Tragurio, de Spalato, & de aliis, præsentibus requirimus diligentius quam possumus, vobisque damus in mandatis, quatenus serenissimo Principi D. Carolo regi Jerusalem, & Siciliæ, fratri nostro carissimo, nunc instanti tempore suæ necessitatis, quam habet ex parte Ducis Andegavensis, & quam nostram fore reputamus, & asserimus, cum omni vestro potentia tam in mari, quam in terra, adversus eundem Ducem Andegavensem assistere, & adesse velitis, ideo ut actus nefarios, & bellicosos ipsius Ducis ab eodem fratre nostro in dextera altissimi, qui non deserit sperantes in se, omnino pellere valeat, in quo nobis, & sacræ nostræ coronæ indelebilia servitia, & complacentias facietis. Nam quicunque servitium, & honorem in hac parte eidem fratri nostro exhibuerit, per hoc nosmet ipsos tenemus honoratos, & si ad præsens vestras expensas negaverimus rependere, futuris etiam temporibus utique promptum gerimus animum complacendi. Aliud igitur sub obtentu nostræ gratiæ, & dilectionis non facturi, præsentes etiam una civitas alteri post lectionem destinare non obmittat. Datum Zolii die XX. mensis Julii, anno Domini MCCCLXXXII.

Dalmatis ... auxilium imperat ...

Erat tum, ut litteræ docent, Ludovicus Zolii, quod oppidum haud procul urbe Cremnicio est, & provinciæ cognominis caput, quo Poloniæ optimates ad celebranda comitia per oratores, & litteras evocarat. Convenere ex sacra, & profana republica plerique & auctoritate, & clientelis insignes. Ut factum conventui initium est, Ludovicus brevi oratione causas, cur Comitia indixisset, complexus illuc sensim evadebat, ut, quando ipse morbis crebro tentatus vitæ finem sibi appropinquare persentisceret, viderent etiam atque etiam, ne se defuncto regnum quidquam detrimenti caperet. Non defutura novatorum studia, qui pactionum, quas publicis litteris, ac jurisjurandi religione firmassent, oblitis rem publicam turbis objectari sint, quibus si cavere velint, hanc sibi viam videri præ reliquis maxime opportunam, ut Sigismundum Marchionem Brandeburgicum regem legerent. Dignam ea benevolentia esse adolescentis indolem prorsus liberalem, tum genus maternum, ac paternum id quoque commereri, qui ex Carolo Imperatore, ac Elisabetha Boguslai Ducis Stolpensis filia, quæ Casi-

Comitia cum Polonis celebrat, Sigismundus rex constituitur.

U   miro

Fu brevemente sepolta vicino al sepolcro di Carlo senza terra suo padre, ma non molto tempo dopo fu rinchiusa in un honorata sepoltura di marmo, che la Reina Margherita, moglie di Carlo fece fare, ove vi furono scolpiti l'infrascritti versi, che per l'ingiuria del tempo sono di sorte tale rosi, e consumati, che più non si possono leggere, ma ben si vede star intiera la detta sepoltura, qual sta nell'entrare della sacrestia. Li versi già detti son tali.

Inclyta Parthenopes jacet hic regina JOANNA
Prima, prius felix, mox miseranda nimis
Quam Carolo genitam mulctavit Carolus alter,
Qua morte illa virum sustulit ante suum.

Obiit anno M CCC. LXXXII.
die vero XXII. Maji
Secundæ Ind.

Annus Christi 1382.

intro necessitudine juncta fuisset, sanguinem traheret, quemque ipse concludendis haud multo post cum Maria filia nuptiis, grati loco habiturus esset. Ita Poloniam cum Hungaria perpetuo foedere, ac voluntatum communione sociatam, rebus domesticis ingenti commodo, hostibus contra terrori futuram, se, si consiliis suis locum darent, interposita fide polliceri. Accepta est regis oratio ab Optimatibus magna animorum consensione, & Sigismundo, tanquam futuro regi sacramentum solenni verborum forma nuncupatum. (a)

Hoc in Poloniam cum copiis Hungaricis abeunte,

Rex ea Polonorum facilitate mirum in modum laetus, copias, quas secum ex Hungaria adduxerat, Sigismundo tradit, ut in Poloniam profectus turbas, quae se non obscuris indiciis prodebant, armorum metu sedaret. Neque is, quam imperatum sit, segnior cum Bodzanta Archi-Episcopo Gnesnensi, tum Sandivojo, ac Domaraho, illo Cracoviensis provinciae, hoc majoris Poloniae Praefecto, quorum fidei adolescentem rex commendarat, factionum capita, oppida plerasque aut vi, aut deditione receptis, ad obedientiam revocavit. Tum in Massoviae Ducatum militem traducens, Janusium, ejus provinciae Ducem, qui fidem Ludovico obstrictam violaverat, circumlata vastitate in metu continuit. Cujus quidem expeditionis fructus, praeter profligatas turbas, is praecipuus fuit, quod militari sua indole, & facto armorum tyrocinio Sigismundus haud mediocriter se Polonis probaret. (b)

De Caroli periculo edoctus,

Interea Ludovicus, postquam soluto conventu Zolio abierat, litteris ex Italia allatis edoctus est, Caroli res ob Andegavensis Ducis adventum vehementer laborare, &, nisi mature consuleret, proximas esse exitio, quod Galli Anconitanos, Urbano Pontifici prae Clemente faventes, infestis signis petituri ex itinere ratione viderentur. Rex ut cognitam sibi eam Italiae partem, perspectamque ex priore bello habuit, magnumque ad rem feliciter gerendam momentum afferre posse intellexit, continuo litteras ad Anconitanos dedit, quibus eos pro vetere in se amicitia obtestatus est, ut hostem, si illac in Neapolitanum agrum irrumpere moliretur, transitu, & commeatu prohiberent. (1)

Anconitanis suppetiarum causa scribit.

Ludovicus Hungariae &c. rex, universis, & singulis civitatibus, terris, & locis, & castris, nec non quibuscunque de dictis provinciae Marchiae Anconitanae amicis nostris charissimis salutem, & dilectionem sinceram. Considerantes diversos casus, & fluctus, quibus quassatur praesentialiter navicula S. Petri, ut rationis debito obligamur, atque ex divina institutione constringimur, indagare modos, & formas, quibus possimus taliter obviare periculis, quod sedes Apostolica firma maneat, ne ab incursibus praetervorum illicitis ruinam irreparabilem patiatur, sicque ad defensionem sanctissimi in Christo Patris Domini Urbani, Papae sexti, ac serenissimi fratris nostri Domini regis Caroli felicem statum, sacrosanctae Romanae Ecclesiae perfecti Zelatoris, contra exercitum Ducis Andegavensis, qui super in sanctae Romanae Ecclesiae, & praedictorum offensam venisse dicitur contraque dictum Ducem, & ejus complices, ac fautores, alios etiam quoscunque, quos contingat in tali perversitate concurrere, decrevimus mittere in partes Italiae per mare, & per terram gentem nostram armigeram in opportuno numero, cum solemnibus, & virtuosis Capitaneis, non solum ut resistant, sed etiam Divina favente justitia, ducant in extremum tales temerarios infideles cum victoria in triumpho. Quapropter vos, & vestrum quemlibet requirimus, & hortamur, quatenus existentes proinde, solicite, & constantes in fidelitate debita sanctae Romanae Ecclesiae, praefatique sanctissimi Domini Papae, caveatis omnibus modis vobis possibilibus, contra tales omnipotentis Dei, & humani generis inimicos, virile defensionis, & offensionis assumere brachium taliter, quod possitis de vestra fidelitate laudabili perpetuo commendari. Nos autem ad bonum, & pacificum statum vestrum diligenter intendemus, & auxiliante Deo sic cum praefato sanctissimo Domino Papa ordinabimus, quod in forma defensiva manebitis, nec a quoquam poteritis sic de cetero turbari feliciter, vel offendi. Datum in castro Ligeth (2), die XXVIII mensis Julii MCCCLXXXII

Nec

(a) Dlugossus Hist. Polon. Lib. X ad hunc annum.

(b) Idem ibid.

(2) Ignoro, rectene sic legatur, an contra; nec audeo Sigeth substituere, cum priores Zolii signatae sint, & mense Septembri rex Tyrnaviae fato functus.

Anno Christi 1382.

Nec dubium est, Ludovicum, si per valetudinem licuisset, omnem operam locaturum fuisse, ut ipse trajecto sinu Adriatico, Gallis se pro Carolo objiceret. Sed cum morbus magis, magisque ingravesceret, lentius subsidia Dalmatica adfuere, quam ut progressionibus hostium modus poni posset. Nam Andegavensis, dum superato flumine Exio, obsidionem Anconitano castro circumdare minaretur, cives omni præsidio destitutos, totamque provinciam, ingenti æris summa prius mulctatam, in fidem, & obedientiam Augusto mense accepit. Ex quo metus haud mansit, Anconitanos, ut victorem irritarent, aut nulla Carolo missuros subsidia, aut prohibituros etiam, ne ex Dalmatia suppeditentur, ut Jadrenses non obscure ad regem in hæc verba perscripsere. (3)

Sed præsidio destituti Andegavensi recipiunt

Domino nostro regi.

Id Jadrenses regi per literas significant

Serenissime Princeps, & Domine noster naturalis. Licet Anconitani ea, quæ nuper occurrerunt eisdem, ut putamus, vestræ scribant Majestati, tamen ex debito nostræ fidelitatis ea, quæ scivimus, & per nostrum nuntium specialem, redeuntem ab Ancona habemus, vestræ detegere per præsentes curavimus Majestati. Die XXVII Augusti proxime præterita Dux Andegavensis cum ejus exercitu venit ad flumen Exinum, ab Ancona per decem milliaria Latina distantem, cujus jussu Anconitani Legatos destinarunt ad eundem, qui ab eo discordes redierunt, quorum relationibus intellectis cives Anconæ, ipsorum dominas, & familiam eam habere possent in navigio parato ad fugiendum miserunt, ipsique Dux Comitem de Genevia consanguineum auctoritate propria cum gente in castrum Anconæ, quod pro custodia destinavit, petens ducatos centum, & viginti millia, & homagium. Ultimo Anconitani dicto Duci ducatos decem & octo millia tradiderunt, ejus ditioni se subdentes, pacto tum habito, quod usque ad quatuor menses non cogat eos ad guerram, ut in spatio hujus termini naves suas cum mercantiis, quæ sunt extra Gulfum, circa decem & octo, ad civitatem reducant. Unde quamvis Anconitani, ut credimus, vestram affectant Majestatem, tamen considerata immanitate perfidi Ducis dubitamus, quod dicti Anconitani viriliter obsistant gentibus Majestatis vestræ, per mare transeuntibus, in subsidium Domini regis Caroli, & facient guerram contra subditos vestræ serenitatis, quæ nobis valde gravis erit, vel quia ipse Dux, si ejus continuo denegetur, dictum castrum cum civitate vendet Venetis, nisi dextera Dei ad oppositum se extendat. Præfatus vero Dux cum suo exercitu die secunda mensis intrantis movit de territorio Anconæ, & per terram Domini Rodulphi de Camerino, adhærentis dicto Duci versus Aquilam rebellem dicti Domini regis direxit gressus suos, inde versus Neapolim. Præfata equidem potentia dicti Ducis, & considerato ejus obstaculo in his partibus, fertur, & communiter omnium opinione comprobatur, conditionem dicti Domini regis Caroli esse satis debilem, nisi celere subsidium a vestra habeat Majestate, quo viso non dubitamus, quod plures Italici amici vestræ Majestatis, & dicti Domini regis Caroli in servitium, & favorem ipsius Domini regis cum dicto subsidio eorum potentiam hilariter extendent, & sic salus, vestraque spes victoriæ, & vita dicti Domini regis Caroli in vestra consistit Majestate, nosque, prout a vestra Majestate habuimus in mandatis, & sicut per dictum Dominum regem Carolum literatorie fuimus requisiti, misimus unam galeam bene armatam, in qua Dominus Banus cum ejus militibus honorifice transit ad civitatem Baroli, ad quam civitatem equos, & armigeros præmisit in servitium, & favorem dicti Domini regis præsentialiter destinare, recommendat se ad pedes vestræ Majestatis. Datum IX Septembris.

Ludovicus his curis honoratur Tyrnaviæ extinctus

Agebat tum Ludovicus, Zolio ex Comitiis redux, Tyrnaviæ, cum de periculo, quod Carolo ab Gallis imminebat, per Jadrenses edoceretur, sed nec, quam feliciter se ex eo postea Carolus explicuerit, cognovit, nec Jadrensium literas vivus accepit; tertio idus Septembris confectus bellicis laboribus, & quotidianis curis corpore, postquam quadraginta annos summa cum laude regno præfuit

U 2

(3) Lucius cit. Lib. & cap.
Annal. Reg. Hung. Pars III.

Annus Christi 1382.

fuisset, extinctus. (4) Vulgata mortis fama adeo mœrore, & stupore omnem Hungariam defixit, ut ceteros quidem reges luxisse, cum hoc ipso funere elata esse videretur. Corpus Albam deductum, inter uberrimas promiscue concurrentium lacrimas, ac lugubres populi vociferationes in sacello, quod pone Basilicam Deiparæ Virginis sumtuosissimum exstruxerat, honorificentissimus, juxta ac tristissimis exequiis conditum: manifesto ad posteros argumento, pulcherrimam, quam reges post fata consequi possunt, laudem esse, si subditorum lacrimis deplorentur.

Corporis habitus & animi dotes

Fuit Ludovicus statura mediocri, elatis, sed citra fastum, oculis; crine & barba crispus, vultu etiam inter maximas rei publicæ curas sereno, & ridenti. Prominentia aliquantum labra, & curvi ad speciem humeri multum decori corporis detrerere poterant, nisi hos perpetua bellorum exercitatione sic castigasset, ut intuentium oculos fallerent, illa vero non tam vitium, quam Majestatem conciliassent. (5) Regnandi autem arte, etsi hanc vindictæ studium non nihil obscurabat, cum suapte, tum multiplici rerum, quas per sese tractabat, usu tam copiose, & egregie instructus, ut, qui eorum temporum annales legerint, nullum facile ejus ævi regem reperturi sint, quem illi seu pace, seu bello gestis rebus citra invidiam æquiparare possint. Hungariam, quam patet ex calamitosissimo domesticarum factionum discrimine sapientia sua expedierat, Ludovicus armorum felicitate ad summum gloriæ fastigium adduxit. Siquidem præter victos Russos, profligatos Lithuanos, domitos Valachos, & triumphatos quoque Bulgaros, ac Tartaros, Poloniam, Dalmatiam, qua late patet omnem, & regnum Neapolitanum juribus Hungariæ aut inseruit, aut copulavit, ut adeo, si regnorum, quæ id temporis christiani Principes obtinuerant, numerum ineamus, tot pæne unus Ludovicus moderatus sit, quot ceteri per Europam reges seorsim possedere. (6) Cujus sive felicitas, seu illapsum cœlitus regnandi donum si pariter ad posteros traductum fuisset, esset fortasse, ut etiamnum Hungari inde ab Austria fere ad Pontum, illinc a Balthico mari ad mediterraneum, in omnium rerum ubertate, & affluentia latissime dominarentur.

MA-

(4) Paulus de PAULO ad an. 1382 signat diem XII. Septembris. Joannes ARCHIDIAC. cap. 55 habet XL diem ejusdem mensis.

(5) Idem ibid.

(6) Neque id exaggeratum esse puto. Regna enim, ad quæ regibus nostris jus liquidum erat, fuere Hungaria, Polonia, Dalmatia, Croatia, Rama, Servia, Galicia, Lodomeria, Cumania, Bulgaria, & Neapolitanum cum Sicilia. Præter hæc regnorum nomine inter Christianos ea tempestate, quod sciam, censebantur Lusitania, Castilia, Arragonia, Navarra, Francia, Anglia, Dania, Suecia, Norvegia, & Bohemia.

MARIA I.

Poſtquam Ludovico ab regni Ordinibus XVI. Calendas Octobris parentatum eſt, rogatis altero die ſententiis, mira omnes conſenſione in Mariam, defuncti filiam conſpiravere, & ſacro diademate redimitam, quemadmodum Scriptores non modo coævi (1), ſed nummi quoque ejus nomine ſignati, (2) tum publica litterarum inſtrumenta fidem faciunt (3), regem ſalutavere. Aditum ad regni poſſeſſionem ſortita eſt utcunque pacatum, quod recens eſſet rerum a patre geſtarum memoria, & pleri que Optimatum fortunis, honoribuſque a Ludovico exculti fuiſſent, Eliſabetha autem mater, rempublicam interim pro filia capeſſeret. Quæ ut vivo etiamnum marito, ſed morbis implicito, regnum ſolerter adminiſtrabat, ita facile ipſo rerum uſu intellexit, qua parte præcipuum ad labefactandam rempublicam diſcrimen imminere poſſet. Maximus de Dalmatia metus regnæ habuit, ne aut Venetorum potentiæ objecta periculum adiret, aut a Tuarco Boſnenſium regulo, quem novas res moliturum non obſcurus rumor ferebat, quidquam detrimenti pateretur. Re enim vera Chulmenſem provinciam, ut primum de regis morte compererat, ſibi contra datam fidem aſſerunt. Ac de hoc quidem, tametſi regiam dignitatem Ludovico deberet, ac Eliſabethæ prætera neceſſitudine ſanguinis conjunctus eſſet, poſtea inſtruetur narratio. Jadrenſes vero primi omnium ex Dalmatis fuere, qui reginæ ſollicitudinem ſcriptis ad eam litteris, miſſiſque oratoribus, qui de eorum fide caverent, levarunt. (4) Epiſtola in hæc verba concinnata fuit.

Annus Christi 1382. Maria patri ſuccedit.

Sereniſſima, & Excellentiſſima Princeps, & Domina noſtra naturalis! mittimus ad veſtræ Majeſtatis conſpectum fideles noſtros, Nobiles viros Andream de Proſignis, & Mariam de Oranis, concives & ambaſſiatores noſtros, præſentium portatores, quibus commiſimus, ut una cum Reverendo in Christo patre D. Petro Archi-Epiſcopo Jadrenſi in curiam ſerenitatis veſtræ pro ejus propriis negotiis accedente, quem ſuper his ſpecialiter rogavimus, legationis ipſis impoſitas Majeſtati veſtræ debeant ſuppliciter explicare. Quapropter eidem Majeſtati ſupplicamus, quatenus dignemini relationibus dicti Domini Archi-Epiſcopi, & Ambaſſiatorum noſtrorum parte ſirmas fidem, credulitatemque fidelitatis noſtræ adhibere. Jadræ X. Octobris Indictione VI.

Turbatas in Dalmatia res ſeperit.

In eandem ſententiam ſcripſere ad Sigiſmundum Marchionem Brandenburgenſem, Mariæ ſponſum, tum ad Ladislaum Opolienſium Ducem, Demetrium Cardinalem Strigonienſem, Palatinum Regni, Quinque Eccleſienſi, & Zagrabienſi Epiſcopis, Stephano Vayvodæ Tranſilvano, aliiſque non paucis Optimatum. Quid ab Oratoribus in Hungaria actum ſit, quæ illorum partes, aut conſilia, nuſpiam memoriæ eſt proditum: credibile eſt quo loco res in Dalmatia eſſent, ad Eliſabetham retuliſſe: fuerunt enim indicia non obſcura Joannem de Paliſna Auranæ olim Priorem dominandi libidine abreptum detrectata obedientia ceteras Dalmatiæ urbes in ſuas partes pellecturum. Periculo huic ut mature occurreret Eliſabetha, Biſſenum Veſprimienſem Comitem ad Jadrenſes abire jubet, quos ſcriptis litteris magnopere cohortata eſt, ut collatis cum Biſſeno conſiliis diligenter viderent, ne quid in Dalmatia turbarum oborietur, aut ſi quæ interea obortæ eſſent, pro ſua adverſum ſe fide & ſapientia ſopirent. In eundem modum ad reliquas iidem Dalmatiæ urbes ſcripſit. *Eliſab th Dei gratia regina Hungariæ, Poloniæ, Dalmatiæ &c. fidelibus*

Ad has pacandas Biſſenus mittitur.

(1) Paulus de Paulo in ſuo memoriali. Carbsinus: quæ quidem Maria appellatur rex Hungariæ.

(2) Georgius Haner in regia Tranſilvania anno 1763. typis data, fatetur exſtare nummum cum hac Epigraphe: Maria Rex Hungariæ.

(3) Lucius Lib. V. Cap. II.

(4) Idem ibidem.

Annus Christi 1382

libus suis Rectoribus, Consiliibus, & communi civitatum nostrarum de Jadra, Sibenico, de Tragurio, de Spaleto, & de Nona, ac aliarum in regnis Dalmatiae, Croatiae constitutarum salutem & gratiam. Noveritis quod nos Magistrum Johannem Bissenum Comitem Vesprimiensem, in quibusdam nostris, & regni negotiis, & agendis plene de intentione nostra informatum ad vestram fidelitatem decrevimus destinandum. Quare vestram fidelitatem petimus, & eidem mandamus, quatenus verbis, & dictis praefati Magistri Johannis Bisseni, ex parte nostra vobis referendis, fidem adhibeat credituram, secus pro nostra gratia non facturi. Datum Nitria XXV. die mensis Octobris Anno Domini MCCCLXXXII. (5)

Quas Provincias diligenter obeunt.

Bissenus postquam rerum gerendarum normam ab Elisabetha accepisset, haud diu moratus in Dalmatiam abiit, datoque Jadrensibus Senatu multum, diuque deliberatum est, qua ratione urbes in fide, & obsequio contineri possent, ipseque singulas impigre oberrans, quae ad conservandam rempublicam facere videbantur, naviter curabat. Non infeliciter prorsus Vesprimiensis Comitis operam collocatam fuisse, pronum est conjecturam capere, quando Jadrenses, ne quid eatenus studii, aut diligentiae praetermisisse videri possent, continuo, ut is urbes Dalmaticas singulatim obibat, Elisabetham certiorem reddidere. (6)

Dominae Reginae Seniori.

Ex acceptis ex Dalmatia litteris utraque regina a metu respirat.

Serenissima, & Excellentissima Princeps, & Domina nostra naturalis. Venit ad nos pro parte Majestatis vestrae Magnificus vir Joannes Bisseno, Legationes serenitatis vestrae nobis impositas, virtute litterarum Excellentiae vestrae credentialium, nobis prudenter, & facunde exposuit, praesertim a fidelitate nostra super quibusdam conservationem harum partium concernentibus consilium expetendo quibus quidem reverenter & proclivoter auditis, & intellectis, ac mature ruminatis, licet nostra modica facultas ad tantum non extendatur, tamen ex debito nostrae fidelitatis eidem diximus ad singula, prout nobis pro honore Majestatis vestrae, & sacri diadematis Ungariae, ac pro salubriori conservatione harum partium visum fuit, & sicut ipse, qui hoc instanti de Jadra versus alias civitates Dalmatiae iter arripuit, Majestati vestrae plenius explicabit. Datum Jadrae die II Decembris MCCCLXXXII.

Novum a Polonis discrimen imminet.

Libera non nihil hac parte metu Elisabetha, multo maximo, allatis ex Polonia rumore, periculo implicatur, quod Optimates Hungari, quos Ludovicus devicta Russia provinciae praefecerat, urbes & castra, inter quae Cameniecum facile princeps erat, Laubarto, Jagellonis Lithuaniae Ducis fratri, ingentem auri summam pacti vendidissent. Ea vendidatione cum Polonorum animi vehementer exacerbati essent, & periculum haud leve videretur, Hedvigem, cui possessio regni ex pacto debebatur, solio exclusum iri, Elisabetha, ut juribus filiae caveret, neque perfidiam impunitam fineret, reduces ex Russia Proceres, ac turpissimo lucro sussarcinatos, partim capite mulctavit, partim conjecit in carceres, & fortunis omnibus fisco regio addictis, plerorumque liberos perpetua infamia notavit. (7) Suspicio erat Nicolaum de Gara, qui sub Ludovico per omnes honorum gradus ad Palatini dignitatem eluctatus est, id consilii reginis suggessisse, quo auctoritatem foemineo Imperio conciliaret. Quae res quoniam ad obtrudendam Principi fraudem non est compendiosior via, quam si ex alieno, & imprimis ex unius duntaxat consilio & virtute pendeat, (8) utrique reginae extremum prope discrimen, Palatino autem exitium quoque conflavit. Ut enim Proceres, quos bonis mulctatos e regno Elisabetha proscripserat, summis quibusque familiis necessitudine sanguinis illigati erant, ita cum dedecoris notam ad se pertinere sibi persuaderent, collatis consiliis ad sumendam vindictam conspiravere, a qua primus velut ad excutiendum foemineum imperium gradus deinde factus est.

Nihilo

(5) Lucius Lib. V cap. II.
(6) Idem ibidem.
(7) Dlugoss Hist. Polon. Lib. X.
(8) Paulus Rewa Cent. Hist. IV.

Nihilo pacatiores res ex Polonia ab Oratoribus afferebantur. Exulceratos nuperea Hungarorum perfidia animos Sigismundus juvenili ferocia propemodum ad extrema adduxit. Nam cum is post habitas defuncto Ludovico in Gnesnensi Basilica exequias Cracoviam divertisset, conventus a plerisque Procerum, oratusque est, ut majoris Poloniæ præfectura Domarathum exueret, hominem cum per sese provinciæ illi regendæ imparem, tum fortunarum suarum potius, quam reipublicæ studiosum. Sigismundus, qui eas preces magis imperantium, quam rogantium existimaret, in sua se sententia persiturum, neque honorem viro, qui de republica Ludovici judicio optime meritus esset, demturum diserte affirmavit, comminatus præterea, se in refractarios, & dicto non obedientes graviter animadversurum. Videbatur ea oratio, quod nondum corona regni Sigismundus ornatus esset, a Polonorum consuetudine, & moribus vehementer abhorrere, itaque insalutato Marchione ad oppidum Radamskum frequentes conveniunt, de republica in medium consultum. Potior Optimatum pars sententiis suis in Semovitum, Massoviæ Ducem, conspirabat, vicissetque & suffragiorum numero, & recentis offensæ memoria, nisi pauci auctoritate sua intercessissent, satius esse rati, ut veterum pactorum, & datæ fidei memores Hedvigem, alteram Ludovici filiam, ad capessendum regnum ex Hungaria evocarent. Id tamen in primis videndum, ut Princeps viro locaretur, qui & illa dignus esset, & stabilita in regno sede, rempublicam per sese administraret. Versari etiamnum ob oculos damna, quæ vivo Ludovico, quod regnum vicaria aliorum opera absens plerumque rexisset, cum domi, tum foris accepere. Id si placeret, posse futuris comitiis de ea re ad regni ordines referri, interea daturos operam, ut quisque pro suo in patriam studio illius saluti consuleret. Facile omnes consensere, quod eo Senatus scito non obscure Sigismundum ab regni possessione excludi viderent; diesque ad VIII. idus Decembris comitiis præstitutus, quo Optimates Vislicæ reipublicæ causa interesse oporteret. (9)

Anno Christi 1382. Sigismundi Marchionis Brandeburgensis intemperantia accensam Polonorum defectionem factam.

Domarathus, & Bodzanta Gnesnensis Archi-Episcopus postquam frustra ne inconsulta regina conventum celebrarent, diu obnixi fuissent, viderentque rem non optime cadere, celeres ad Elisabetham nuncios mittunt, qui, quid in Polonia, & quanto periculo ageretur, explicarent, suaderentque, ut omni abjecta mora Legatos ad comitia expediret, qui auctoritate sua, si quid adversus filiarum jura constitueretur, intercedant, & Sigismundi, ad quem conventus is maxime attinebat, partes impigre tueantur. Illa regiis suorum sententiis, Agriensem, & Chanadiensem Episcopos, quid fieri vellet, prolixe edoctos, in Poloniam legat, jubetque rem, ut locus, tempusque pateretur, naviter curarent. Adfuere ad præstitutum diem Legati, ingressique comitiorum locum, Elisabethæ, & filiarum nomine, gratiam Optimatibus habuere, quod constanti ad id tempus, fide in eas fuissent: comitia, quæ indixerant, sibi quidem minime improbari, monitos tamen velle, ne ex privatis dissidiis publicas factiones turbasve conflari paterentur, volentesque forent, has dissolvi ea dumtaxat ratione posse, si soluto conventu, nec de Sigismundo, nec alio quidquam regni causa deliberarent, quoad ipsa, quod commodum reipublicæ, & salutare visum fuerit, de filiabus statuisset. Videbantur non iniqua legati postulare, & quia Sigismundum Mariæ sponsum ab Ludovico destinatum, itaque Hungariæ imperaturum non ignorabant, Hedvigem contra cujus potiundæ spes ab Oratoribus de industria Proceribus objecta est, plerique optarent, sublato partium studio Elisabethæ fidei se permiserunt. Confectis hunc in modum rebus Legati cum Sigismundo, quem Dobeslaus urbis præfectus parum liberaliter Cracovia excluserat, in Hungariam rediere. (10)

Legati Hungariæ ad Conventum Polonorum properantes. Quorum opera tur hæ spes vertuntur

Erant tum Hungariæ res ad speciem optimo quidem loco, re tamen ipsa clandestinis paucorum Procerum machinationibus periculo proximæ. Joannes Palisna, cujus supra a nobis mentio injecta est, malum intestinum, quo Dalmatia correpta erat, in Hungariam quoque traduxit, & Stephanum Transilvaniæ Vayvodam

1383 Conjurationes in Mariam reginam factæ.

(9) Dlugo. Hist. Pol. Lib. X.
(10) Idem ibidem.

Annus Christi 1383.

vodam, ejusque fratrem Andream, tum Stephanum Symonthornæ Præfectum, virum consilio, & armis valentissimum, in suas partes pellexit, sive dominationis spe huc adducti sua sponte sunt, seu, quod magis credo, Tuartkus Bosnæ, ac Rasciæ regulus, videns plerosque a muliebri imperio, & Nicolai Garæ potentia abhorrere, promissisque muneribus viam sibi ad regnum sensim complanare voluerit. Quidvis sit, primas turbas a castro Auranæ, quod jugum aperte excusserat, Palisnæ artibus coeptas fuisse constat. Quæ quo minus ad reliquas Dalmatiæ urbes, Jadram in primis, cujus magnum semper in utramvis partem momentum erat, prolata contagione serperet, continuo ad Nicolaum Possegæ Præpositum, & Detricum Bubekium, qui in fratris loco vicariam in Dalmatia, & Croatia potestatem exercuit, litteræ ab Elisabetha datæ, quibus eos monuerat, ut urbem in fide continerent, darentque diligenter operam, ne cives, Auranæ exemplo obsequium detrectarent. Quam egregio, & secundo eventu mandatum sibi Provinciam uterque curarit, nullo negotio ex juris jurandi forma intelligitur quod Jadrenses litteris complexi in hæc verba ad reginas transmisere (11)

Jadrensium ad reginas litteræ.

Illustrissimis, & excellentissimis regibus, & Dominabus nostris, Dominæ Elisabeth Dei gratia reginæ Hungariæ, Poloniæ, Dalmatiæ, & Dominæ Mariæ, eadem gratia reginæ Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Majestatum vestrarum fidelissimus, frater Thomas de Rosa, Dei & Apostolicæ sedis gratia, Abbas montis S. Grisogoni Ortonellus de dosaleis de Padua, Legum Doctor vicarius ac Johannes de Slorado, Salatinus de Saladinis, & Augustinus de Zagalis, Rectores, nec non consilium majus & grande, communeque vestræ civitatis Jadrensis recommendationem humilem & procinctam Majestatibus vestris gratissimus nobis ad gaudium immensum transmissis reverenter, quas decent receptas, ipsisque publice ad intelligentiam omnium astantium perlectis, ut continetur, exultanti animo, avidaque affectione parati omnes, tunc in dicta vestra civitate Jadræ nobiles cives reperti, secundum formam dictarum serenitatum vestrarum litterarum in manibus venerabilis, ac egregii viri Domini Nicolai Præpositi Ecclesiæ S. Petri de Posega Licentiati in jure Canonico, dignissimi, Capellanique specialis Excellentiarum vestrarum, nec non Magnifici viri, Domini Detrici Bubek, locum tenentis, Magnifici Domini Emerici Bubek, regnorum vestrorum prædictorum Dalmatiæ, & Croatiæ Bani, nunciorum, & Ambasciatorum Majestatum vestrarum specialiter destinatorum, & deputatorum acceptantium, & recipientium, tam nomine Majestatum vestrarum, quam vice, & nomine Serenissimæ, & Excellentissimæ Principis, & Dominæ nostræ naturalis, Dominæ Hedvigæ, vestræ natæ junioris gloriosissimæ memoriæ quondam serenissimi Principis, & Domini nostri naturalis, Domini Ludovici regis Ungariæ, Poloniæ, Dalmatiæ &c. illustris sicut Altissimo placuit, absque prole masculi de medio sublati, successorumque vestrorum, & ejusdem illustris Dominæ Hedvigæ jure naturæ, & successionis, ac ordine geniture, seu debitæ successionis in dicto regno Hungariæ succedentium, pariter & sacræ coronæ Hungariæ prædictæ solemniter, & debite, in signum veræ ac debitæ subjectionis juramentum debitæ fidelitatis & homagii, perpetuo inviolabiliter observandum, præstitimus, & juramento sigillatim ad sancta Dei evangelia, corporaliter tactis sacrosanctis evangeliis, & scripturis omnem fidelitatem, & subjectionem, nec non reverentiam pariter, & honorem humiliter exhibere, omnem legalitatem, fidelitatisque constantiam, & obedientiam perpetuam effectualiter obtinere, omnem prosperitatem, commoditatem, utilitatem, statumque, & personarum, ac regni præsertim Hungariæ augmentationem quomodolibet perquirere, omnem conspirationem, conjurationem, proditionem, tractatum, & alia quæcunque tendentia ad læsionem, vel detrimentum, aut diminutionem aliqualem honoris, status, vel personarum cum ad nostram & cujuslibet nostrorum notitiam pervenerit, prout citius fieri poterit, revelare, eisdemque totis viribus, & posse obviare, effectualiter pariter & resistere, & insuper omnia alia & singula facere adimplere, quæ quilibet boni viri, fideles, legalesque nobiles cives, & subditi facere, & adimplere tenentur, & debent. Promittentes nuntiis, & Ambasciatoribus prædictis, acceptantibus, & recipientibus præmissa omnia, & singula integraliter observare, ac adimplere, nec contra facere, vel venire palam, vel occulte, quovis ingenio, vel occasione, sub indignatione

(11) Lucius Lib. V. Cap. II

tunc Dei Omnipotentis, & omnium serenissimarum ejus ac Majestatum, ac sacræ coronæ Hungariæ prædictarum. - - - Datum Jadræ in Palatio Comitatus die II mensis Februarii Incarnationis Domini MCCCLXXXIII. Indictione VI.

Annus Christi 1383.

Atque ex his, opinor, cur Dalmatiæ præ primis Elisabetha metuerit perspicuum sit, quando Jadrenses, quo loco tametsi clanculum, conjuratorum machinationes consisterent, satis aperte indicabant. Sopitas tamen iis potius, quam profligatis, curæ aliorsum conversæ. Carolus cognomento Parvus, quem a Ludovico cum non contemnendo Hungarorum auxilio in Italiam, ut Neapolitanam sibi regnum assereret, missum fuisse narravimus, Andegavensem vehementer premebat, cujus res, quoniam id marito cum viveret, maxime cordi esse norat, Elisabetha novis supplementis adjuvandas censuit. Itaque Joannes Banus cum nepote Prioris Auranæ, transfretare in Apuliam jussi, & res ex Caroli imperio moderari, (12) regnum, quantum periculi eo sibi beneficio conflatura olim esset. Nam ii quamquam inter conjuratos nomen suum jam professi essent, vaferrima tamen simulatione reginas luserant, ut, cum maximam auxilii spem, in se sitam habere videantur, majore perfidia, & tutius nocere possent. Sed his narrandis suus postea locus erit.

Carolo Parvo suppetiæ in Apuliam mittuntur

Sub idem tempus Tuartkus, quid animo volveret, magis in dies prodebat, cum ad castrum Dracavizza, quod in Dalmatiæ limitibus egregie communitum haud ita dudum exstruxerat, ingentem vim, salisque commeatum ex Dalmatia importari juberet. Quæ res cum & Ragusinis magnopere præjudicaret, & suspicionem præterea Mariæ non levem injiceret, Bosnensem regulum id moliri, ut comparata re annonaria, in castro, cujus paullum ante meminimus, sedem belli velle collocare, gravissimo edicto sanxit, ne quis Dalmatorum deinceps quocunque nomine vinum, salemve Dracovizzæ inferre ausit. Diploma, ex quo res eorum temporum utcunque illustrantur, in hæc verba habet. (13)

Bosnæ regulo novas res molienti.

„ *Nos Maria Dei gratia regina Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. notum*
„ *facimus tenore præsentium, quibus expedit, universis, quod fideles nostri, Rector, judices, consilium, & commune civitatis nostræ Ragusii, missis ad nostram Majestatem*
„ *providis viris, Petro de Gondola, & Stephano de Luccara, eorum concivibus, nuntiis, & ambasiatoribus, nobis humiliter significarunt, quod nonnulli forent homines*
„ *in dictis regnis nostris Dalmatiæ, & Croatiæ, qui vinum, & salem ad quoddam*
„ *castrum, de novo per dominum regem Rasiæ, & Bosnæ inter prædictam civitatem*
„ *nostram Ragusii, & civitatem nostram Chatari appellatam, in loco Dracavizza nominata constructum, & etiam ad alia loca inconsueta, contra libertatem, & antiquam consuetudinem ipsius civitatis nostræ Ragusii, & in opprobrium, & diminutionem jurium ejusdem civitatis nostræ portarent, & deferrent, supplicantes nobis, ipsis*
„ *super hoc provideri de remedio opportuno. Nos itaque volentes dictam civitatem nostram Ragusii in suis libertatibus, & consuetudinibus antiquis illibate conservare, ut*
„ *exinde dicti cives nostri dictant sub Principe glorioso devoti famulari, atque ab ipsis*
„ *utilitatibus, & honoris materia, lucrionque fructiferum regiæ proveniat Majestati,*
„ *de consilio, consensu, & beneplacita voluntate Serenissimæ, & Excellentissimæ Principis, Dominæ Elisabethæ, præmissa Dei gratia reginæ Hungariæ, Poloniæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. genitricis nostræ charissimæ, Prælatorumque, & Baronum regni*
„ *nostri præmatura facientes deliberatione committendo, ut a modo, & deinceps nullus incolarum regnorum nostrorum memoratorum, vinum, & salem ad prædictum castrum novum, in loco Dracavizza, ut præfertur, constructum, & ad alia loca inconsueta, contra antiquam libertatem, & consuetudinem dictæ civitatis nostræ Ragusii, & diminutionem jurium ejusdem civitatis nostræ portare præsumat, vel deferre,*
„ *sub pœna amissionis, & privationis vinorum & salium prædictorum. Et hæc voluimus in foris, & locis publicis, in dictis regnis nostris Dalmatiæ, & Croatiæ palam*

Maria literas dat ad Ragusinos, quibus eorum juribus cavet.

X „ ubi-

(12) PAULUS DE PAULO in Memoriali MCCCLXXXIII. die VIII. mensis Februarii debebant (Ungari) transfretare in Apuliam in subsidium regis Caroli cum Joanne Bano & nepote dicti Prioris Auranæ.

(13) LUCIUS Lib. V. Cap. III.

Anno Christi 1383

„ *ubique facere proclamari, prout etiam in formam nostri privilegii redigi faciemus, dum* „ *nobis eadem in specie fuerint reportatæ. Datum Budæ sub magno nostro sigillo, Sabba-* „ *tho proximo post quindenas festi Paschæ Domini, anno ejusdem MCCCLXXXIII.*

Poloni Hedvigem Mariæ sororem ad capessendum regnum evocant

Hæc apud Dalmatas acta. In Polonia novæ rursum factiones rempublicam fere pessumdabant, Domaratho majoris Poloniæ, & Vincentio Posnaniensi Palatinis, inter quos acerrima dignitatis æmulatio intercesserat, collatis sæpe signis omnia late in regno vastantibus. Proceres, quos patriæ charitas præ ceteris tangebat, ut intestino malo modum ponerent, ad Elisabetham nuntios misere, qui, ut Hedvigem mater in Poloniam ad capessendum regnum mittere ne gravetur, summa contentione, precibusque ab regina flagitarent, cujus præsentia turbas sopitum iri spem certissimam omnes haberent. Elisabetha, quæ filiæ ætati haud satis fidebat, re cum suis communicata, Nicolaum Vesprimiensem Antistitem cum duobus primi ordinis Proceribus in Poloniam legarat, qui quid apud animum suum constituisset coram edicerent. Coegerant Poloni id temporis comitia Siradiæ, quo postquam legati venissent facta dicendi potestate, & litteris, quibus eorum auctoritati cautum erat, in medium prolatis, multa de Ludovici, ac Elisabethæ in Polonos officiis præfati, Proceres regnumque a Sacramenti religione, quo Mariæ ejusque sponso Sigismundo Marchioni Brandeburgico se olim obstrinxerant, liberos reginæ nomine pronuntiarunt. Adjecere, Hedvigem Wilhelmo Austriæ Duci ab Ludovico desponsam primo quovis tempore in regnum venturam, modo Optimates jurejurando fidem suam interponerent, se filiam, ubi regio diademate redimita fuerit, matri in Hungariam remissuros, ut triennii spatio, quoad curæ reipublicæ idonea adolesceret, ab regina instrueretur. Quid Elisabetham huc consilii adduxerit, apud neminem scriptorum reperio, illud constat, Polonos, quia ea tergiversatione suas destinationes magis convelli, quam firmari viderent, nihil, quod ad summam rei faceret, respondisse, sed visuros se, atque ad universos regni ordines in futuro conventu, quem Siradiam indixissent, de ea re prolixe relaturos. (14)

Conventum propterea generalem celebrant

Confluxere ad præstitutam comitiis diem magna frequentia Proceres, quibus, quamquam non vocatus Ladislaus quoque Opuliæ Dux, haud modicam obtinendi regnum spem alens, se se adjunxit. Relata ad Patres Elisabethæ sententia, acerrima voluntatum, odiorumque exorta est dimicatio, quod potior ordinum pars in Semovitum Massoviæ Ducem conspirarent, ceteri, quamquam Hedvigi studerent, silentio tamen aliorum vota probare, omnes autem ab Wilhelmo, Austriæ Duce, magnopere abhorrere viderentur. Ad extremum sic disceptantibus convenerat, ut Hedvigis Semovito Massoviensium Duci manum cum dotali regno offerret, ita partium studia sin minus conciliari, sopiri certe posse, quoad rex auctoritate sua rempublicam diserimini per se se eriperet. Ea sententia postquam plerisque tutissima visa est, repente Ladislaus Oppoliæ Dux intercessit, gravissimaque oratione vetera pacta, quibus se vivo Ludovico per jusjurandum Hungariæ obstrinxerant,

Sententiæ & voluntatum studia discordes

violatum iri questus, Semoviti partes infirmabat, ut maxima Procerum pars, quod prius statuere, in tabulas publicas minime referri oportere arbitrarentur: vicit tamen concurrentium Nobilium frequentia crescendo tumultu, quam habendæ consultationi aptior. Ex his ne novas turbas darent, Bodzanta Gnesnensis Archiepiscopus, ut erat corona stipatus, vocem, ut audiri ab remotioribus quoque posset, attollens quærebat, num Semovitum, Massoviæ Ducem, vellent, juberentve Poloniæ regem coronari? quibus confusa vociferatione lætum acclamantibus, sed paullum post, ut fere in vulgo fit, conticescentibus, Joannes de Tarzin Voynicensis Castellanus, vir gravis, magnæque prudentiæ, adstantes compellans, nihil sibi in præsenti consultatione periculosum magis videri, quam festinationem, affirmabat, quæ, ut ex contrario voluntatum studio temere orta esset, ita diuturnam pœnitentiam cum certa regni pernicie post se necessaria consecutione tractura videretur. Neque enim tam obsoletam esse præteriti temporis memoriam, ut recordari non possent, publicis tabulis alterutram Ludovici filiam ab se regni heredem scriptam esse, quam prærogativam cum Elisabetha pro suo arbitratu in Hedvigem transferre velit, lecto alio rege non modo jus nobilissimæ virginis graviter violaturos, sed toti etiam regno, cujus nomi-

(14) Dlugoss. Hist. Polon. Lib. X

Annus Christi 1383.

nomine, & fide interposita, pactorum tabulas olim firmassent, turpissimam levitatis, & perfidiæ notam inusturos esse. Tum illud quoque in mentem venire debere, quo animo Hungari spretæ Hedvigis dedecus laturi essent: non illis modum, aut normam defuturam, quibus tam levem inconstantiam vindicaturi eant, qua rectè regnum præpropius incommodaturos, & fero, nec nisi ingratus, ad id cogendos esse, quod modo sponte, & cum laude amplecti possent. Itaque, nisi aliud Proceribus videretur, sibi eam sententiam stare, ut Hedvigem ad capessendum regnum ex Hungaria advocent, jungendam viro, qui Optimatibus se se maxime probaret. Hæc reginæ per oratores referri oportere: & ne supervacanea, ut hactenus, protelatione Polonorum vota morari posset, tempus quoque præstituendum esse, intra cujus intervallum filiam se transmissuram polliceatur. Id si effectum non daret, tum de Semovito, aut, si mallent, alio in solium evehendo consilia, studiaque conferre, fas Ordinibus integrumque esset. Ea sententia a factiosis quoque collaudata placuit, Semovito electionem differri, & quid sancitum fuisset, cum oratoribus Hungaris communicari. Itaque vocato Vesprimiensi Episcopo, cujus primæ in ea legatione partes erant, quibus calumniantibus ad id tempus regnum ob tam diuturnam vacationem actum fuisset, prolixe commemorant, se quidem jusjurandum, quo se Lodovico, ejusque filiabus obstrinxissent, intemeratum hactenus servasse; alius tamen religione non ita teneri, ut spe toties frustrati regnum in extremum discrimen adduci pæne prudentes pati cogerentur. Itaque Hedvigem, ut Elisabetha statuerat, reginam ab omnibus agnitum iri, si ad Pentecostes festum Poloniam ingressa, se, quod ad jungendum sibi matrimonio virum attineret, in Optimatum arbitrio futuram, tum recuperaturam, quidquid a regno per hostes avulsum fuisset, edito Sacramento fidem faciat. Sin minus, regem sibi aliunde postulaturos, qui rempublicam ab interitu vindicaret. (15)

Conciliantur certis conditionibus

Nicolaus cognito rem huc addactam esse, unde, si mora paullum longius protraheretur, primus ad jacturam nobilissimi regni gradus fieret, bona a Polonis gratia impetravit, ut Sandivojus Calissiensis Palatinus, quem Hungaris ante alios studiosum usu compererat, ad Elisabetham mitteretur. Is magnis itineribus intra paucos dies ad reginam veniens, quanto in periculo Hedvigis res versentur, explicat, facileque persuadet, ut se se itineri cum filia accingeret. Venitur Cassoviam est, unde Siradiam ad præstitutum diem appropinquari commodum poterat, nisi pluvium præter morem cœlum viam impeditissimam fecisset. Itaque Sandivojus, impetrata ad id venia, Sandecum, ubi Optimates Poloni magna frequentia Elisabethæ præstolabantur, advolat, quid illorum gratia fecisset, edocet, reginam cum Hedvige itineris molestia, & discrimine territam Cassoviæ teneri: venturam tamen cum vitæ periculo, si id Proceres reipublicæ interesse pervasum haberent. Humanitate, & muliebri metu victi plerique Cassoviam ad reginam contendunt, ex his Cracoviensis, Sandomiriensis, Posnaniensis, & Calissiensis, Palatini præcipuæ dignitatis & auctoritatis. Habito cum Elisabetha conventu, antiquare conditiones placuit, quas Siradiæ in comitiis condiderant, & in earum loco alias substitui. Ita litteris consignatas reperio: Hedvigis ad festam divo Martino lucem bona fide in Poloniam mitteretur: virum neu acciperet, nisi consultis regni Ordinibus: si improlis obiret, jus Poloniæ Maria soror ex asse habeat, qua prærogativa in solidum, si Maria sine liberis decedat, Hedvigis vicissim in Hungaria gauderet. (16)

De quibus Elisabetha certior reddita, in Poloniam cum Hedvige filia properat.

Sed itineris mole filia prohibetur

Proditum memoriæ est, nec vana fide, Proceres de industria Hedvigis in Poloniam adventum remoratos, ac ad aliud tempus distulisse, ne Semovito, quem potiundi regni spe actum, vi rapturum Hedvigem rumor ferebat, tam nobilis præda in manus incideret. Atque is, postquam quæ Cassoviæ acta erant, per exploratores intellexisset, frustraque clandestinas moliones ab se tentatas, ad vim apertam studium, & consilia traduxit. Collecto celeriter exercitu signa in Cujaviensem provinciam infert, qua brevi tempore potitus Comitia Siradiam Proceribus indicit, venturis libertatem, honores, munera pollicetur, qui contra imperium abstinerent,

Inde Masoviensis Dux occasionem capit res novas moliendi.

X 2 for-

(15) Dlugoss. Hist. Polon. Lib. X. Annal. Reg. Hung. Pars III.

(16) Idem ibidem.

Anno Christi 1383.

fortunarum jacturam, & vastitatem comminator, universum orabat omnes, ut reipublicæ causa convenire non intermittant. Preces, quamquam armatas plerique Optimatum aspernati sunt, unus Bodzanta Gnesnensis Archiepiscopus cum paucis ex militari ordine viris ad condictam diem Siradiæ adfuit, rogatusque sententiam Semovitum in Prædicatorum claustro regem promulgat, corona quoque recens promulgatum ornaturus, nisi plerique ex majori Polonia acriter obstitissent. Ea repulsa vehementer irritatus copias majori Poloniæ infudit, captisque vi, aut deditione oppidis, hostium more in fortunas, & agros promiscue grassatur, quodque ferendum minime erat. Glogoviensi quoque Duci, ut vetera jura armis recuperare belloque fortunam experiri vellet, auctor fuit. Tot malis pæne oppressa major Polonia, Cracoviensis, & Sandomirensis provinciæ opem implorabat, cujus Proceres, ne eadem belli flamma implicarentur, cum Semovito per litteras egere, ut fœdus quam posset honestis pactis conficeret. Actum ultro citroque fuit magna contentione, propeque erat, ut belli furor acrius recrudesceret, quod Semovitus obsidionem, quam Calissiensi urbi circumdederat, solvere nullo pacto velle videretur. Ad extremum precibus Gnesnensis Archiepiscopi, copiisque domum deductis, placatus, inducias ad festum S. Michaelis haud invite Polonis concessit. (17)

Cui Sigismundus Marchio opponitur.

Verum haud paullum post Sigismundus Marchio, qui laboranti Poloniæ ab Elisabetha in suppetias missus erat, adducto duodecim millium exercitu intercepit. Superatis Alpibus, quæ Poloniam ab Hungaria dirimunt, primus castra ad Sandecium constituit. Habebat in comitatu Demetrium Strigoniensem Archi-Episcopum, qui adolescentis consilia, & belli rationes sua prudentia temperaret. In indulta paucorum dierum militi quiete, Proceres, ut Sandecium venire ne gravarentur, per litteras, nunciosque invitat, esse, quas cum iis communicatas vellet, res ancipitis in utramque partem momenti, neque ad liquidum, nisi in commune consulerent, duci posse; si tergiversarentur, per se se non stare, quo minus copias Hungaricas Sigismundus pro reginæ imperio in mediterranea Poloniæ deportet. Adfuere magno numero, cumque quæstio in medium proponeretur, standumne, quas imprudente regina pepigerant, induciis esset, an contra bellum in Semoviti ditiones transferri placeret, distractæ in partes sententiæ sunt, quod non nulli, dum induciarum tempus laberetur, abstinendum omnino ab armis censerent, alii nihil inducias morati, quod has Semovitus prior violata fide rupisset, bello ante petendum hominem existimarent, quod ipse, cum primum usus ferret, alioqui obmoturus esset. Itaque decreto bello, auctisque ex Cracoviensium, ac Sandomirensium supplemento copiis, per Radomiensem agrum in Massoviam itum est. Expeditionis fructus intra vastationem constitit, quod Semovitus mite inferioris pugnæ aleam prudens, volensque declinaret. In Janussium, qui alteram Moscoviæ partem imperio tenebat, nihil tentatum, quod novum sacramentum Elisabethæ, ac Hedvigi dixisset. Exinanita igitur Semoviti ditione, ut hostem ad decernendum prælio Sigismundus cogeret, Berstensem urbem, quæ in Semoviti fide erat, obsidione cingit, ductisque operibus prope ad deditionem compulerat, cum Ladislaus Opuliæ Dux, interposita auctoritate sua cavit, Semovitum ab injuriis deinceps temperaturum, nihilque in Poloniam moliturum, si eum provinciæ suæ restitueret. Facilem se Sigismundus præbuit, quod Ladislaum fide in Elisabetham egregie comparatum esse sciret, datisque induciis, præda, ac spoliis onustus in Hungariam revertit. Abhinc Sigismundus, quoad nuptiæ cum Maria coalescerent, Tutoris Hungariæ nomen gessit. (18)

Semo-

(17) Idem ibidem.

(18) Nam in diplomate de anno 1409 ita ipse loquitur: „ Porro ipso Domino Ludovico „ rege ex hujus laboriosæ vitæ certamine in perennis regni patriam translato, & antefata serenissima principe Domina Maria regina ipsius nata in solam paternæ hæreditatis jure succedente „ dum eodem tempore nos ipsius regni „ Hungariæ tutor existendo certis provocationibus in certam Massoviæ exercitum duxissemus. „

Annus Christi 1383. *Reginæ Dalmatiam invisunt*

Semovito in ordinem redacto, curas in Dalmatiam converti necesse erat; quam provinciam quoniam crebro novæ illuc res afferebantur, Elisabetha Stephano Laczkovich Vayvodæ Transilvano curandam dedit. Nova dignitas, quæ hominem in fide confirmare debuerat, ad conjuratorum partes sensim traduxit. Postquam enim in Dalmatiam Augusto mense advenisset (19) ratus, se propterea Bani honoribus ornatum, ut ex dignitatis gradu, quam in Transilvania prius obtinebat, detruderetur, inita pedetentim cum Joanne de Palisna consuetudine, primus omnium ex Hungaris fuit, qui repudiato reginarum imperio, consilium de evocando Carolo Neapolitano rege cum conjuratis agitaret. Quo minus concepta clancu-lum seditio in apertum hoc anno erumperet, reginarum adventu effectum est. Nam Elisabetha, ut præsentia sua turbarum fontem caputque obturaret, cum Maria & Hedvige filiabus magno Antistitum, Procerumque comitatu stipata, in Dalmatiam properabat, Jadramque Mense Octobri applicuit (20) Divina per provinciam fama, castrum Auranæ, quod prius ex Palisnæ consilio obedientiam detrectaverat, ad fidem rediit. Joannes ordinis Prior, postquam præfectura privatus, bonisque hasce subjectis exauctoratus fuisset, iras Mariæ veritus, ad Tuartkum Bosniæ regem secessit, a quo cum liberaliter acceptus esset, satis intellexere Hungari, quo animo rex adversum reginas comparatus videretur (21). Dedito castro, Elisabetha eodem quo Jadram comitatu pervenerat, Auranam invisit, rebusque pro temporis, & loci habitu constitutis in exitu Novembris Hungariam incolumis tenuit.

1384. *Redeunt Legati a Polonia accepti, quæ de causa hi venerunt.*

Interea tempus, quod Elisabethæ præstitutum fuit, ut Hedvigem in Poloniam mitteret, contra initas pactiones elapsum est. Ea reginæ oscitantia, an socordia Proceres Polonos ac inprimis Sandivojum mire sollicitum habuit, ne sibi, qui ceteris ad ineundas cum regina conditiones auctor fuisset, invidiam cum periculo conflaret. Quare impetrata venia nobilissimos Optimatum filios secum ducens in Hungariam properat, (22) factaque conveniendæ reginæ copia, quantum in cunctatione periculum esset, aperte, graviterque explicat, obtestatur, ne suam, ac aliorum procerum, quibuscum pacta Cassoviæ inierat, fidem, dignitatemque toti regno despicabilem faciat, rem tam ancipiti loco versari, ut nisi Hedvigis Polonos sua præsentia recreet, penitus conclamata videri possit. Ageret igitur, & regni totius vota, suo filiæque irreparabili damno, morari ne velit: spondere se omnium nomine, ut primum diademate insignita, regnumque, quod hostium incursionibus, ac domestico factionum studio vehementer labefactaretur, in ordinem redactum esset, Hedvigem continuo in Hungariam remissum iri, quoad viri patientem, ac matrimonio idoneam exist maret. Si dictis fidem habere cunctaretur, se eorum, quæ pollicitus esset, primi ordinis Nobiles, Optimatumque, quorum nomine venisset, filios obsides relinquere, itique majorem in modum rogatam velle, ne filiæ juribus prudens, volensque officiat: prona sibi esse omnia, & quod cunctatione peccatum fuisset, celeritate sarciri posse, modo velit. Ad quæ cum Elisabetha ambigue, neque satis apposite respondere videretur, Sandivojus incassum suam industriam collocatam esse videns, etiam insalutata regina in Poloniam remeare statuit. Quod ubi certis indiciis ad Elisabetham allatum est, verita, ne is cum castro Cracoviensi ab suis partibus secederet, Jacobum Tarnovium Sandomirensem Castellanum præmonet, qui huic periculo caveret: verum ille magnis itineribus usus prævolarat, arceque in fidem recepta, conatus reginæ frustratus est. Abhinc iræ femineæ in nobiles juvenes, quos obsides Sandivojus adduxerat,

 exer-

(19) Paulus de Paulo in Memor. „MCCCLXXXIII. die I. Augusti applicuit Jadram Banus, videlicet Dominus „Stephanus Laczkovich.„

(20) Idem ibidem.

(21) Hist. Zagrab. pag. 138

(22) Dlugossus quidem habet, Reginam a Sandivojo Jadræ conventam. Sed cum id Paulus de Paulo ibidem, tum præsens non consignarit, & reginam eodem anno Hungariam repetisse memoret, Dlugossus autem anno 1384 hanc legationem obitam fuisse scribat, credibile est, rem omnem in Hungaria transactam esse. Quod utrinque tam longinqua ratio utrumque confirmat.

Anno Christi 1384

In Hedvigis loco Sigismundus parum auspicata fortuna in Poloniam mittitur

exertæ, omnesque, quamquam Hungaræ Optimates peraviti erant, in custodiam datis. (24)

Tam illiberale factum Poloni, ut par erat, graviter tulere, indeque Lelovium convenerunt, pæne omnes in eam sententiam conspirarunt, ut ad legendum regem ruptis obicibus, qui ex Hungaria obtenderentur, animum, & consilia serio converterent. Id tamen religionem plerisque injecit, ne ob violatum sacramentum, quod Ludovico olim, & Hedvigi recens dixissent, perjurii labe sese inquinarent. Quare collatis sententiis placuit Legatum rursus ad Elisabetham mitti, qui si re infecta rediret graviter cauturus ne qua deinceps ad eam legatio fieret, neve quis publice, aut privatim reginam conventurus in Hungariam adiret. Misere Ukelskium hominem obscuro genere natum, ut ea re exulcerati, & offensi animi indicium speciemque palam proferre viderentur. Is, postquam Budam venit, & loquendi copiam nactus est, ut erat militarem magis, quam aulicam facundiam edoctus, citra ambages edixit, Polonæ Optimates jure jurando se obstrinxisse, nisi Hedvigis octava Maji in regno adesset, sibi de capite aliunde accersendo consulturos in illius arbitrio esse, utrum malit, se postremum fore, qui mandata ad eam perferret. Esse præterea quod reginam magnopere oratum cupiant, ut ab ludibriis, quibus in Polonos parum graviter usa fuisset, abstineret; neque enim has injurias Optimates dehinc patienter laturos esse, quas nullo suo merito hactenus tolerassent. Commota tam aperta oratoris denuntiatione Elisabetha paucis respondit, se, quod e re futurum esset, cum suis diligenter deliberaturam, concilioque, qui adfuere, Proceribus post rogatas, & disceptatas in omnem partem sententias, visum est, Sigismundum Marchionem, militaribus copiis instructum, in Poloniam mitti oportere, qui, quoad Hedvigis capessendo imperio par esset, vicaria potestate regno præsit, & nutantes in fidem auctoritate, metuque confirmet.

Induciis tamen Hedvigi impetrant.

Consilium quamquam non pessimum, eventus in exitu destituit, cum enim Poloni, quid in Hungaria decretum fuisset, ex Legato rescissent, & a Sigismundo, quod Bohemis, quam sibi faventiorem alias experti essent, vehementer abhorrerent, ad hæc impatienter quoque ferrent, huc se adductos esse, ut Præfectis ex Hungarorum, & matronarum arbitrio datis, parere cogerentur, conflato brevi tempore exercitu Sandecium coeunt, ut vim, si quam Sigismundus apparare meditaretur, armis propulsarent. Pervenerat is jam Lubloviam secundis castris, Poloniam perendie ingressurus, cum obvium fecialem habet, qui Procerum nomine vetuit, ne iis invitis porro promoveat, neque regem, neque gubernatorem a quoquam habitum iri; qui si militem Poloniæ inducere pergeret, eum ingressu armata manu prohibituros. Terruit hoc nuntio gradum repressit, missisque Sandecium Legatis, orabat, ut Proceres ad se inviserent, esse complura, quæ ex Elisabethæ imperio cum iis communicata oporteat, fecitque publicis litteris fidem, si qui venire non graventur, indemnes omnes redituros. Missi Calissiensis, & Cracoviensis Palatini, tum Castellanus Sandomiriensis, quibus tractandi cum Marchione potestas in solidum data. Sigismundus, ut primum in castris Hungarorum adfuere, summa honoris significatione acceptis, causam sui adventus breviter explicans monebat, ne copias militares, quas secum adduxerat, ad inferendam vim, sed propulsandum potius periculum, si quod regno ingrueret, spectare existimarent. Ceterum ob id se ab Elisabetha præcipue missum, ut tempus, Hedvigi præstitutum, ad Pentecosten differre vellent: darent id reginæ precibus, quæ, tametsi ea in re Polonis gratificari maximopere cupiat, ob graves tamen, & multiplices causas prohibeatur, ut sententiam commutet. Probatum iri omnia proceribus, ubi momenta, quibus huc consilii adducta esset, intellexerint. Polliceri se, Hedvigem, ut receperat, ad Pentecosten in Polonia adfuturam, cum qua de regni rebus pro suo arbitratu liberrime deinceps statuere possent. Mitigatis hac oratione animis, ac Sandivojo ob datam obsidum liberandorum spem, quos regina detinuerat, in suas partes traducto, facile persuasit, ut pollicerentur, se

omnium

(25) Dlugoss. Hist. Polonæ Lib. X.

crerum ordinum nomine tempus Hedvigi ad Pentecosten prorogaturos. Ita conditis rebus sine maleficio utrinque discessum est. (24)

Annus Christi 1384. Maria novus conjuratorum fluctus percussa.

Sed ut hac parte res satis tutæ videri poterant, ita in Dalmatia turbarum sese nova in dies semina explicabant. Stephanus Laczkovichius, quem ex Vayvoda Transilvaniæ, Banum Dalmatiæ, ac Croatiæ creatum super indicavimus, spreto Elisabethæ reginæ imperio, aperte Joannis de Palisna factionem sequutus, maritimas, ac mediterraneas Dalmatiæ urbes exemplo suo tracturus erat, nisi Maria, indicata mature perfidia, hominem Magistratu privatum, exilio mulctasset. In illius loco vicariam potestatem exercere jussus Thomas Templarium Comes S. Georgii, vir multo rerum usu exercitus, &, quod tempora illa præcipue poscebant, intemeratæ maximeque in periculis constantis fidei. Facile cognitum est, quo loco res illhic versarentur, quando nec imprudens suspicio erat, Banum sine focus, & capite attentati sceleris unquam illo dementiæ venturum fuisse, nisi aliquem in quo, si res aliter caderet, spem impunitatis tuto posset ponere, multo ante nactus fuisset. At quis is esset, aut quos præterea clandestini facinoris comites sibi adlegisset, prorsus obscura res, & plena periculi fuit. Neque enim de Carolo, quem nuperrime copiis, & militari stipendio, quo Neapolitanum regnum adversus Ludovicum Andegavensem tueretur, adjutum ibant, quidquam suspicionis vel eminus objectum erat. Quamobrem metus non de nihilo Mariam habuit, ne mali contagio ad Hungariæ quoque Proceres fortasse propagata fuerit; quæ res & difficilem, & periculosam prorsus regni administrationem reddidura erat. Igitur si quid subesset, pro temporis habitu dissimulare, captare faciles omnes alloquio, qui potentia, & auctoritate in vulgus valerent, exornare Magistratibus, partiri honorum gradus, exquirere consilia, seque, ut eorum potius arbitrio, quam sua potestate respublica regi videretur. Ad hæc, ne quid ad conciliandos firmandosque animos in fide prætermitteret, prærogativas, & libertatum immunitates, quibus gentem regnumque reges antea liberalissime donarant, ad Patris exemplum, quem eo beneficio magnam ab omnibus gratiam iniisse compererat, novis litteris, præsertim, quod id Proceres missis nuntiis rogarent, non invita confirmavit. Non erit supervacaneum, si eas annalibus inseramus, quoniam & locus id postulare videtur, & quædam complectuntur, ex quibus res illorum temporum illustrari possint. (25)

Immunitates Hungariæ Proceribus edito confirmat.

„ *Maria Dei gratia regina Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Omnibus*
„ *Christi fidelibus tam præsentibus, quam futuris præsentium notitiam habituris salutem in omnium Salvatore. Ea quæ reipublicæ, seu communis boni gratia commodo respiciunt, tenemur aspicere consideratione gratiosa, quo Ursinus Excellentiæ regalis culminis tanto solidatur felicius, quanto principatus sibi subjectos optatæ pacis præsidiis duxerit confovendos. Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod serenissimo Principe Ludovico Dei gratia inclyto rege Hungariæ, Poloniæ, Dalmatiæ &c. genitore nostro charissimo, volente Domino cœli, cujus nutu omnia reguntur, & disponuntur, absque prole masculina de medio sublato, nobisque successoribus, & ordine geniture, solium, & coronam dicti regni Hungariæ, ac sceptrum regni ipsius genitoris nostri feliciter adeptis, Prælatorum, Baronum, nec non Procerum, ac nobilium regni nostri cœtus, & universitatis identitas, missis ad nos, & inclytam Principem Dominam Elisabeth, eadem Dei gratia reginam Hungariæ, Poloniæ, Dalmatiæ &c. genitricem nostram charissimam, eorum nuntiis, nobilibus scilicet viris, Paulo Laterato de Padverzye, & Dionysio, filio Dominici de Ossopou exhibuerunt nobis quasdam litteras privilegiales ejusdem genitoris nostri, alias litteras Illustrissimi Principis Domini Andreæ - - (26), Belæ regis filii, olim inclyti regis Hungariæ, avi, & prædecessoris nostri piæ recordationis super libertatibus ipsorum Baronum, nec non Procerum, & Nobilium*
„ *regni*

(24) Idem ibidem.

(25) Exstat in Corpore juris Hungarici.

(26) Exemplar anni 1696, quo usus sum, habet tertii. Sed error hic corrigendus est ex ipso Diplomate, cum diserte Belæ filium nuncupet Andreas enim III. Stephani, qui Belæ IV fuit posthumus, non item Belæ III. filius erat.

Annus Christi 1384.

regni nostri confectas, juste confirmatione continentes, tenoris, ac continentiae per omnia infra scriptae. Supplicantes nostrae serenitati precibus humillimis, & devotis, ut memoratas litteras privilegiales ipsius genitoris nostri de verbo ad verbum praesentibus inseri, & transcribi facientes, simul cum libertatum articulis tam per ipsum Dominum Andream regem, quam etiam genitorem nostrum ipsis datis, & concessis, & in tenoribus earundem expressis acceptare, approbare, ratificare, & innovantes nostro dignaremur privilegio perpetuo confirmare. Tum insertis Ludovici parentis, Andreaeque regum diplomatibus, ut alias a nobis memoratum est, in haec verba concludit. *Nos itaque praemissis supplicationibus memoratorum Praelatorum, Baronum, Procerum, & Nobilium regni per (dictos) eorum nuntios nobis porrectis favorabiliter exauditis, memoratas litteras privilegiales paternas quoad omnes earum continentias, & clausulas acceptamus, & approbamus, ratificamus, & nostro praedictis Baronibus, Proceribus, & Nobilibus regni nostri privilegio perpetuo confirmamus. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam, praesentes concessimus litteras nostras privilegiales, pendentis, & authentici sigilli nostri duplicis munimine roboratas. Datum per manus Reverendissimi in Christo Patris, & Domini Demetrii, Divina miseratione Tit. SS. quatuor coronatorum, sacrae sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteri Cardinalis, ac sanctae Strigoniensis Ecclesiae Gubernatoris perpetui, locique ejusdem Comitis similiter perpetui, ac aulae nostrae fidelis Cancellarii. Anno Domini MCCCLXXXIV, decimo calendas Mensis Julii, regni autem nostri anno tertio. Reverendis, & venerabilibus in Christo Patribus eodem Domino Demetrio dictae sanctae Strigoniensis Ecclesiae Gubernatore perpetuo, Ludovico Colocense, Petro Jadriense, Ugolino Spalatense, & Petro Ragusiense, Archi Episcopis. Emerico Agriensis, Paulo Zagrabiensis, Paulino Transilvaniensis, Valentino Quinque Ecclesiensis Decretorum Doctore, Joanne Varadiensis, Gulielmo Jaurinensis, Budino Vesprimiensis, Joanne Chanadiensis, Petro Vacensis, Joanne Sirmiensis, Fratre Dominico Nitriensis, Paulo Tininsis, Demetrio Nonensis, Crisogono Traguriensis, Mattheo Sibinicensis, Benedicto Pharensis, Jacobo Makarensis, Michaele Scardonensis, & Thoma Jeguensis, Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus, Corbaviensi sede vacante. Magnificis viris Nicolao de Gara regni nostri Palatino, & Judice Comanorum, Ladislao Wayvoda Transylvano, & Comite de Zolnuk, Comite Nicolao de Zech, Judice Curiae nostrae, Stephano de Landva, totius regni Sclavoniae, Stephano filio Philippi de Machow, Themplino de S. Georgio Dalmatiae, & Croatiae Banis, Nicolao dicto Zambo Tavernicorum, Blasio Forgách Pincernarum, Nicolao filio Nicolai de Teleqd Janitorum, Ladislao filio Nicolai de Wessen Dapiferorum, Stephano filio quondam Domini Dionysii Wayvodae, Agazonum nostrorum Magistris, praedicto Nicolao Zambo Comite Posoniensi, aliisque quam pluribus regni nostri comitatus tenentibus & honores.*

Conjecti de advocando Carolo Parvo consilia agitant.

Facile ex his conjicitur, quam diligenter conciliandis sibi Procerum, ac Nobilium animis Maria studuerit, ut si quid ex Dalmatia, cujus indicia neque pauca, neque obscura erant, periculi ingrueret, in promptu essent, in quorum fide, & benevolentia spes suas reponat. Aliter tamen, quam innoxia ceteroquin regina commeruerit, rem cecidisse anni exitus docuit. Initium a viro factum, quem Ludovicus, quoad vixit, summa benevolentia complexus, quamquam ex Italia advectus, neque nobilissimo genere ortus esset, ad maximum, quem sperare, aut consequi dorti poterat, honoris gradum evexit. Erat is Paulus Zagrabiensis Antistes, Joannes de Palisna Auranae Prioris frater, qui cum hujus fortunarum publicationem impatienter ferret, saepeque alias de exauctoranda Maria cum conjuratis egisset, parum illius, quam Deo, & reginae juravit, fidei memor; ut Carolus Neapolitanus primo quovis tempore in regnum accerseretur suasor hortatorque exstitit. Re cum factiosis communicata placuit, ut ipse has, prae ceteris sibi sumeret partes, quod dignitatis, in qua collocatus erat, ratio nullum apud oculatissimos quoque suspicioni locum praeberet. Itaque facile per suasus transfretare in Apuliam, Carolum adire constituit, neque diu moratus viam ingreditur, & ne sceleri larva virtutis deesset, simulato Romam ad limina Apo-

Episcopus Zagrabiensis ad eum Legatus mittitur.

stolo-

Annus Christi 1384

ftolorum itinere, recta Neapolim petit. Pronos nactus apud regem, facilesque aditus, omnium se Procerum nomine, quos feminei imperii tæduisset, venire affirmabat, ut ei regnum offerret, quod ob cognationem generis cum Ludovico magis suum esset, quam quo in Italia potiretur. Neque aspernaturum tam prona in se Hungarorum studia, si utriusque regni rationes contenderet. Illud liberum esse recogitaret, rerum, opumque dives, ditionum ambitu latissimum, & cum paucis Europæis conferendum: hoc Pontificiæ obnoxium potestati, insidiosum, & fallax, studiaque novitate, ac Principum cæde gaudens, quodque ante omnia considerandum sit, si non precario, certe fiduciario jure obtentum. Ad hæc varia esse Italorum studia, ingeniaque, reconditas, & multiplices artes, quas nemo cavere satis potuerit: Hungaris contra animos esse æqui rectique amantes, fidei, si viris pareant, ad pertinaciam quoque tenaces, muliebrem dominationem non tam ex levitate, & perfidia aspernari, quam quod bellorum exercitationi a teneris innutriti, feminea, mollique manu tractari renuant: denique si Italico se Regno abdicare molestum, aut invidiosum sibi videretur, nulla re vetari, quo minus utrumque habenas capessat: esse Hungaris tantum animi, viriumque, ut sociata fœderibus Regna adversus quosvis hostes tueri commodum possint. His momentis Joannes Banus, & Prioris Auranæ nepos, quos anno abhinc jussu Mariæ suppetias regi in Apuliam tulisse narravimus, suum quoque adjecere pondus, ut adeo Carolus inter potiundi spem amplissimi regni, metumque, ne facerrima necessitudinis, amicitiæque vincula violaret, animi dubius hæreret, postularetque, ut sibi de re, quam nec temere amplecti vellet, nec leviter rejicere consultum esset, deliberandi spatium daretur. Morem conjuratorum postulatis gerere suadebant, ipsa cumprimis ambitio, tum ira Pontificis, nuper enim admodum usu sacrorum & communione solemni verborum forma illi interdictum erat: addebat quoque stimulos Gallorum, qui regno inhiabant, æmulatio, & ad hos refrenandos ærarii penuria: retrahebant contra inestimi Hungariæ motus, versatilis, inconstansque Optimatum animus, & uxoris præcipue amor, quæ, tanquam ad exitium ruere maritum præsagiret, precibus, lachrimisque obtestabatur, ne se prudens, volensque perditum iret: futurum enim facile, ut cum motis domi rebus externas appeteret, utroque exutus, mortem, consuetum fere ambitionis præmium, referret. Sic regina virum ab incœptu revocabat. Carolus re multum, diuque deliberata, in hunc modum rationes secum inierat, ut oblatum ab Hungaris regnum accipere quidem, sed firmatis postea rebus Ladislao filio relinquere statueret, ita conjugis amori, & Hungarorum amicitiæ satisfactum iri autumabat. Eam mentem veritus, ne, si illius indicium ad Hungaros perveniret, facti pœnitentia ducerentur, alte, penitusque dissimulans, Paulum Episcopum accersit, redire in Hungariam jubet, orat, quæ usui essent, clam regiis appararet, confirmaret in proposito cæteros, se, ut primum res Siculas composuisset, tempori adfuturum, connisurumque diligenter, ne Hungaros collati in se beneficii pœniteret. (27) His acceptis mandatis Paulus in Dalmatiam revolat, Carolus contra, quæ tam arduo itineri necessaria, & opportuna essent, naviter satagebat.

Carolus Legati rationibus in utramvis partem dubius

Denique postulatis consentit.

Atque hæc tum quidem Neapoli agebantur, in Polonia vero, quæ primum periculo proxima fuere, lætissimo eventu terminata sunt. Tempus, quod Hedvigi ad Pentecosten præstitutum erat, longius, quam aut Elisabetha pacta fuisset, aut Poloni cuperent, trahebatur, coactoque iterum Sandecii conventu omnium suffragio lex rogata est, ne cui in Hungariam eundi deinceps venia, aut potestas fieret. Ita Elisabetham ingratus admittendam Hedvigem cogi oportere, quod toties Optimatum destinationes frustrata fuisset. Eam legem nequaquam ad se pertinere ratus Sandivojus improdentibus ceteris clam in Hungariam contendit, & de iis, quæ Sandecii decreta fuissent, tanta orationis vehementia disseruit, ut regina redditis, quos hactenus detinuerat, obsidibus, filiam in Poloniam transmitti haud gravate pateretur. Lecti sunt Demetrius Strigoniensis, Cardina-

Hedvigis in Poloniam concedit

Y

(27) Turocz loco cit

Anal. Reg. Hung. Pars III.

Annus Christi 1384.

nalis, Joannes Csanadiensis Episcopus, Procerum primi ordinis pars major; militares equitum catervæ haud paucæ, quæ & apparatui splendorem conciliarent, & improvisis casibus, si qui inciderent, sua virtute caverent: addita regia supellex ex auro puro, argentoque, tum vasis gemmatis, pro temporum illorum habitu confecta, æris ferendi vis ingens, ceteraque quæ ad mundum muliebrem attinent, regium in morem tam liberaliter, ut nec infra dignitatem, quæ Ludovici filiam deceret, videretur, neque Polonos ob collata in Hedwigem vota pœnitere posset. Hoc comitatu instructa, & salutata postremum matre, neque enim deinceps eam viderat, iter ingressa, cum primum ad regni limites appropinquare ferebatur, exeunt Polonorum Proceres cum frequentissima nobilitate venienti usque ad fines Hungariæ obviam honoris causa profecti sunt. Deducta Cracoviam, mira omnium consensione, & alacritate idibus Octobris, qui dies apud Polonos Divæ Hedwigi Lignicensi sacer est, regina Patrum scito renunciata, & a Bodzanta Gnesnensi Archi Episcopo magna omnium ex toto regno certatim accurrentium læta, faustaque acclamatione solemni ritu inuncta, & coronata est. Regni cura & administratio, quoad viro jungeretur, teneræ puellæ in solidum commissa. Neque gravatim muliebri imperio Polonia parituri videbantur, sivoque judicio correcturi id, cujus non paucos Hungaros in Maria sorore pertæduisse fama fuit. *Noverant enim ita educatam, atque institutam esse ab annis teneris, ut formam honestas, speciem pudor, pulchritudinem virtuter, gloriam & divitias continentia atque modestia, potentiam mansuetudo antecellerent. Cui etiam raræ eximiæque speciei decorem a natura videbant donatum, doctam insuper litteris, moribus eruditam, decoram non tantum genere, quantum & feminæ dignitate moderatam natura, pudore quoque ingenio singularem. Cui ex munere cœlesti amplior, & magis venustior nullique obnoxia ætati forma contigerat, matrimoniorum unicum decus & ornamentum, pudicitia. In qua minus virtutis numerus ab incunabulis usque instillatus cum lactis nutrimento patebatur: quæ infantiæ annos egressa, ita mature, & graviter sapere cœpit, ut quidquid diceret, quidquid faceret, ex anili gravitate manare videretur.* Hæc Duglossus (28) scriptor Polonus ætati illi proximus, ideoque a nobis deprompta, ut cum hujus, tum aliorum scriptorum seu ostentatiam perstringamus, sive æquanimitatem paullum infra in scribendo desideremus.

Et regni corona insignitur.

Carolo in Hungariam appropinquante,

Dum hunc in modum Hedwigis rerum summam apud Polonos adipiscitur, Maria soror conjuratorum artibus ex solio ad privatam obscuramque fortunam redacta est. Carolus, postquam res siculas complanasset, classemque, quantum satis erat, milite instruxisset, Adriaticum sinum secundo vento emensus, & Jadram, quod fido Hungarorum præsidio teneretur, prætervectus, Segniam incolumis appulit. Acceptus est a conjuratorum Principibus summa lætitia, curatisque a maritimo languore corporibus Zagrabiam deductus. Hic collatis consiliis placuit moram tantisper trahere, quoad didita per regnum fama, quo animo populus novi regis adventum laturus esset, certis indiciis comperiretur. Carolus interea nihil eorum, quæ ad stabiliendum sibi regnum facere videbant, omittere, accurrentes ad se proceres captare, ornare muneribus, polliceri honores, & de muliebrum imperio multa fatietari, ut tanquam aliud agens illas sensim despicatui objiceret, & quo in eas ferebantur, desiderium leniret. Militaris animus, & cogniti vivo adhuc Ludovico mores facile plerosque ex Optimatibus Carolo conciliarant, neque vulgus, quod ex illorum arbitrio fere regitur invitum erat, si eum regem nancisceretur. Itaque nihil in mora futurum conjuratis visum est, quo minus ad capessendum regnum Budam rex proficisceretur. Adventantis fama Elisabetham, & Mariam vehementer metu consternavit, quod neque, cui satis tuto se crederent, in promtu habebant, neque adversus ingruentem vim quidquam in suis præsidii sperarent. Illud in conclamatis rebus optimum facta credebant, si Sigismundus celebratis cum regina nuptiis, spem omnem Carolo ad invadendum regnum præcideret, ita futurum, ut plerique Procerum, qui muliebre imperium rebellioni prætexebant, ad pristinam obedientiam redirent. Qua-

Sigismundus cum Maria nuptias celebrat.

re

(28) Hist. Pol. Lib. X.

re tumultuario apparatu, magisque ex metu, quam amore nuptiæ constantur. Scio has a plerisque scriptorum post captam, & liberatam, Mariam consignari, sed istorum error postea ex diplomatu nullo negotio refelletur. Nisi forte, si vera sit diplomatis, quod Maria edidit, consignatio, matrimonium ad anterius tempus consignandum sit. (29) Ferunt Carolum, ubi de nuptiis nuntium accepit, veritum fuisse, ut sibi res ex sententia caderent, quod Cæsarem non defuturum opinio erat, donec fratrem Bohemicis auxiliis adjutum, dignitati, quam ei Ludovicus destinarat, restituisset. Ita dubium de rei exitu Legati ab Maria missi conveniunt, qui illum nomine hostisne, an amicus veniret, percontarentur? facile intellexit Carolus, reginam quæ adventus sui causas non ignorarat, simulata ea legatione amicitiam præferre: itaque pari arte respondet, amicum se venire, qui civiles discordias bona reginæ venia armis & auctoritate reprimere velit, quibus complanatis & major in administratione rerum securitas, & stabilior apud suos fides illi conciliaretur. Redirent ad sororem suam, ita enim, quo palpum facilius obtruderet, Mariam compellabat, nuntiarentque, bono ut esset animo, se, postquam regno quietem restituisset, sine maleficio Italiam repetiturum esse. Hæc ubi Legati ad reginam retulissent, & Carolus Budam appropinquare nuntiaretur, Elisabetha, ut erat ejusmodi rerum non ignara dissimulato dolore, temporique subserviens, cum filia obviam profecta hominem liberaliter excepit, Budamque summa honoris significatione deducit. In castrum venire rogatus abnuit, sive honoris causa semetis id deferre voluerit, seu ratus sit, haud satis tute earum se arbitrio credere, quas regno privare moliebatur. Sigismundus, qui se a Carolo peti certis indiciis comperit, Buda clam elapsus, in Bohemiam evasit. Non me latet a plerisque scriptoribus eam fugam Sigismundo magnopere vitio dari, quasi parum liberaliter novam conjugem prudens, volensque hosti prodidisset. Sed si rem ex eventu æstimare fas sit, perspicuum est, fugam non tam a metu ortam, quam ut profligatam uxoris causam armis e Bohemia accitis defensum iret. (30)

Altero ab adventu die conjurati populum sensim obire, tum universim rogare, vellentne Carolum Hungariæ regem ab se designari, afferre eum non modo parem dignitati virtutem, sed jura quoque in sanguinis vinculo, quo Ludovico copulatus fuisset, fundatum. Feminas huic oneri impares, intestinis motibus fere causam præbuisse, quos cum neque auctoritate, nec potentia reprimere potuissent, æquum omnino videri, ut illis Carolus sufficeretur. Ita proceribus placere, quibus si suffragia sua conjungerent, futurum, ut pax domestica eorum maxime arbitratu quasi postliminio restituta videretur. Plebs ea oratione mirum in modum capta, incondito clamore, quod Proceres decrevissent, sibi itidem probari affirmabat, & ut vulgus in utramvis partem fere vehemens est, corona primo quovis tempore novum regem exornari postulabat. Conjurati tempore, & favore plebis utendum rati, continuo nuntium ad reginas mittunt, qui omnium nomine significaret: Carolum communi Procerum, populique suffragatione regem designatum. Itaque a republica deinceps abstinerent, si nihil obturbarint, habitum iri rationem regii sanguinis, ut vitam Principibus dignam, privatam tamen, & curis liberam viverent. Maria, postquam in quem locum res adducta esset, intelle-

Anno Christi 1384

Carolus Parvus a factiosis rex designatus

Y 2

(29) In adversariis MSS. D. Adami Rai... Polonensis Cameræ archivarii exstat diploma de anno MCCCLXXXIII. ubi regina in hunc modum loquitur: " Nos " Maria Dei gratia regina Hungariæ &c. " omni eo jure & proprietate quibus ea- " dem possessio Sandecz... per ... nostrasque " prædecessores reginas Hungariæ habita fuit, " & per Tessa ipsis Frank & Sutton, eorumque " hæredibus de manibus nostris regalibus, " ex consensu etiam, ac de beneplacita vo- " luntate incliti Principis Domini Sigismun- " di regis Hungariæ, consortis nostri charis- " simi per modum Cambii dedimus, donavimus &c. Quia autem Sigismundus ante annum MCCCLXXXVII. in nullo diplomate se regem Hungariæ dicat, vereor, ut laudatus Raicharus rarum in autographo rite legerit.

(30) Thuroczi Chron. Parte III. Cap. 4. 5. 6.

Anno Christi 1384.

tellexit, lacrimis oborta, quamquam durum est, inquit, jure quod nascendi conditione, omniumque ordinum consensu adepta sum, ad paucorum postulationem nuntium mittere, tamen, quoniam vobis regnum viri humeris melius, quam feminae incubiturum videtur, nihil moror, ut rem, quam hactenus adduxistis, arbitrio quoque vestro absolvatis. Id unum, si quid de vobis Ludovicus pater meus commeruit, peto, ut mihi salvae & incolumi ad maritum abire sit integrum. His dictis in muliebres ejulatus effusa, loquendi spatium matri dedit; quae, ut erat rerum usu magis exercita, ita vultu ad aequanimitatem composito, nuntium ad regem, proceresque redire jubet, se sine mora venturam referret, isthic, quid apud animum constituisset, citra ambages audituros esse. Simul filia, ut tempori serviret, admonita, paucissimis, qui in fide manserant, stipata in locum, ubi rex cum Hungaris erat, sese inferens, Carolumque sinu complexa, jure regni, suo filiaeque nomine se abdicat, paucis precata, ut id illi felix faustumque eveniret (31)

Et Albam delabitur coronatur

Ea beneficentia, ut incredibilem Elisabetha fortitudinis laudem in vulgus comparavit, ita stimulos Carolo, & conjuratis quoque adjecit, ut coronationem, ex qua vis omnis, & auctoritas in reges nostros manare solet, maturarent. Neque Palatinus comes, & Demetrius Strigoniensis, qui soli fere ex tanto Procerum numero reginae partes sectabantur, ausi intercedere, aut obniti. Itaque decreta Albam regiam profectio est. Carolum cum ingenti Optimatum, populique multitudine praeeuntem, mater cum filia velut in triumphum ductae, sequebantur. Haec facies, ut obtutu ipso ad commiserationem accommodata fuit, ita magnam Nobilium partem, vulgique reginis conciliavit, tacite jam illos accusantium, qui feminas ex felicissimo ad miserrimum statum detrusissent. Hoc apparatu ubi Albam ventum fuisset, recta in Basilicam Divae Virginis, regum inauguratione celebrem (32) itum est: in qua, cum ex sacello, quod sibi humando Ludovicus struxerat, via isthoc duceret, ingens reginarum comploratio oborta fuit, quae dum iconem regis ad illius, qua vivos praecellebat, majestatis decus ex marmore elaboratam, statimque pro tumulo conspicarentur, ad eam, tanquam aram, confugientes, haec virum, illa patrem complexa, lacrimas innumeras ciebant. Inde apud plerosque eorum, quae fecissent, & patrarent adhuc erant, poenitudo consecuta, fere Caroli res afflixit. Cum enim Archi-Episcopus Strigoniensis ritu inaugurationis paene ad finem adducto, coronam manu tenens populum ab ara aversus semel, iterum, atque tertium pro more rogasset, vellentne, & juberent Carolum regem coronari? praeter confessam factiosorum acclamationem nulla gestientis populi vox audita est, nisi quae metu extorta fuisset. Ita Carolus contra jus jurandum, quo se Hungariae, ac Poloniae regna non invasurum Ludovico receperat, nec legum scito, nec libera ordinum suffragatione, sed paucorum, quos perjurii nota infames fecerat, Procerum studio, & factione rex creatus est. (33) Eam ob causam a Dalmatis pro rege nusquam habitum, a codice autem juris patrii Interregis duntaxat nomine dictum constat: cujus auctoritatem si nos quoque sequuti, nullo enim inter reges nostros loco esse patiamur, veniam utique merebimur.

1385. Haud multo tamen post Elisabethae regi nece confodi trucidatur.

Haec nonis Decembribus, & in anni exitu acta, qui ut non undequaque auspicatus Carolo erat, ita sequentis principium prorsus fatale illuxit. Elisabetha enim, quae hactenus miro artificio vindictam dissimulabat, collatis cum Nicolao

(31) Idem ibid. cap. 6.

(32) Eram in ea opinione ut regum inaugurationes jam inde a D. Stephano Albae celebratas fuisse existimarem, sed aliud ex diplomate Ladislai IV. Cognomento Cumani de anno 1274. edoctus sum. Ubi haec habentur: "Nec immerito, cum ipsa sedes " Strigoniensis sanctissimi Patris, & Do-" mini nostri sancti regis Stephani ortu per " protomartyrem praenunciato, decorata, " & sacro baptismate ejusdem sublimata, " regalisque nostri diadematis impositione " exstitit redimita. Quae opinor satis aperte indicant, S. Stephanum non Albae, ut alias putabam, sed Strigonii corona redimitum fuisse. Diploma reperies apud Cl. P. Schmitt Part. I. Epp. Agr. pag. 167.

(33) Thurocz ibid. cap. 7

lao Gara Comite Palatii consiliis, usurpatorem regni e medio tollendum constat. Circumveniendi Caroli partes ipsa sibi Elisabetha sumsit, exequendi autem facinoris provinciam Blasio Forgacs viro forti, & intrepido mandatam Palatino, ut milites in promtu haberet, imperatum. Id ille citra dolum, fraudisque suspicionem nullo negotio effectum dedit, quod postridie ad nuptias filiae, quas dedita opera praetexebat, abiturus palam ferebatur, ad quas cohonestandas, ingenti numero equites ducturum non ignorabant: neque Carolus hominem, quem sibi infensum, regnis contra perdite addictum comperit, moleste ab aula abesse ferebat. Ita comparatis ad vesperam rebus Elisabetha litteras se ab Sigismundo accepisse commenta, ad Carolum, qui ab hunc, quam corona redimitus est, in regio Castro itidem morabatur, fidissimum ex suis mittit, qui eum suo nomine rogaret, uti venire ad se ne gravetur, allatas esse ex Bohemia gravissimi argumenti litteras, quas regni causa cum eo communicatas magnopere cupiat: e re futurum, si, quos a consiliis habet, secum adduceret praeterea, ut, si quid intricatum in iis occurrat, facilius expediretur. Ceterum rem nec moram pati, & illius quam maxime interesse. Carolus, qui regni amissi desiderium ipsa consolatione lenitum ut Elisabetha putabat, paucis Italis comitatus ad reginam venit; cum qua, ubi aliquandiu consultasset, Palatinus ut condictum erat, militibus, quid fieri vellet, breviter edoctis Blasio socio, paucisque, quos honoris causa secum ducebat, Comitibus ad Elisabethae thalamum ingreditur, Caroloque & regina salutatis, postridie Boda se ad nuptias filiae discessurum indicat, eamque ob rem, ut bona utriusque venia id sibi facere liceret, venisse, ne quid se absente in iis, quae ad Magistratus sui rationes attinerent, turbaretur. Regina collaudato, quo in filiam ferretur studio, de industria sermonem protrahere, ac ad communem, ut fit, fabulationem sensim delabi, in qua cum longius proveherentur, Itali, quos Carolus consilii causa adduxerat, supervacaneam suam operam rati, dilabuntur. Hic Palatinus oportunum caedis patrandae tempus conspicatus, oculis, quid fieri vellet, Blasio innuit; qui citra moram educto, quem subtus chlamidem reconditum habuerat, gladio Carolum tam subito, & vehementi ictu perculit, ut frons, qua supercilio proxima est, oculusque inmani, ac letali vulnere hiaret. Eo ictu Elisabetha, & Carolus lumen planxere, hic prae doloris vehementia, illa ob sceleris patrati horrorem: quo paulum post ad vitam revocata, Carolus, quamquam letalem plagam persentisceret, collectis tamen, ut poterat, viribus vestigia, quacunque repebat, sanguine, taboque signans aegerrime in conclave eluctatus est. Interea Palatinus, Blasiusque, postquam ad milites suos evasere, omnes ad castrum regium aditus occupant, Italosque, quoscunque nancisci potuere, interimunt, ne quid indicii de caede ad factiosos intempesta nocte perferretur. Ubi dies illuxit, aucto militum numero per plateas, & compita divagari, caesum Carolum, & Mariam regno restitutam inter festivas acclamationes vulgare, facere impetum in factiosos, & ad necem exquirere; fuissetque ea die de conjuratis conclamatum, nisi Joannes Horvathus, quid Carolo factum fuisset, celeriter edoctus, cum Croatorum turma portam sabbathi, quae hodie Viennensis dicitur, occupasset, spatiumque fecisset reliquis, ut vim, & insidias, quamquam cum summo vitae periculo, evaderent. Dissipata conjuratorum factione, urbeque ejecta in Carolum saevitum est: aegre trahentem animam Visegradum deducunt, ubi, dum teterrimo carceri inclusus, medicina veneno imbuta curatur, exstinctus poenam ambitionis exolvit; quamquam alii idibus Februarii suffocatum malint, eliso faucibus obulse (34) Erat Carolus non ut nostri scriptores communiter memorant, Andreae Ludovici fratris ex Joanna Neapolitana filius, sed Ludovico Principe Dyrrachino, & Comite de Gravina patre natus, (35) quem

Anno Christi 1385

Scriptorum de Carolo Parvo errores

Y 3

(34) Idem ibidem cap. 8

(35) Videor id ex duplici diplomate mihi satis verisimiliter conjicere. Ex iis unum ad annum 1355 alterum ad 1359 retulimus: priore promittit Ludovicus Polonis liberam regia electionem, si ipse sine mascula prole, & Joannes Sclavoniae Dux Stephani fratris filius obiret: altero Rudolphus Austriae Dux pactis cum Ludovico initis Joannem quoque

Anno Christi 1385.

quem ab Ludovico in spem Hungariæ educatum alias memoravimus, sed commutata mox ratione in Italiam ad afferendum sibi regnum Neapolitanum ea conditione traductum, ut jure jurando, nihil se in Hungariam, aut Poloniam molituturum polliceretur, cujus religionem, dum pravorum consiliis circumventus, vilipendit, aliorumque dominationem per nefas invadere nititur, pro regno tumulum reperit.

Elisabetha cæde Caroli ad stabiliendas filiæ res conversa.

Elisabetha postquam a præsentissimo discrimine non nihil respirasset, ad stabiliendum filiæ regnum omnes conatus referendos censuit. Quoniam vero tenue in domesticis præsidium neque satis tutum esse usu ipso compererat, exterorum societatem, amicitiamque sibi adjungendam prudens mulier existimabat. Et Sigismundo quidem per litteras, quid actum interea fuisset, significavit, oravitque, ut, quantis posset copiis a Cæsare fratre instructus, in Hungariam venire maturaret. Wilhelmum vero Austriæ ducem, quoniam id Ludovicum, cum viveret, publicis tabulis cavisse norat, Hedvigi filiæ novo vinculo illigare constituit, rata si Polonos, Austriosque fœderibus sibi externas copularet, nihil periculi Mariæ deinceps constaturum iri. Itaque cum Leopoldo Wilhelmi patre diligenter egit, ut ne ea in re difficilem se præberet, qui & ob amplissimi regni spem, quod filio per Hedvigem obventurum erat, & veteris cum Ludovico consuetudinis causa facile persuasus est, ut Elisabethæ morem gereret, missique Budam Legatos, qui suo, filiique nomine de novo cum Elisabetha rationibus ineundi cum Hedvige matrimonii transigerent. Re utrinque deliberata visum est conventiones, quas Ludovicus olim inierat, novis pactis in hunc modum confirmari. (36)

Hedvigem Duci Austriæ novis conditionibus despondet.

Nos Leopoldus Dei gratia Dux Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ, & Carnioliæ, Comes Tyrolis &c. profitemur, & recognoscimus per præsentes, quod de præsenti, cum illustri, & præclara Domina Elisabeth regina Hungariæ sorore nostra dilectissima de quodam tractatu concordati fuimus super consummatione, & ultima expeditione parentelæ, & matrimonialis contractus, quos alias illustris Princeps Dominus Ludovicus, rex Hungariæ felicis recordationis, & nos cum ipso fecimus, & ordinavimus inter illustrem reginam, puellam Hedvigem, filiam suam, & illustrem Principem dilectum nostrum primogenitum Ducem Wilhelmum, juxta tenorem, & continentiam earum litterarum traditarum super hoc a parte utraque hinc & inde sicque nos promisimus, & spopondimus, promittimus, & spondemus fide nostra mediante, quod quam primum præfatus noster filius ad prædictam suam contoralem adpositus fuerit, & dictus matrimonialis contractus fuerit legitime cum omnibus nuptialibus juxta dictarum harum conventionum expeditum, quod nos tunc uitilate, & prater standem, dum de hoc requisiti fuerimus, prælato nostro filio, Duci Wilhelmo, ad prædictam suam contoralem ipsius maritagium videlicet, ducenta millia florenorum expedire debemus, vel super certis redditibus tradere, & earundem litterarum tenorem realiter assignare. Est etiam inter nos prolocutum, & ordinatum, quod præfatus noster filius dux Wilhelmus præfentialiter, & post mortem nostram, cum aliis nostris filiis & liberis præsentibus, & tunc rebellis, ad justam, & hereditariam portionem omnium nostrarum patriarum, Principatuum, & dominiorum jus habeat patrimoniale, & æqualem cum iisdem proportionem habere debeat juxta jura, & consuetudines Principum præter standem, harum testimonio litterarum. Datum Budæ die XXIX mensis Julii anno Domini MCCCLXXXV.

Sed intercedunt Poloni apud quos multi Hedvigem ambiunt.

Sub idem plane tempus Polonos de adjungendo Hedvigi marito, qui regum dignitatem, & reipublicæ molem, qua par est, auctoritate tueretur, cura, ac sollicitudo incessit. Externum advocare omnibus placuit, ne, si quem ex domesticis ad eum honorem eveherent, æmulatione regnum in partes distraheretur, sed quem, aut unde accerserent, animi pendebant. Semovitus Massoviæ Dux, quod vi, & rapi

que includit. Est autem probabile, si Carolus hic Andreæ Ludovici fratris filius fuit, eum his pactis quoque inferendum fuisse, & Ludovicus successionis jura in Polonum non Joanni solum sed Carolo etiam, utpote qui antea Joanne major fuit, affecturus erat. Adde, quod Sigismundus eum in diplomatibus passim Carolum de Durazzo nuncupet, qui profecto ignorare non potuit, quo patre Carolus natus fuerit.

(36) Refert id CUSPINIAN in Austria pag. 644. atque a Sigismundo de HERBERSTEIN dum Strigonium sub Ferdinando expugnaretur, in arce repertum fuisse

rapta ad has nuptias eluctari alias conatus fuisset, ab hac prærogativa omnino removendus omnibus videbatur: neque Wilhelmo, quem ab Ludovico ad eam spem educatum, alterumque norant, magis favebant, quod ob paternum Principatum, vasto terrarum spatio remotum, longius aliquanto a regno, quam reipublicæ rationes sinerent, abfuturus esse credebatur, nec propulsandis, si quæ ingruerent, periculis Princeps tenuis fortunæ satis virium afferre posset. Eædem prorsus rationes contra Ladislaum Oppuliæ Ducem, qui in spem amplissimi matrimonii itidem adductus erat, faciebant. Ita dubios, incertosque quid statuerent, commodum Legati ex Lithuania occupant, quos Jagello, ipse quoque inter candidatos nomen suum proferri cupiens, ea de causa, ut cum Hedvige regnum dotale peterent, Cracoviam miserat. Oratorum Principes fuere Skyrgello & Borissus, Jagellonis fratres, qui oblatis Hedvigi reginæ, & Optimatibus amplissimis donis causam legationis non invitis regni Proceribus diligenter agebant, quod Jagellonem non modo cum omnibus, qui sibi parerent ad Christiana Sacra transiturum, & Lithuaniam cum Samogitia, ac Russiæ partibus, juri suo obnoxiis, Poloniæ perpetuo vinculo conjuncturum promitterent, sed allatis præterea omnibus paternis thesauris, quidquid ab regno avulsum hactenus fuisset, armis recuperaturum pollicerentur. Hedvigis tamen periode ab Legatorum oratione, ac barbari matrimonio vehementer abhorrebat, sive quod Jagellonem deformi corporis habitu, vultuque illiberalem audisset, sive illi Wilhelmus, cujus moribus in patris aula a teneris consueverat, præ Lithuano carior esset. Neque nullas ea in re partes religio habuit, quod Ludovici jussu inita cum Austriaco sponsione metuerit, ne aut rea violatæ fidei, aut posthumæ patris memoriæ parum reverens esse videretur, si ad alias nuptias animum appelleret. Hæc ut Legatis quoque Proceres responderent, imperavit, adjecitque, sponsionem cum Wilhelmo ducentis florenum millibus, ut pactis conventis staretur, utrinque consummatam, rata, Legatos ea summa territos facile a flagitandis porro nuptiis destituros esse. Verum postquam illi velut de re, multo ante cognita, diserte pronunciassent, Jagellonem æris illius, quantumcunque esset, vadimonium in se accepturum, Hedvigis nusquam præ verecundia effugium inveniens, rem omnem Matris arbitrio dirimi petiit. Visa est omnibus æqua petitio. Igitur Legati cum tribus Poloniæ Optimatibus, in Hungariam profecti, Elisabethæ rem omnem, ut acta Cracoviæ fuisset, nuntiant, & ne se Jagelloni difficilem præberet, orant, ac multiplices, qui in regnum manaturi essent, fructus brevi oratione explicant. Illa quod nuper admodum novis pactis Wilhelmo Austriaco se obstrinxisset, ægre in Legatorum sententiam itura primum existimata est, nec extremum venia, ne Poloni novarum rerum occasionem inde sumerent, non invitam se fore respondit, si id ipsis e republica futurum videretur. Eo responso Proceres, totusque regni Ordines mire delectati, suos quoque Legatus oratores adjungunt, qui Lithuaniam peterent, & Jagelloni, si quas per Legatos suos conditiones pollicitus erat, jurejurando firmaret, reginam cum dotali regno offerrent. Nec invita jam Hedvigis erat, partim matris arbitrio, partim spe gentis ad Christiana Sacra, quorum studiosissimam semper fuisse plerique Scriptores memorant, traducendæ huc adducta, ut animum qui ab Jagellone sæpe abhorrebat, fidei, & boni publici causa ad Procerum voluntatem, & studia componeret. (37)

Annus Christi 1385.

Inter quos præcipuus Jagello Dux Lithuaniæ.

Repugnante ab eo abhorret primum, tum fidei Christianæ studio consentit.

Hæc inter Wilhelmus fama eorum, quæ in Polonia gerebantur, excitus, ne sibi deesset, cum splendido apparatu, & ingentibus divitiis Cracoviam præter omnium exspectationem advenit: sed ejus adventum continuo apparuit inauspicatum fuisse, quod ad reginam salutandam ire parantem Proceres aditu excluderent, veriti ne rem, nuptiarum causa cum Jagellone hactenus adductam, intempestivus amator penitus affligeret. Exclusus in urbe divertit, *conventaque cum eo identidem Hedvigis regina in cœnobio Divi Francisci hac illac ambo suo virorum, & puellarum comitatu stipata, & choream induxisse. Quin fama etiam seu vera seu falso vulgatum est, eam consummandi cum ille matrimonii prius, quam Jagello veniret, tanta cupidine flagrasse, ut, cum ille thalamo ejus, arceque arceretur, ipsa portæ arcis claustrum effringere, & in urbe optatis nuptiis cum eo defungi tentarit, nisi* Demo-

Dux Austriæ, ut suam persequatur, in Poloniam contendit.

(37) Dlugoss Hist. Pol. Lib. X.

Anno Christi 1385. Polonorum sermo de Hedvige hallucinatio.

Demetrius Poragus thesaurarius regni ei dissuasisset. Cumque ab optimatibus eorum, qua Jagellonis causa prius pollicita esset, leniter admoneretur, et nupturam se non esse prae se ferebat Wilhelmi amore capta, cui se a patre desponsam esse, eodemque lecto parvulam cum parvulo cubasse asseverabat. Haec Cromerus, (38) & illi paene similia Longinus: sed eorum, quae prius in litteras retulere, parum omnino memores: quae enim tam pudice a matre educta fuit, ut ab ipsis incunabulis omnes virtutes cum lacte suxerit, cujus pulchritudini maximum decus, ac ornamentum adjecerit castimonia, quaeve teneros annos egressa, ita probitate morum praecelluerit, ut quidquid ageret diceretve, ex avita gravitate manare videretur, quod uterque scriptor disertis verbis affirmat, haud scio an cuiquam persuasuri sint, hanc intemperatam virginem, & reginam delabi potuisse, ut generis sui, verecundiae, dignitatis, & decori publici tam impudenter oblivisceretur. Ego ita existimo, Wilhelmum ob veterem morum consuetudinem, & elegantiam Hedvigi prae Jagellone semper chariorem fuisse, sed postea, quam cum fidei, tum regni causa animum ad nuptias Lithuani applicuisset, ita temperasse amorem, ut Austriacus desperata re, & quia se adversantibus Procerum studiis albo versari intellexerat, occultissimis itineribus Polonia excesserit. Illud constat, Wilhelmum usque ad Hedvigis obitum caelibem vixisse, seu amore in reginam (*neque enim pro ea tempestate in universo orbe gratior existimata est in pulchritudine habuisse* (39) sive religionis causa id factum est.

1386. Jagello in Poloniam profectus.

Jagello postquam legationem ex sententia confectam audisset, quo certior de splendidissimo matrimonio fieret, ingentem secum auri vim ferens, in fratrum suorum, ac Optimatum comitatu Poloniam versus iter principio sequentis anni instituit. Lublinense oppidum ingressus de industria aliquot dierum moram traxit, ut quo eventu fama de se apud Polonos vulgaretur, intelligeret. Hic praeter Palatinum Cracoviensem paucos ex Optimatibus salutationis causa obviam habuit, quod ceteri ad Hedvigem, ut eam in proposito confirmarent, ingenti numero affluxissent: quae quamquam barbaro nubere fidei & regni propagandi causa jam ante constitutum haberet, temperare sibi tamen non potuit, quin Zavissium, magnae apud Polonos auctoritatis virum, & quo in rebus arduis fere utebatur, ad Lithuanos praemitteret, qui clam explorata Jagellonis forma, vultuque, sibi quae vidisset, bona fide referret, diserte cavens, ne quidquam muneris ab Duce acciperet. Anxiam inter spem, metumque reginam Zavissius paullum post redux mirifice recreavit, cum Ducem forma quidem mediocri, vultu tamen hilari, nec penitus illiberali praeditum, moribus autem gravem, &, quae Principem decent, virtutibus conspicuum esse retulisset. Neque haec imprudente Jagellone fiebant, qui ne sibi deesse videretur, facto per Sandomiriam itinere pridie idus Februarias Cracoviam ingenti pompa ingressus, Hedvigem in thalamo suo cum frequentissimo virginum, & matronarum numero considentem salutavit. Ferunt, hominem, ubi coram regina constitisset, ita in ejus elegantiae & majestatis contemplatione absorptum fuisse, ut oblatis splendidissimis muneribus paene sui, & illius, cujus causa venisset, rei immemor pauca admodum loqueretur. Altero ab adventu die in maxima totius regni Procerum frequentia sacris undis per Gnesnensem Archi-Episcopum ablutus, & Wladislai adeptus nomen Hedvigem conjugem cum dotali regno obtinuit. Ita Poloniam, quam Ludovicus reginae pater pactis conventis sibi asseruerat, post quindecim annorum spatium filia per nuptias ab Hungaria rursum avulsit.

Et sacro fonte ablutus Hedvigem cum dotali regno accipit.

Maria regina cum matre novo periculo capitur,

Dum hunc in modum rerum summam apud Polonos Hedvigis adipiscitur, Maria soror summum vitae discrimen adiens regno paene exturbata est. Carolo, ut supra memoratum est, caeso, factiosorum Principes ad sumendam vindictam animum curasque convertebant. Ex his tres praecipuae inter illos auctoritatis, omnes Joannis nomine insigniti fuere: Banus Machoviensis, Prior Auranae, sed praefectura dudum ante uterque exutus, & Horvathus, qui alias Hericarth audiebat, male-

(38) Rerum Polon. lib. XV. (39) Idem ibidem.

moleque a nonnullis cum primo confunditur. Hi conflato ex facinorosis, exercitu, Ladislai nomine, qui cæsi Caroli filius fuit, ac postea ad capessendam Hungariam ex Italia evocatus, Dalmatiam & Croatiam impune circumvolitabant, eorum fundis, qui in Mariæ obsequio, ac fide perstiterant, ad vastitatem omnino redactis. Quæ res cum reginam mire sollicitam haberet, per se se malo mederi cupiens profectionem in Dalmatiam decreverat. Viæ comitem se illi Elisabetha mater adjunxit, & primores ex Hungariæ Optimatibus: in his præcipuo loco fuere Nicolaus Gara regni Palatinus, tota pæne, quæ latissime patebat, familia, & magno clientelarium numero stipatus tum Blasius Forgacsius, idem ille, qui Carolo letale vulnus inflixit. Horvathus, postquam de itineris ratione per familiares suos, quos in aula habuerat, edoctus fuisset, conflata ex Croatis non temnenda militum manu aptum insidiis locum eligit, & propediem affutura, pericalique ignaris præstolatur. Ventum erat sine maleficio ad Gara oppidum, cum scelestissimus ex insidiarum loco cum suis eum pene nil tale opinantes, ex improviso aggreditur ac Blasium quidem, qui primus, detectis insidiis, defensioni se accinxerat, hasta transverberatum humi prostravit, tum in ceteros, præcipue Palatinum, factus impetus. Is sub initium tumultus equo desiliens, currum, quo regina cum matre vehebatur, tuendum acceperat, tantaque alacritate pugnam unus pæne sustinuit, ut sagittas, quæ corpori inhæserant, incredibili fortitudine sibi evelleret, quo promtius in assultantem hostem manu uti ipse posset. Ad extremum toto corpore saucius a Croata, qui subtus currum irrepserat, pedibus a tergo captus in terram prosternitur: ita fraude, non virtute oppressum Horvathus, frustra deprecantibus reginis, & femineo clamore metum testantibus, capite truncari jussit. Eminuit in eo conflictu, Stephani, & Pauli, uterque ex Garais, præcipue virtus, tum Andreæ Keresztúri (39), & Desiderii, qui postquam se numero opprimi vidissent, arrepta fuga vindictam meliori tempori servabant (40)

Z Joan-

Anno Christi 1386.

Cæsique vae conditur, aut dissipatur,

(39) Sigismundus in diplomate anni 1405. quo privilegia familiæ de Gara confirmat, maximam vitæ suæ partem singillatim defendit, an rem hactenus narratam complectitur. *Recensendum vero, quomodo dudum temporibus discriminosis, & impacatis retro lapsis, nobis adhuc in ætate tenera pronella constitutis, neque regii diadematis adepta insignis, Interim viris perfidis, utroque Joanne, tam Bano & Priore, infidelitatis facinore offuscatis in regnique nostri rebellibus malis parentibus, & adversus Regiales Majestates Dominarum Elisabeth Matris, & Mariæ consortis nostrarum (ex quo tuto satis opinor arguas matrimonium ante captam reginam, ut aliqui indicavi jam coaluisse) erectis eorum banderiis circa oppidum Gara prædictum in publico strata cum ipsorum egregia comitiva prout earum decebat Majestates procedentium, rabido cum insultu irruentibus, easdemque cum plurimis fidelibus captivitati mancipantibus, & cunctis earum pretiosis thesauris regalibus ablatis, & distractis crimen læsæ Majestatis committere non verentibus, prælibatus Nicolaus Palatinus pater ipsorum Nicolai moderni Palatini, & Joannis, cum eisdem Prolibus suis, licet in tenera ætate pro tunc constitutis, ac ceteris pleriusque suis consanguineis, & complicibus pro ipsarum Dominarum tuitione, supremo studio adversus ipsos infideles dictus imperterrite bellando,*

demum cum viris egregiis Paulo filio Stephani, & Joanne filio Pauli de dicta Gara fratribus & consanguineis suis, ac Gregorio filio Andreæ de Keresztur, similiter consanguineo suo, per eosdem infideles devictis ex̄istens, proh dolor & decollatus, nobis filio adhærentibus Majestati regiæ fidelibus gladiis truncatis, prefatoque Joanne filio suo, tunc puero itidem captivitati mancipato. Utemur hoc diplomate deinceps sæpius, quod, ne lectori error obrepat, diploma anni 1405 tametsi plura hoc anno ob Sigismundo edita constet, nuncupabimus.

(40) Patet id ex litteris donationalibus inter MSS. Hevenesiana quæ hujusmodi sunt. *Nos Stephanus de Losoncz Banus Severinensis & inter ceteros honores Comes Themesiensis &c. memoriæ commendamus per præsentes, quod nos, considerata laude dignis meritis fidelium servitiorum Petri filii Dezs Christophori, & Michaelis fratrum suorum uterinorum, quibus idem regiæ Majestati a multis temporibus, signanter vero dum pro liberatione Dominæ Mariæ reginæ laborabamus, se multis casibus fortuitis, rebus, & personis eorum non parcendo, exhibere curaverunt, in compensationem eorundem quandam regalem villam Ewruus conferendam. Datum in Jeno secundo die festi beati Alexii confessoris anno Domini MCCC LXXXVII.*

Annus Christi 1386.

Ab Horvathis carceri includitur.

Joannes cæsi Palatini filius in captivitatem abductus, cum interea natu major Nicolaus, qui Machoviensis Bannatus præfecturam postea gerebat, Mariæ res impigre in Sclavonia gerebat. Reginæ thesauris omnibus ab rapacissimis hominibus privatæ, in Crupnensem arcem, aut, ut alii rectius existimant, Novigradum abstractæ, & carceri contra omnem dignitatis, & sexus rationem inclusæ sunt. Quamquam Thurochius, & cum hoc nostri scriptores pene omnes Elisabetham eodem die compressis faucibus Bosaetho suum immersam fuisse scribunt: sed eorum hallucinatio ex publicis litteris paullum post illustrabitur.

Sigismundus maritus ad Jaurinum cum copiis motam sedet.

Interea Sigismundus cum exercitu, quem ex Bohemis & Moravis maximam partem conflaverat, in Hungaria adfuit, quem tamen sive locorum intervallum seu tricæ, quæ illi cum Jodoco, & Procopio Moraviæ Marchionibus patrimonii, & dotium causa intercesserant, a ferenda conjugi ope prohibuerunt. Itaque in castris, quæ ad Jaurinum metatus est, constitit, quoad controversia Wenceslai Romanorum, & Bohemiæ Regis, arbitrio publicis tabulis in hunc modum complanaretur (41).

Moræ hujus causa & ratio.

Nos Sigismundus Dei gratia Brandeburgensis, sacri Romani Imperii Archi-Camerarius, Jodocus, & Procopius Moraviæ Marchiones, notum facimus tenore præsentium universis, quod de sinceritate amoris, fidei, legalitatis, ac justitiæ Serenissimi, ac invictissimi Principis, Domini Domini Wenceslai, regis Romanorum semper Augusti, & Bohemiæ regis, Domini fratris, & patrui nostri charissimi indubie confidentes, in ipsum promisimus, & velut sinceram, justum, & æquum arbitratorem, amicabilem compositorem, & definitorem deliberate bona fide, sine fraude, & dolo, in virtute juramenti præstiti compromisimus, ex certis nostris scientiis, per præsentes, & desuper universis, & singulis displicentiis, guerris, litibus, discordiis, & controversiis, pro parte nostra, & omnium, & singulorum nobis adhærentium, prout fraternali dispositioni, & ordinationi sui excepit ab eis, nec non serenissimarum Dominarum Mariæ consortis nostræ Sigismundi, & Elizabeth matris dilectæ Hungariæ, Croatiæ, Dalmatiæ &c. reginarum, nec non Prælatorum, Baronum, & singulorum incolarum regnorum ipsarum, & eis adhærentium parte ex altera habitis, & habitis usque præsens. Promittentes eadem bona fide nostra dicto Serenissimo Principi Domino, & fratri, ac patruo nostro charissimo Domino Wenceslao Romanorum, & Bohemiæ regi, quod quidquid ipse inter nos, utrasque partes prædictas, auditis utrobique nostris intentionibus, informationibus, articulis, & motivis, signanter super capitulis subscriptis summarie, videlicet super restitutione, & rehabitatione Dominæ Mariæ reginæ Hungariæ, uxoris Sigismundi prædicti conthoralis charissimæ. Item sub status nostri honorifica, prout nostra requirit conditio, provisione: item super bonis illis, quæ sunt sita citra metas Austriæ, & Moraviæ, assignatione, & liberam bonorum libera, & propria possessione: item super nostrorum debitorum antecessorum eatione guerræ, & dissensionis præsentis contractorum hinc inde plenaria solutione: item super litterarum nostrarum Sigismundi prædicti, quas illustres Marchiones Moraviæ patrui nostri charissimi, super bonis, quæ sunt inter fluvium Wag, & Danubium sita, a nobis obtinere noscuntur, confirmatione: item super certis bonis, quæ adjutores nostri a nobis obtinent corroboratione: item super certis displicentiarum regni Hungariæ incolarum, cujuscumque status, vel conditionis exstiterint, & omnium aliorum ad regnum Hungariæ pertinentium, quas ex eo, quod nobis, & nostris coadjutoribus adhæserunt, sibi meruisse formidant, plena & totali relaxatione, & circa bona, possessiones, & hæreditates eorum, atque statum pristinum, jura, & consuetudines, regni conservatione. Prout hæc omnia in articulis præfato serenissimo Principi Domino fratri, & patruo nostro charissimo exhibitis, & oblatis capitulatim, distincte, & specifice sunt expressa, ordinabit, dictabit, pronunciabit, faciet, diffiniet, & concludet. Quod hoc ipsum volumus, debemus, & tenemur, absque fraude, & dolo tenere, facere, adimplere, & inviolabiliter observare. Et nihilominus in omnibus, & singulis eidem nostro gratioso Domino fratri, ac patruo charissimo, Domino Wenceslao Romanorum, & Bohemiæ regi, tamquam

(41) BALBIN Hist. Miscell. Dec. I. Lib. VIII. LUNIG in Archiv. Rom. Imp. Sect. II. Du Mont Corps Diplomatique ad præsentem annum.

quam arbitratori amicabili, compositori, ac diffinitori, fide, & veritate, quibus supra deliberate, & ex certa nostra scientia dedimus, & damus pro parte nostra, & omnium nobis adhaerentium, plenam, expressam, & omnimodam potestatem super capitulis, & articulis supra dictis, & eisdem corrigendi, addendi, minuendi, declarandi, interloquendi, ac etiam diffiniendi secundum amorem aequitatem, & etiam rationem, prout regis honori suo, & nostrae suae Majestatis industriam videbitur utilius, concessus, atque decretus expedire, ratum, gratum, firmum, stabile, & incommutabile permansurum promittentes, & habere volentes sub dato nostra bona fide praedicta, quidquid in praemissis, & eorum aliquo per dictum serenissimum Principem, gratiosum nostrum Dominum fratrem, & patruum charissimum Dominum Wencesluum, Romanorum, & Bohemiae regem, factum, declaratum, ordinatum, & quomodolibet fuerit diffinitum. Praesentium sub nostrorum Sigismundi, & Jodoci praedictorum sigillis testimonio litterarum. Datum in campo prope Jaurinum anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo sexto, die XI. Maji.

Anno Christi 1386.

Hactenus conventionum tabulae: ex quibus tametsi rebus illius temporis lux haud modica affulget, incompertum tamen illud est, quem in modum Sigismundus nondum corona redimitus, partem eam Hungariae, quae inter Vagum, & Danubium flumina versus Moraviam tenditur, Procopio Jodoci filio transcribere potuerit, nisi opinemur, eam portionem, aut Tutoris nomine, hunc enim titulum eum gessisse supra monstratum est, a vivo etiamnum Ludovico, aut a Maria nuptiarum praerogativa donum accepisse. Id extra omnem dubitationem positum videri potest, matrimonium ante captam reginam utrimque reipsa coaluisse, contra quam fere domestici, exterique annales perhibeant: neque Elisabetham, qui alter eorundem error est, ipso, quo capta est, die fluvio haustam fuisse, quando utriusque reginae interposito nomine fideque tabulas confectas esse constat: cujus quidem rei illustrius deinceps documentum proferemus.

Ceterum Sigismundo rei adversus seditiosos feliciter patrandae spes non levis oborta est, quod, ut ex laudatis supra litteris consectatur, eorum, qui Mariae partes sectabantur, ingens ad eum numerus confluxerat, dum Budam regni caput, magnis illhuc Jaurino itineribus contendens, occupasset. Commodum rumor de Elisabetha, aut caesa, aut ex moerore animi in carcere mortua percrebuit, quae fama eum ex funere, quo illi Jadrae honorificentissime a civibus IX. Februarii parentatum est, certis indiciis cognita fuisset, magnam Procerum partem ab Horvatho ad Sigismundum traduxit. Et Garajos quidem frequentissimo militum, quos suo aere conscripserant, agmine castra Sigismundi sectatos esse, ex diplomatibus certum habeo, qui, ut sanguinis necessitudine, cum praecipuis Optimatum implicati erant, ita plerosque in partes reginae, & Marchionis sensim attraxisse ex iisdem monumentis, ubi usus feret, planum faciam. Ac Ladislaus quidem Losoncius, Banus Severinensis, qui Dalmatiae, Croatiae, ac Sclavoniae supremam praefecturam, paullum ante captam reginam adierat, rem contra factiosos impigre gerens, data publica erratorum venia Croatas ad fidem revocare contendit est. Zagrabienses in primis cives quoniam metus erat, ne Sacerdotum collegium sui Antistitis exemplum, qui rebellium signis palam jam accessit, consequatur, gravissimis litteris in obedientia continuit. Scriptae sunt in haec verba. (42) *Ladislaus de Losoncz, Capitaneus generalis regnorum Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniaeque Banus Zewrinensis, prudentibus, & discretis viris, Judicibus, & Juratis, ac universis habitatoribus montis Graecensis prope Zagrabiam salutem. Quia nobis constat ex relatione fide digna, quod Joannes quidem Banus Machoviae, & alter Joannes quidem Prior de Aurana cum Horvath, & cum multis aliis rebellibus, eorum complicibus, & sequacibus congregaverunt ingentem, & magnum exercitum contra & adversus omnes fideles regnalis Majestatis, & signanter contra vestram civitatem, quae super omnes in sua fidelitate lucet, sicut luna super stellas. Cumque certe cognoscimus, quod Capitulum Zagrabiense sit omnino destitutum omni custodia, propter absentiam Canonicorum, qui adhaeserunt ipsis*

1387 Sigismundo Budam profectio multi ad obedientiam redeunt.

 rebelli-

(42) Hist. Zagrab. Eccl. pag. 147
Annal. Reg. Hung. Pars III.

Annus Christi 1387.

rebellibus supra dictis. Et videamus, & aperte cognoscamus, quod si dictum Capitulum sic forte perveniret ad manus ipsorum aemulorum, totum regnum Sclavoniae laederetur, & super omnia ipsa civitas nostra Graecensis penitus deleretur. Idcirco super ipsis providentes, vobis, & vestrum cuilibet, sub poena infidelitatis praecipimus, & mandamus, quatenus mox visis praesentibus, ad ipsum Capitulum festinanter descendatis, & ipsum murum sive Palingetum fundentes radicitus evellatis, & evulsum ad domus vestras deportetis. Aliud, si gratiam regnalem, & maledictionem contra vos non cupitis indignari, non facturi. Datum in monte Graecensi prope Zagrebiam, die prima Martii, anno MCCCLXXXVII. (43) Atque ex his non modo abiisse a Joanne Machoviensi Bano Horvathum fuisse liquet, sed Losonczii praeterea fide, ac virtute etiam prohibitum, quo minus ac operatur in Croatia grassari posset. Quare seditiosorum partem trajecto Danubio in Temesiensem provinciam infudit, ut ad eam defendendam, nam & huic cum potestate Losonczius praeerat, intentissimum in rebellium conatus hominem ex Croatia avocaret, ipse Sirmiensem tractum ferro ignique vastandum accepit, & Lazarum Rasciae Dominum in armorum societatem pertraxit, cum interea Prioris Auranae, & Pauli Zagrabiensis Episcopi factio, quamquam absentes essent, in Dalmatiae ac Bosnae regnis mira incrementa sumeret. Uterque enim ad accersendas suppetias in Apuliam transfretavit, quas quo celerius impetrarent, caesorum nuper Palatini, & Forgacsii capita, tanquam certissimum fidei vadimonium, attulere. Maritum quoque Margaritae, quae caesi Caroli uxor erat, ab Horvatho destinatam fuisse, ut ex ea caeso marito inferias daret, Caresinus, Scriptor Venetus, memoriae prodidit (44), sed obstitisse Venetorum Ducem, qui Adriaticum suum classe infestum a suis haberi jussent, ne tam atrox facinus seditiosi opere ipso complerent.

Eumque regem eligunt, solenniterque rite Albae coronant.

Haec tum in Hungaria, & finitimis illi Dalmatia, Croatiaque rerum facies fuit, cum Proceres turbarum, quae in dies novae oriebantur, pertaesi, Sigismundum regia dignitate exornare decreverunt, rati, nec reginam ex Horvathi manibus facilius liberatum, nec partium studia commodius sopitum iri, quam si illi habenas committerent, qui & Ludovici judicio honori huic par existimatus fuisset, & ob fratris potentiam omnium maxime ad refrenandos rebelles idoneus videretur. Commodum Veneti Pantaleonem Barbo Legatum in Hungariam eandem ob causam misere, qui, postquam graviter copioseque pro Sigismundo peroraffet, nullo negotio Proceres in sententia confirmavit. Itaque omnium, qui Mariae partes sectabantur, consensione profecto Albam regiam decreta est; ubi Sigismundo per Demetrium Strigoniensem Archi-Episcopum, eundemque Cardinalem ex more genere Dominica Palmarum, quae in ultimam diem Martii inciderat, inaugurato, spes plerisque oborta, quietem regni quasi postliminio revocatum iri. Scio, coronationem Sigismundi a nostris Scriptoribus plerumque annum integrum praecipi, & ad Pentecosten confignari: verum mihi auctoris, qui regis maximam aetatis partem convixerat, & obeundis Legationibus saepe ab illo adhibitus est, tum diplomatum, quam aliorum, potior ratio in constituenda adeti regia epocha videri debet. (45)

SIGIS-

(43) Ne Lectori error obrepat monendus est, montem cui nunc superior Zagrabiensis urbs incumbit, in diplomatibus olim passim Graecensem dictum esse.

(44) Apud Lucium Lib. V. Cap. II.

(45) WINDECKIUS in Hist. vitae Sigismundi Imp. Cap. IV. Apud MENCKENIUM Tom. I. Script. rerum Germ. pag. 1074. *Als man zahlt tausend dreyhundert und sieben und achtzig jare des lesten tages in dem Mertzen, da wart Konig Sigmund zu ungerischem konig gekronet von etlichen Landes herren, die von seinem teile waren, und was auf dem Palmtag in demselben jare.* Et CARESINUS apud Lucium Lib. V. Cap. II. Tum ROTA Canonicus Ordinis S. Augustini in monasterio B. M. V. in Arena Wratislaviae, auctor coaevus apud Cl. SOMMERSBERG Tom. I. Script. rerum Siles. his verbis: *Eodem anno 1387. Sigismundus Marchio Brandeburgensis in regem Hungariae Dominica Palmarum coronatur.* Ipse etiam Sigismundus passim in diplomatibus ab hoc anno regni sui annos init, quo loco alterum quoque eruditum Thuroczii notatum velim, quod Sigismundum praesente Maria coronatum esse perperam sibi persuaserit.

SIGISMUNDUS

Annus Christi 1387

Rerum postus de liberanda conjuge consultat.

Ubi primum rerum summam in Hungaria Sigismundus adeptus est, placuit, ut prius, quam ad ordinandam rempublicam quidquam statueretur, Proceres de liberanda ex carcere Maria in medium consulerent. Rogatis omnium sententiis, quoniam apparebat factiosos amicitia ægre conciliari posse, visum est plerisque, ut rex confirmatis in fide Dalmatis, & Croatis, qui facti pœnitentes ad pacem per se se aspirabant, bellum in rebelles converteret. Addidit consultationi non leve pondus Legatus Venetus, qui Reipublicæ, ac Ducis nomine classem pollicitus est, qua hosti ex maxima parte exitus intercluderetur: hac Novigradum, in qua Joannes Palissa cum Paulo Episcopo ex Apulia redux reginam vinculis onustam teneret, urgeri posse: facile arcem deditum iri, si rex in seditiosos, qui Sclavoniæ, ac Hungariæ partem infestam habeant, cum exercitu movens, vires mediterraneas aliorsum distraheret. Visus est, ut ex eventu postea patuit, omnino ad rem gravissimam apposite loqui. Iraque rex probata Legati sententia, paucos post coronationem dies ad Dalmatas, & Croatas literas exaravit, quibus, ut in fide persistent, & in communi causa adversus rebelles arma corripiant, hortatur. *Sigismundus Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c rex, ac Marchio Brandeburgensis, fidelibus suis universis, nobilibus, & alterius conditionis hominibus in regno nostro Dalmatiæ, & Croatiæ existentibus salutem, & gratiam. Fideles nostri dilecti, licet Joannes de Hericart, pridem Banus, & Joannes - - - & gerens se pro Priore Aurana, sacræ coronæ, & regni Hungariæ, & nostræ Majestatis speciales æmuli in regnis nostris grandia halteaus commisissent scelera, & jam, ut communis assert relatio, se perpetrare, quod non credemus, consistunt, tamen altissimo annuente, in brevi una cum fidelibus nostris Prælatis, & Baronibus regni Hungariæ deliberantes opportuna adhibere obstacula, & tales nostros rebelles, de eorum potentia digne enervare. Quare requirimus vestræ fidelitatis universitates, vobisque serioses committentes, quatenus in fidelitate, qua hactenus sacrorum regum tempore, vestri prædecessores, ac etiam vos fideles fuistis, & adhuc vos esse firmiter speramus, persistere debeatis, eisdem istis æmulis viriliter resistendo, de quo vobis, & cuilibet vestrum volumus generosius remunerari. Datum Budæ in die cœnæ Domini MCCCLXXXVII.* (1)

Dalmatas, & Croatas adversum contra eos per literas hortatur.

Horvathus contra Sigismundum Principem a Nicolao Garaeo fugatur.

Valuere regis literæ, si minus ad conciliandos sibi penitus, certe ad permovendos Dalmatarum animos, ne posthac factiosos consilio, & re adjuvarent. Quare hac parte metu liber, tanto majore studio bellum apparare cœpit; Nicolaumque de Gara, cæsi nuper Palatini filium, ac Machoviensis provinciæ Banum cum suis, quos ære suo aluerat, copiis, adjectisque Bohemorum auxiliaribus proficisci in hostem jubet. Atque is cum vindictæ, tum gloriæ studio incensus, ut primum in Temesiensem agrum pervenit, oborta velitatione Ladislaum, & Michaelem Dani filios, qui isthinc Horvathi nomine latrociniorum sedem constituerant, facile profligat, trajectoque Danubio in Sirmium irrumpens, nil tale opinantem Horvathum prælio aggressus in fugam agit. Usus victoria, castrum Uilakum obsidione circumdat, eoque per assultum capto, Emericum Andreæ Vayvodæ filium, ceterosque catenis onustos ad Sigismundum, tanquam militiæ suæ primitias transmisit. Abhinc, ne hosti spatium respirandi daret, magnis itineribus Horvathum, qui se in Possegianam arcem cum non temnendo militum numero receperat, consequitur. Magna erat hominis illius virtus militaris, usu que. Itaque Nicolaus haud parum ad gloriam accessionis facturum se videns, si virum belli experientissimum in suam regisque potestatem redigeret, acerrimam castri obsidionem instituit, ac brevi post tempore intercluso penitus commeatu deditionem

(1) Lucius Lib. V. Cap. II.

Annus Christi 1387

nem facere coegit. Conventum in hanc utrinque conditionem est, regina quam ocyus carceri exemta Sigismundo restituatur ipse obses interea apud se resisteret. Hoc pacto arx dedita, & finitimus Sclavoniæ ager ejecto, aut domito hoste, pristinæ quieti vindicatus est. Nicolaus eodem victoriæ cursu in Rasciam delatus, Lazarum provinciæ illius Dominum, soceri[mque] socerum ostentato armorum metu ad obedientiam revocavit. Sed uberrimum belli fructum unius perfidia corruperat

Tribuni multam perfidia evadit

Stephanus Dionysii Transilvaniæ quondam Vayvodæ filius, cujus fidei Horvathum Gara custodiendum tradidit, fuga cum captivo spreta jurisjurandi religione in Bosnam evasit. Ea res Nicolaum ex Rascia in Sclavoniam reflexit, qui ne hosti quidquam ad instaurandas vires reliquum fineret, Dyakum, Kazvarum, &, quæ in eo tractu fuere, castra in potestatem celerrime redacta militari præsidio in futuros casus communivit (2) Gara ob rem ita fortiter patratam splendidissimis deinceps præfecturis a rege exornatus est, editoque diplomate palam collaudatus. Juvat illius partem hic annexere, quod cum iis, quæ hactenus complexi sumus, mirum in modum congruat, & scriptorum præterea domesticorum errores in clarissima luce collocet. *Cum sacra regio diademate fuissemus insignati, præfatus Nicolaus tunc Palatinus, tum Banus noster de Machou suo Banderio potenter erecto ex nostra jussione ad exterminationem prædictorum infidelium versus partes Temesienses, ubi eorum multitudo crescebat, cum nonnullis aliis nostris fidelibus progrediens, ibidem Ladislaum, & Michaelem filios Dan, & alterum Ladislaum de Jank in nostri offensam, cum ipsorum complicibus congregatos in potentia virtutis altissimi superavit Abinde danubio transfretato versus Sirmium, prænumeratum Joannem Banum, capitalem hostem, & infidelem nostræ Majestatis, suamque damnabilem cohortem in regiæ Majestatis offensam adunatam bellicose invadens, assistente Domino in brachio excelso devicit, ejus dolositatis satellites in fugam convertit, & ab eis castrum Ullach, in quod refugium habere nitebantur, quodque jam diutius in grande dispendium regnicolarum nostrorum fidelium tenuerant, potenter rehabuit Emericum filium Andreæ Vayvodæ - - cum multis aliis nostris infidelibus captum, nostro conspectui una cum Banderio Ladislai filii Caroli de Durazzo, sub cujus nomine, ipsi nostri infideles incedebant, præsentando ipso denique Joanne Bano per latebras sua dolositate in castrum Possegavar evadente idem Nicolaus - - cum suis gente ipso castro expugnato, & obtento, præfatum Joannem Banum infidelem sub hujusmodi pacti articulo conclusit, quod dictas Dominas reginas (3) libertati redderet, interimque suam personam obsidem assignaret quo recepto, ipsoque Nicolao - - adversus Rascianos - - ratione Banatus (Machoviensis) invadentem se protinus potenter divertente, & transpectivo, interea ipse Joannes Banus obsess per palliatam infidelitatem Stephani filii Dionysii Vayvodæ, cujus manibus ad conservandum fuerat assignatus, ab ipso obsidionis vinculo evadens regnum Bosniæ subintravit* (4)

Veneti ad liberandam reginam operam suam commodant, & ex carcere educunt.

Hæc in Garæ laudem Sigismundus. Horvatho ad regem Bosniæ fuga elapso, spes omnis vindicandæ in libertatem reginæ succisa videri poterat, nisi auxilium a Joanne Barbadico classis Venetæ Præfecto omnium opinione celerius affulsisset. Is relicta in mari classis parte, quæ effugia hostibus occluderet, reliquam ad Dalmatiæ littus applicuit, factaque cum suis in continentem excensione Novigradum arctissima obsidione circumvallat. Videbat omnem expeditionis fructum in celeritate verti quare prius, quam Horvathus ex Bosnia suppetias laborantibus afferret, castrum admotis machinis acerrime oppugnat, brevique corruptis magnam partem operibus, Joannem Palisnam, qui arci præfectus erat,

(2) In Diplomate anni 1408. *Quo medio ipse Nicolaus - - circa fidelitatis suæ indicia continuo castrum Charugi apud manus frequentum ipsius Joannis Bani infidelis habitum, deinde castra Dyako, & Kövvár appellata, quæ Gregorius Esse, & Ladislaus filius Philippe, similiter nostri infideles violenter conservabant, ab eis recuperavit, eosdem nostros infideles in exilium Bosnense pariter effugavit, tandemque temporibus in obsidione castri Sumegh, quod ergo manus dicti Joannis Bani, & Pauli Elsi fratres ejusdem nostrorum infidelium in nostri despectum habebantur, idem Nicolaus Palatinus nos dudum laudabilia nobis exhibuit famulatus.*

(3) Nisi interea Elisabetham interemtam fuisse ignorarent, non video, qui utramque reginam in libertatem asserat caput.

(4) In Diplomate anni 1408

erat, ad deditionem compulit. Salutem libertate reginæ pactus, impune ad suos abire permissus est. Itaque Maria ex squallore carceris, quo, fœda res dictu! integrum annum, & a suis tenebatur, pridie nonas Junias in lucem, & libertatem protracta Lucham, est is medius inter Novigradum, & Nonam locus, adducitur. Illinc ad præcipuas Dalmatiæ urbes, ne se in libertatem assertam esse nescirent, litteras hæc verba scripsit. (5) *Nos Maria Dei Gratia regina Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. vobis fidelibus nostris dilectis, communibus civitatum nostrarum, Sibenici, Spalati, & Traguri salutem, & gratiam. Quia ad vestram fidelitatem duximus transmittendum nobilem virum Thomam Struch de Sibenico, pro aliquibus nostris Legationibus per ipsum vobis exponendis, cui fidem plenissimam adhibeatis. Datum Luchæ in villa Dolac die IV mensis Junii MCCCLXXXVII. sub sigillo Baldo Comitis Corbaviæ, curiæ nostræ Magistri Ospatum: ex propterea studuimus facere sigillari sigillo prædicti Ospatui curiæ nostræ, quia ad præsens sigillo caremus.*

Anno Christi 1387

Erat Ospatinus, cujus maxima in hac calamitate erga reginam fides eluxit, ex Nadasdiorum genere, quos in regum litteris passim Pruanicos, & Bretancos dici comperio: an, quod nonnulli, neque fortassis male, opinantur, ex Britannia in Hungariam cum Eduardi filiis illati sint, non habeo, quod pro comperto affirmem. Illud certum est, nobilissimam prosapiam ortu suo fuisse, ac, postquam in Croatia inclaruere, ad Transilvaniam traductos, rebus pro Hungaria fortiter, ac præclare in utraque republica gestis, avitum genus ad eam, quo hodie conspicui sunt, splendorem, & nominis gloriam propagasse.

Constans Nadasdiorum in reginam fides

Confluxere officii causa ad reginam primores urbium Dalmatiæ, inter quos præcipuus Paulus de Paulo, ex cujus commentariis rerum narrationem fere depromsimus. Luchæ paucos dies commorata, Prætoriam Barbadici navim conscendit, & Segniam XIII. calendas Julias incolumis appulit. Hic eam Leonardus Dandulus, Paulus Maurocenus, Petrus Bragadinus, Marinus Maripetrus, & Remigius Superantius ex nobilissimo Patriciorum genere, quos Respublica Veneta Oratores ea de causa illuc destinarat, exquisitissima honoris significatione, & mutua inter publicos plausus congratulatione salutarunt. - - Inde ceteris Venetias redeuntibus, Dandulus, & Maurocenus reginam ad Sigismundum properantem honoris causa Zagrabiam usque comitati sunt, in qua urbe rex cum præcipuis Hungariæ Optimatibus Mariæ præstolatus, conjugem tenerrimo gaudio complexus est, (6) & Budam magna omnium, quacunque iter factum est, concursatione, & lætitia deduxit.

Liberata Maria ad Sigismundum Zagrabiam adducitur.

Restituta in libertatem regina aliud regi ex Bohemia negotium conflatum est. Wenceslaus Romanorum, ac Bohemiæ rex, Sigismundi frater, cum ob insignem in administrando regno oscitantiam, tum quotidianam barbariem, qua in nobilissimos homines, præcipue Joannem Nepomucenum, virum præcellentis sanctimoniæ, & prodigiis postea clarum, quem paucos ante annos ob servatam sacerrimi silentii fidem in Moldavam flumen agi jussit, promiscue, & fœde grassabatur, adeo Bohemis gravis esse cœpit, ut de eo exauthorando consilia palam inirent. Sigismundus quamquam & ipse fratris crudelitatem improbaret, tamen ne quod propterea aut familiæ regiæ, aut regno præjudicium crearetur, facile Optimatum voluntatem illo reflexit, ut reipublicæ in alterutrum fratrem transferendæ regi potestas in solidum esset. Credo nondum pacata penitus Hungaria Sigismundum huc consilii adductum, ut Bohemiam ab se avelli facile pateretur, scriptisque litteris voluntatem suam eatenus confirmaret. Magnopere interest, ut eas ob futura regi cum Wenceslao jurgia annalibus inseramus. (8)

1388. Qui jure in Bohemiam cedit.

Sigismundus Dei gratia rex Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Marchio Brandeburgensis &c Universis & singulis Principibus, Ecclesiasticis, & secularibus, Vasallis homagialibus, Comitibus, Nobilibus, Baronibus, Clientibus, Judicibus, Magistris civium, Con-

Hæc scriptis tabulis Joanni utriusmeri fratri confirmat.

(5) LUCIUS Lib. V. Cap. II.

(6) CARESINUS apud Lucium cit. loco & PAULUS DE PAULO in Memoriali.

(8) Godofr. HOFMAN in Append. Diplom. & Docum. Hist. Lusatiæ Tom. IV Script. Lusat. Et BALBIN Litt. public. de Bohem. Volum. I. Epist. 64.

Anno Christi 1388

Consulibus, Juratis, Rusticis, Villanis, & incolis civitatum, oppidorum, & villarum, ac locorum quorumcunque, nec non omnibus, & singulis subditis, & fidelibus regni Bohemiæ, cujuscunque status, conditionis, vel præeminentiæ fuerint, aut quibuscunque specialibus vocabulis nuncupentur, præsentibus, & futuris sincere dilectis salutem, & omne bonum. Quia pridem serenissimo Principi Domino Wenceslao Romanorum regi semper Augusto, & Bohemiæ regi illustri, fratri nostro carissimo, bona, & sufficienti deliberatione prævabita, specialiter propter singularis amoris affectum, quem ad Illustrissimum Principem Dominum Joannem Ducem Gorlicensem, & Marchionem Lusatiæ fratrem nostrum charissimum naturæ quadam inclinatione tenemur, ad cujus etiam honores, & profectus augendos ex vinculo sanguinis obligamur, fecimus indulsimus, annuimus, consensimus, & plenam, ac omnimodam facultatem, potestatem, & libertatem concessimus, & donavimus, ut ipsi insigne regnum Bohemiæ, & ejusdem regni coronam, in quo nobis & donatione paterna, ac successionis ordine, tanquam post dictum Dominum Wenceslaum fratrem nostrum, senioris Imperatoris nostri filio, in casu, quo ipsum, quod absit, legitimis heredibus non relictis præmori contingeret, plenum jus competit succedendi aut nostrum videlicet inter nos, & præfatum Dominum Ducem Joannem, qui sibi ex nobis magis placuerit, & ad quem propria, & speciali affectione, ac libere voluntate trahetur, sine alterius ex nobis, & signanter nostri reclamatione, & Potentia aliqua, in vita, vel in morte, quomodo, vel quando sibi placuerit dare, legare, & eundem ex nobis, cui legaverit, seu dederit regnum præfatum, coronari facere, & subjectionem, & fidelitatem, quorumcunque subjectorum regni Bohemiæ sibi fieri disponere, & ordinare valeat, ac possit prout hoc ipsum in aliis nostris Majestatis litteris dicto Domino Wenceslao fratri nostro datis desuper sufficientius continetur. Idcirco in casu, quo ipse frater noster Dominus Wenceslaus Romanorum Rex, in vita, vel in morte præfato fratri nostro Domino Duci Joanni regnum Bohemiæ prædictum concesserit, vel donaret, & nobis ex tunc vos omnes in genere, vel vestrum quemlibet in specie, animo deliberato, & de certa scientia, ac nostra libera voluntate de omnibus, & singulis promissionibus, juramentis nobis factis, quibus vos ex fide facta, vel alias quomodolibet ex successionis ordine, sive jure aliquo teneremini quoquomodo, absolvimus, liberos dicimus, & dimittimus, ac tenore præsentium liberamus. Mandantes vobis virtute præsentium seriò, quatenus, sicut præmittitur, dictus Dominus Wenceslaus, dicto Domino Duci regnum Bohemiæ concederet, vel donaret, quod ex tunc ad eundem Dominum Ducem Joannem, ad quem vos ex nunc, prout ex tunc, transducimus, tanquam verum, & naturalem, & hæreditarium Dominum vestrum, & heredes suos legitimos, & ad nullum alium respectum habere, & eidem fidelitatem, juramenta, & subjectionem facere, & parere, & obedire modis omnibus debeatis. In casu vero, quo vos omnes, vel aliqui ex vobis præsentia mandato nostro litterario, non curaretis advertere, nec eisdem forsitan obedire, ex tunc promittimus sine dolo, bona fide nostra, quod vos omnes, & vestrum quemlibet, dum ad nos personaliter veneritis, aut nuntii, aut procuratores vestri mandatum vestrum, ac potestatem habentes vestro nomine venerint, de juramentis, promissionibus, & fidelitatibus, quibus nobis astricti tenemini, quocunque vivæ nostræ vocis oraculo absolvimus, & liberos dimittemus præsentium sub regiæ nostræ Majestatis sigillo, & testimonio litterarum. Datum Semphæ (9) anno Domini MCCCLXXXVIII. die III. Mensis Julii.

Induciæ biennales cum Wladislao Polono, confectæ.

Sed horum omnem postea rationem conturbarunt Sigismundus, neque nihil causæ, ut id faceret, habuisse in loco memorabitur. In eundem modum inducias cum Wladislao Polonæ rege confectas esse, quæ a Divi Michaelis festo annum integrum durarent, publicum instrumentum Budæ Augusto mense confectum docet, (10) Verum quam ob rem, quid armorum prius, aut litium Sigismundo cum Polonis fuerit, apud neminem comperio. Nisi forte Hedvigis causa bellum Sigismundus apparasse credendus sit, quam ab Wladislao, quod castissimæ matronæ

(9) Debeto nam recta lectio [illegible] fortasse melius Senthæ legeretur, cujus nomen vicus in Provincia Nitriensi ad Vagum situs est.

(10) In Diplomatario MS. Poloniæ apud CL. SOMMERSBERG Tom. II. Rer. Silesiacarum.

tronæ publicatam Gnievossius apud virum castellaretur, parum liberaliter habitam fuisse Poloni Scriptores meminerunt. Aut, quod potius reor, ob eam Russiæ partem, quam ab Lodovico Hungariæ ereptam narravimus, aliquid dimicationis utrinque obortum fuerit (11) Quidvis sit, facile illuc Timore, aliaque præterea Scriptoribus errorem obrepsisse suspicor, ut regem ad visendam Hedvigem in Poloniam hoc anno concessisse existimarent. Neque enim ita pacatas domi res Sigismundus ea tempestate habuit, ut eum impedito, & longinquo itinere se daret, neque Polonorum annales uspiam illius rei memoriam ad hunc annum, sed ad posteriores consignarunt

Annus Christi 1388

Quanquam & illud occasionem præbere poterat, quod Episcopum Segniensem vicariam pro Sigismundo potestatem in Dalmatia exercuisse, atque hunc non multo post Ladislaum de Lucens Banum Sclavoniæ, Gubernatoris Dalmatiæ, & Croatiæ prærogativa subrogatum esse memoriæ se proditum. Adduxerat Ladislaus copias ex Hungaria, quantum seu ad confirmandos in fide animos, seu ad retundendos factiosorum conatus satis esset. Re enim vera, postquam anno superiore Horvathus ad Tvartkum Bosniæ regem evasisset, ejusque ope Clissam, & Catarum occupasset, magnum hoc anno Spalatensibus Hungarorum auxilio destitutis, quos Horvathus terra marique acriter obsidit, discrimen imminebat. Id ut ab se cives amolirentur, arctissima cum Sibenicensibus, Scardonensibus, & Brebeniensibus fœdera inire. Tragurienses pactis accedere veriti, spem Horvatho præbuerant urbis in suas partes traducendæ: itaque nomine regis Bosniæ Legationem ipse obit, Tiniumque veniens, Oratores a Traguriensibus ad se mitti rogat, cum quibus de fœderibus ageret: sed cum hi postulatis illius assentiri noluissent, re infecta, & iratum plenus in Bosniam revertit (12)

Horvathus urbes Dalmatiæ in fœdera pellicere nititur

Non vanas fuisse iras annus proxime insequens ostendit, quod Tvartkus, cujus auctoritate factiosi utebantur, insigni ex Turcis relata victoria animos pleniorumque metu compleret, ne traducto in Dalmatiam, ut postea factum est, exercitu, vi ad occupandum regnum grassaretur. Conflixerat secundo prælio cum Amurathe, eoque fuso, ac fugato victoriæ fructum ad Tragurienses, ut eos congrata armorum felicitate in suas partes facilius pertraheret, his litteris primum omnium significavit. (13)

1389. Turcæ a Bosnensibus profligati

Nobilibus, & circumspectis viris, Dominis, Potestati, Judicibus, Consilio civitatis Traguriensis, amicis carissimis Stephanus Tvartko Dei gratia Rasciæ, Bosniæ, Maritimæque & c. rex. Amici carissimi, quod noviter his diebus rex regum, & Dominus omnium custos noster, qui semper suos adjuvat, salvat, protegit, & defendit, nobis populo suo ostendit relatu, laudeque dignum, memorandum, venerandum insuper, & colendum omnibus, vobis præsertim ejus cultoribus, ad sui laudem, & gloriam, & honorem, ut sitis & gaudii, sitot in hoc adjuti, & participes gratiæ suæ fuistis, in ea, quæ in Christo Jesu omnium junxit animos alterutrum, nunc ducimus intimandum: nam illum superbum Sathanæ filium, & monstrum, Christi nominis, & totius humani generis, populi maxime Christiani, & Orthodoxæ fidei inimicum, perfidum scilicet Amurathem, qui sibi jam multas subjecit nationes, & quotidie ut aspis, cervice arrecta, & ore, ceu vipera, passim virus evomere pro viribus satagebat, nitebatur, & invadebat cunctos Christicolas, & cultores dictæ fidei perturbare, invadere, opprimere, & delere, quoque jam venerat, terras nostras de fallo turbatum, dispositus, & intendens posse evadere vestras, cum duobus filiis, & sequacibus suis Turcis. Eja tandem ante cum eis bello die vigesima mensis Junii proxime præteriti, Dei dextera adjutrice, & nobis propitio assistente, obtento penitus cum triumpho campo, confligimus, devicimus, & illum prostravimus interemtos, paucis demum ex ipsis superstitibus remanentibus. Dei laus, licet cum aliqua strage nostrorum, attamen non multorum, quod præsentibus ecce vobis, veluti nostris benevolis, & amicis ex quadam

Tvartcus Traguriensibus significat

A a con-

(11) Dlugoss. Hist. Pol lib. X.
(12) Lucius lib. V cap. III. & Paulus de Paulo.
(13) Lucius lib. V cap. III.

Anno Christi 1389.

confidentes de amicitia vestra sincera, per nostrum hominem, & nuncium specialem, latorum videlicet oblatorem, ad exultationem, & gaudium nuntiamus, & nos offerimus ad omnia vobis grata libenter, & libere facienda. Datum in aula nostra Sichisse die prima mensis Augusti anno MCCCLXXXIX.

Belli Turcici causa, & origo.

Atque idem hoc prorsus bellum est, quod Sadinus Scriptor Turcicus ad DCCLXXXXI. Hegyræ annum consignat (14). Ortum ab Lazaro Serviæ Despota accepit, qui, cum vereretur, ne Amurathes infuso duobus suis exercitu porro grassaretur, Walachiæ Vayvodam nepotem suum, Albaniæ Principem, & Bosnæ regem, ad ineundam fœdere, & armorum communionem invitarat. Facile consentientes habuit, imprimis Tvartkum, qui vindictæ studio, quod Turci sæpe prædas ex Bosna egissent, in id bellum sponte ferebatur. Hungari quoque bona regis venia, sub Nicolai de Gara auspiciis, Lazaro, cujus sororem in matrimonio habuit, suppetias tulere. (15) Concursum est ad Moravam amnem acerrimo prælio, fusoque sinistro Turcorum cornu, fœderati victoria in solidum potiti fuissent, nisi Bajazethes Amurathis filius viso suorum periculo inclinatam jam aciem singulari virtute ad sustinendum hostem tamdiu moratus esset, donec nox pugnam, quæ in ancipitem fere dimicationem abierat, diremisset. Cecidere eo prælio Lazarus, & Amurathes, quamquam hunc postridie a sicario per fraudem interemtum, suos postremum victores fuisse Sadinus memorat. Malim tamen Hungariæ, & Bosnæ regibus, qui & interemtum in prælio Amurathem, & fusos penitus Turcas litteris publicis prodidere, quam Scriptori Turcico longo post rem gestam tempore viventi, eatenus fidem habere. (16)

Bosnenses Dalmatiam infestant

Tvartkus relatam nuper victoriam paullum post insigni maleficio temeravit. Nam cum & loci, & temporis ratio suaderent, ut profligatis Turcis vires in hosticum traduceret, quibus gentem nuperno prælio attenuatam aut penitus delere, aut rejicere poterat, converso repente studio copias Dalmatiæ immisit, ingentemque pecudum prædam ex Jadrensium agro abegit. Nostri, qui sub Alberti Auranæ Prioris ducatu castrum Auranam id temporis obsidione presserant, hoste propinquo territi, convasatis rebus in Urbem Nonensem recessere. Quam dedecoris labem cum Comes Antius haud multo post admoto rursum exercitu abolere vellet, collatis cum Joanne Palisna signis, atque hunc singulari certamine congressus, occubuit, æmulo gravi vulnere perstricto. Ita re a nostris parum prospere gesta rursum obsidio soluta est. (17)

Sigismundus Academiam Budæ condit

Dum in hunc modum Dalmatia armis perstrepit, Sigismundus diversa prorsus a bello studia animo complexus, Academiam, in qua sacræ & profanæ litteræ commodo Hungarorum publice tractarentur, instituit. Sapiens, & dignum regia munificentia institutum, si modo, quæ pace melius oriuntur, nutriunturque, Musæ commodiori tempore in regnum accersitæ fuissent. Alioquin, quod in laudis parte alias ponendum erat, regi vitio a multis datum fuit, quod, dum oppressa armorum licentia, & seditiosis ad obedientiam revocatis, regno quietem restitui oportuisset, otii pacisque res præter temporis rationem complecteretur. Papam tamen consilio suo facile obsequentem habuit, qui Præpositum veteris Budæ Cancellariæ dignitate auctum novæ scientiarum Academiæ præfecit. Quibus prærogativis exornatam esse rex voluerit, quoniam litteræ, quas in publicum vulgari eam ob rem mos est, frustra a me quæsitæ sunt, nihil habeo, quod in utramvis partem affirmare possim.

1390 Rursum Dalmatia a Bosnensibus perturbatur.

Joannis de Palisna mors, quæ in principio sequentis anni evenerat, quietem Dalmatiæ allatura erat, nisi Tvartkus dominium, quas factiosorum studio occupaverat, augendarum præter fas cupidior novas turbas dedisset. Victoria enim

prioris

(14) Ex interpretatione Vincentii BRATUTI Ragusini incidatque annus Hegyræ791 cum anno Chr 1389

(15) Diploma Sigismundi de anno 1406

(16) *Ipso denique Lazaro, & Omurath Turcorum Imperatore in confusis personali inter se commisso debita carnis universa utrisque reddentibus* . De hoste autem victo constat ex Tvartki Epistola.

(17) PAULUS DE PAULO ad an. 1389. & LUCIUS lib. V cap III.

prioris anni elatus, ac spe subigendæ Dalmatiæ fretus, copias in Spalatensium agros infuderat, vastitatem comminatus, nisi extemplo in clientelam concederent. Illi communicato cum Traguriensibus consilio, postquam nihil, quo periculum amolirentur, sibi in promtu vidissent, inducias a victore exorarunt, quoad nuntios ab Sigismundo acciperent. Qui cum vacui rediissent, neque auxilii spem ullam afferrent, satis fidei, quæ regi obstringebantur, ab se factum rati, Tvartko iis pactis se dedidere, si, quæ ab Ludovico Hungariæ rege obtinuerant privilegia, sua quoque auctoritate confirmaret. Jadrenses contra complanatis, quæ urbem in varias factiones distraxerant, simultatibus, Mariæ, ac Sigismundi partes se secuturos per Oratores significarant, inter quos Paulus de Paulo urbis nomine jus jurandum solenni verborum forma regi dixit, quemadmodum ipse rei memoriam literis consignavit. (18)

Anno Christi 1390.

Sigismundus dilatis ad meliora tempora Dalmatiæ rebus, in Moldaviam, quo periculum vocabat, profectionem mihi edixit. Stephanus regionis Wayvoda, qui eum Magistratum clientelari jure ab regibus Hungariæ obtinuit, factiosorum exemplo ad paria audenda confirmatus, tyrannidem illius provinciæ affectabat, collectoque ingenti exercitu potentiam, quam vi occuparat, armis tueri pergebat. Itaque ut primum comperit, Sigismundum infestis copiis appropinquare, fauces montium, quis necessarium in Moldaviam iter erat, lectissimam sagittariorum pubem insidere jubet, ipse reliquum militiæ robur haud procul metatis castris continet, ut, si insidiæ frustra essent, aperto marte signa conferre posset. Consilium, quod ex locorum positu ad rem feliciter gerendam prorsus opportunum valebatur, nostrorum, ubi ad manus ventum est, virtute penitus inutile fuit. Ingressi præruptos montium aditus, quamquam & loci iniquitate, & insidiis vehementer premerentur, incredibili tamen vincendi studio propulsis sagittariis in apertum campum feliciter eluctati, eodem ardore in Stephani castra impetum faciunt, cæsoque magnam partem hoste, aut in fugam conjecto victoria, & castris potiuntur. Wayvoda desperatis rebus ad Sigismundum paucis suorum comitatus supplex venit, ejusque clementiam, quam iram, experiri maluit. Neque rex fuit ad miserendum comparatus, veniam oranti abnuit, præsertim quod censo in singulos annos tributo in fide & clientela Hungariæ se futurum jure jurando pollicitus esset. (19)

Rex Moldavos tumultuantes ad obsequium revocat.

Pacata Moldavia copias, quas ex recenti victoria mire obsequentes habuit, in Tvartkum Bosniæ regem ducere apparabat, quo & motum illius grassationis poneret, & veteres injurias ulcisceretur. Hæc conantem mors illius præter opinionem occupavit. Itaque imperata tantisper militi quiete, in propinquo stativa locat, ut, in quamcunque partem Bosnensium res se darent, ex eventu consilium caperet. Successerat Tvartko Stephanus Dabissa, non, ut plerique rentur, defuncti filius, sed patre Micoslao, qui Stephani Bosnensis Bani frater erat, illegitimo thoro progenitus. Qui cum & æmulum in Tvartko Scuro defuncti notho nactus fuisset, & armorum metum in Ragusinos transferre meditaretur, (20) nihil hac parte metuens Sigismundus bellum in Usoram (erat ea Bosniæ pars, quam factiosorum promptis armorum sedem constituerant) ex improviso traduxit, ac castrum Debor latrocinantium facile principem latibulum obsidione cinxit. Præerat arci Paulus Zagrabiensis Episcopus, qui cum filio Joannis Horvathi omnium seditiosorum antesignanus sæpe illinc in Hungariæ ditiones procurrens ingentes prædas agebat. Nicolaus de Gara, quem Sigismundus Dalmatiæ, Croatiæ, ac Sclavoniæ Banum creaverat, locum arctissima obsidione circumvallans haud multo post tempore ad deditionem faciendam compulit. Sigismundus, qui, ut virtutem suorum præsentia acueret, obsidioni intererat, facta deditione, & manu missa exercitus parte, hostium dolo capitali pene discrimini objectus est. Rem, quemadmodum

1391 Tum in Bosnenses bellum meditatur.

In conjuratos arma convertit.

A a 2

(18) Lucius ibidem. PAULUS DE PAULO ad an. 1390.

(19) TRUBERZ. Chron. Part. IV. cap. V.

(20) DE CANON et Famil. Dalm. cap. IX.

Annus Christi 1398

modum patrata sit, rex publico diplomate in hæc verba complectitur (21): *reportato igitur triumpho, & gentibus nostris dimissis ad propria remeare, nobisque pro ceterorum negotiorum conclusione velut jam securas paulisper ibidem repausantibus, non nulli Bosnenses ex adverso clam advenitis catervis nos hostiliter invadere proposuerunt, quorum adventum nos prænoscentes, ipsis fidelibus nostris, quos jam ante remiseramus ad propria, intimare decrevimus, qui confestim hoc intellecto, redierunt pugnaturi, per quos etiam de his victoriam indubie sperabamus, nisi iidem nostri æmuli cujusdam auroræ diluculo per vias obliquas præin factum clam evasissent.*

Ejusque præsidiarii Horvathi filius capt.

Castro, ne hosti deinceps usui esset, in cineres redacto, cæsisque magnam partem præsidiariis capti sunt Paulus Episcopus cum Horvathi filio (22). Quibus quid factum sit, mihi prorsus incompertum est. Paulum jam multo ante publicatis fortunis hostem reipublicæ declaratum esse constat. Horvathi filium, si conjecturæ locus sit, opinor, dum rex confecto bello Quinque Ecclesias rediisset, eadem pœna affectum, qua in patrem animadversum esse nostri Scriptores perperam meminerunt (23), cum hunc equo ligatum, & per publicos urbis vicos candentibus forcipibus ustulatum, carptumque, ac denique quadrifariam sectum infelicem animam exhalasse scribunt, quem ceteroquin & porro vitam produxisse, & pactis conventis cum Sigismundo fœdera coiisse ex diplomatum fide postea memorabimus, tametsi pœnæ genus, si filio irrogata est, æquo majus, sin de patre sumpta fuisset, hujus merito minus fortasse existimari poterat.

Ex quo fefellerit pœnam, ac in primis Ratkaji error obortus

Quo magis miror Ratkajum Scriptorem Croatam alioquin non prorsus inelegantem, caso Horvatho defensorem apparare, ut præter modum nulla de causa prolixam, ita haud æquo satis animo in Hungaros adornatam. *Atque hic fuit*, (hac enim oratione nefastum latronæ gentis auctor concludit) *tragicus die infaustissimus Banorum Horvathi vitæ terminus cujus immanes pœnas, ac crudele supplicium unius feminæ vindictæ avidæ voto patratum, ac instar alterius Herodiadis Joannis caput persequentis, violato insuper, quod ad sacrosancta Divorum Lypsana præstiterat juramento, illud, inquam, summæ impietatis vindictæ genus dum attentius considero, non nisi in indignationem surgit animus. Quod enim unquam Joannes commisit, quo se vir tantus, tam barbaræ crudelitatis reum constituisset? inviatus, inquit, auctor cum Episcopo, & regiæ principibus factionis fuit: sed nunquam Palatinus Garamyæ factionis auctor non extitit, dum per summum scelus perfida fides simulatione Caroli regis vita, ac dignitati regiæ struxit insidias? - - Quod si Joannes Mariam reginam integritate dehonestavit, at qua non infamia, dum hic ipse Sigismundus Mariæ Dominæ Garensium Palatini filiorum infames subire est coactus carceres? an non exoculatos Hungariæ Reges legimus? sed quid plura? plena Hungarorum Historia est rebellibus, ut ausim dicere, nullum fere fuisse regem, qui in se refragatores non habuisset, quando vero de his omnibus tam inhumane sumptum est supplicium? quid quod isti nulla oblata causa justa, solo aut levitate animi, aut libidine dominandi stimulante privata studia sint conjectati, ac talia patrare ausi. Quam vero æquissimas Joannes noster alium quærendi regem, feminæcumque detestandi sceptrum rationes habuerit, in compertis est. Nam cum vidèrent plerique Optimatum, Elisabetham matrem, Palatinum potissimum*

(21) In Diplom. 1409. ex Adversariis MSS. D. RAJCSANY archivarii Cameræ Posoniensis.

(22) In Diplom. anni 1408. „ Subsequenter nobis pro reobtentione castri nostri Dobor „ in Usora situati, de quo Paulus Episcopus, nostræ Majestatis infidelis, cum filio, & proximis dicti Joannis Bani, & „ alii eorum sequaces nostros regnicolas „ indesinenter offendebant, plurimum laborantibus, idem Nicolaus jam tunc „ exigentibus suarum virtutum meritis, „ regnorum nostrorum Dalmatiæ, Croatiæ, „ & Sclavoniæ Banus, & prædictus Joannes frater suus proprio eorum vexillo „ elevato in reobtentionem ipsius castri, „ nobis taliter affuerunt, quod per ipsorum, & ceterorum fidelium nostrorum „ optulamina dicto castro in cinerem redacto, ipsos custos infideles nostræ „ mancipavimus captivitati. „ Hacterus rex. Consignavi hæc ad præsentem annum, quod ante occupatam Neapolim minorem a rege narratur: hanc autem sequenti anno evenisse concors Scriptorum opinio est.

(23) THUROCZ. Part. IV. cap. IV.

Annus Christi 1393.

in consilium admittere, unumm ei credere, ex ejus sententia cuncta gerere, nihil denique inconsulto illo conari, quis hac vir probus, ac fidei constans, æquo animo pateretur? cum Palatinum auctoritatis multum apud reginam adeptum intelligerent, unde consilere deinde cœpit, ne suos Proceres nimis extollat, nomineve donet, quandoquidem jam potentes effecti imperata non facerent, detrectarent fidem, ac obsequia, præpotentibus quibusdam attenuandas esse vires, auferendos quoque Magistratus quicunque formidolosi essent: unde multos sibi e Proceribus regina habere suspectos cœpit, in plerosque inverentes odium, & suspicionem concepit, quemvis denique e gratia sua Garæ nutu premoveri, aut submoveri patebatur. Cum hæc, inquam, aliaque plurima, quæcunque cuperet, pro libidine fere fieri intelligerent, nullus fane probus tam tranquillæ mentis, ac constantis sibi animi esse poterat, ut ad tollenda tanta non moveretur. Sed regis, inquit rursum idem, sacrilegas temeravit manus sanguine? sic quidem: sed ubi interfectus ab Hungaris rex Petrus? ubi perfidia Palatini Garæ interemptus Carolus? ubi Gertrudis regina Andreæ conjux a Bankone Bano neci data? quis horum unquam non capitali plexus dico sententia, aut supplicio, sed vel publicatis bonis condemnatus? neque fane Gara nefandi sceleris debitas exsolvisset pœnas, nisi ulciscente Joanne vitam posuisset. Et sane nec Maria diu unquam tulit in Joannem vindictam: paucis enim elapsis annis, repentino sublata fato, infausto simul omine fœtu Sigismundo depugnante, e vivis decessit. Et ipse postea Sigismundus tam ignominiosi consentiens necis, infamis captivitatis sub custodia lugubres traduxit dies, palliolaque amarissimis lacrimis inundans maxillis, pœnas dedit. Quamquam nec Joannes adeo in reginam, ac Palatinum offensum ostendisset animum, nisi Twartcus Bosnæ rex cum sua fraudasset tutela, cui in Urbore tractu aliquot assignatis dominiis majora adhuc spoponderat, si tumultuantibus ita rebus Hungaricis, ejus ope Hungaria potiretur, ut Orbinus refert. Neque tamen hæc eo dicta velim, ut violentas Joannis in regum sanguinem manus innocentes asseram, sed johem dixisse animus fuit, cum nullo juris ordine indicto, ac servato, imo contra fidem Sacramento ad sacra Divorum Lypsana præstito sanciam, tam acerbas subire debuisse pœnas, quas nemo eorum æque reorum subiit, ut vere generis, ac dignitatis splendore conspicuo plus crudelitatis, quam justitiæ speciem præbuisse. Atque hæc pro Joanne dicta sunto. (24)

Restitutur

Verum haud satis rite dicta prorsus liquet. Nam, præterquam quod reginam Herodiadi, Banum Divo Joanni parum, ut puto, gravius, & religiose æquiparat, si hunc audimus, quivis privato homini in legitimos reges, quorum sacerrima nobis post Deum auctoritas esse debet, pro libidine, & auctoritate sua moliri integrum erit: neque sceleri exemplum alterius malefici impunitatem parit, alioquin nemo unquam nocens fuerit, quoniam nullum hactenus crimen sine exemplo fuit. Et paucorum Hungarorum seditiones ad profugatæ causæ defensionem afferre violentius est, quam, ut accommode ad rem dici valeatur, quam nemo unus collaudavit, & si impune illis abierant, regum imperio factum fuit, in quorum potestate est, maleficia pro temporum habitu punire, aut dissimulare. Sed res, quæ commento, ut supra monstravi, nititur, diutius immorari operæ precium non est.

Bosnæ rex accipitur in clientelam regis.

Ejectis ex Urboræ tractu rebellibus, Dabiscia Bosnæ rex iras victoris metuens, sponte ad Sigismundum adiit, seque cum regno in ejus clientela, ac obsequio futurum interposita fide pollicitus est. (25) Quo factum, ut seditiosi rebelles Bosnia in maritimam Dalmatiam se se infunderent, atque istinc locata armorum sede finitimos infestarent. Adjunxerat se iis Wolkus Bosnæ Banus, junctisque copiis exercitum conflarunt, quo spes contumacibus non levis oborta est, posse aliquid, si signa conferantur, ad stabiliendam tyrannidem patrari. Sigismundus prius, numero quam invaleret, hostem occupandum ratus, Nicolaum Gara cum copiis, quantum ad consequendam victoriam satis esset, in factiosos

(24) Memor. Reg. & Banor. Dal. Croat. & Sclavon. Lib. III.

(25) In Diplom. anni 1408. „ Quo audito „ (castrum nempe Dobor ab regis expugnatum esse) Dabissa rex Bosnæ ad no„ stram personaliter accedens Majestatem, „ se, & suos subditos restituerit obedientiæ, „ & servitiis nobis, & sacræ coronæ no„ stræ debitis, & observandis. „

Annus Christi 1392.

immisit. Is Wulkum cum Horvatho ad Tininum nactus, conserto fortiter prælio profligat, captoque Tinino, finitimas quoque urbes ad victoriæ fructum adjecit. (26) Wulkus re improspere gesta ad obedientiam redit, & perfidiæ maculam constanti deinceps fide, ac singulari fortitudinis laude abstersit.

Bello Valachorum causa cum Turcis oborto.

Hoc confecto aliud rursus bellum exarsit, quod Valachorum quidem causa, male tamen a nostris scriptoribus in Valachos - - susceptum esse scribitur, cum re ipsa Turcis ob motum esset. Nam cum in Myrchen Valachiæ Vayvodam Hungariæ clientelarem dinomibus exuissent, metusque esset, ne fortuna & tempore usi dominationem latius porrigerent, sensimque in Hungariæ viscera grassarentur, satis causæ Sigismundo visum, ut & clientem fiduciarium objecto bello tueretur, & Hungariæ finibus adversus formidolosum hostem mature caveret. Imperati igitur Proceribus milites, &, quæ ad profectionem necessaria essent, diligenter curata. Tum collatis consiliis placuit, quoniam hostis Moravam fluvium, qua via in Bulgariam ducebat, classe insidere certus nuncius ferebatur, ut diviso bifariam exercitu pars terrestri itinere, pars secundo danubio proficisceretur. Classi præfectus est Stephanus comes, idem ille, qui Sigismundum, dum ad castrum Galambocz pugnaretur, capitis sui periculo servavit, vir multarum palmarum, & prompti in rebus agendis consilii: additus illi frater A-grienfium Præsul, mandatumque, ut, postquam secundo flumine Belgradum prætervectus esset, ostium Moravæ observaret, ac, si occasio se daret, in hostium naves incurreret, pugnamque moliretur prius tamen ne manus consereret, quam reliquum exercitum appropinquare intellexisset regem quantis posset, itineribus copias in hosticum traducturum. Ita deprompta in medium consilia eventus plane ex sententia respondit. Stephanus temperato ad regis itinera navium cursu prius ad Moravæ ostium applicuit, quam hostem Turci adesse sentirent, captatoque vento impetum in classem inimicam facit, facileque, quod improvisus ingruisset, navium partem ad ripam allisit, partem terebrat, reliquas injecto igne corrumpit. (27) Fuso fugatoque hoste prona nostris omnia fuere. Rex traducto in Bulgariam exercitu Nicopolim (28) minorem obsidione cingendam ante omnia statuit, ut, si prælio confligere necesse foret, idque parum caderet feliciter, in promptu esset locus, in quem se miles reciperet. Admotis machinis obsidionem strenue urgebat Nicolaus Gara, qui, quamquam præsidiarii Turcorum frequenti eruptione molestias facesserent, ad extremum tamen destructis crebra verberatione muris castrum cum urbe assultu cepit, trucidatis plerisque, qui urbem tuebantur, ceteri in servitutem abducti. Re in hunc modum gesta Sigismundus Myr-

chen

(26) Dalett. „ Et cum denuo nos Nicolaum Palatinum, & Joannem fratrem „ suum ad recuperanda regna nostra Dal„ matiæ, & Croatiæ prædicta per vio„ lentas manus Wolk Bani, & dictorum „ utriusque Joannis nostrorum infidelium „ occupatorum transmisissemus, iidem - - „ cum exercitu ipsius Wolk Bani prope „ castrum Tinin devicto præscripta duo „ regna nostris manibus - - cum aliis ca„ stris - - recuperarunt. „

(27) In Diplomate Elisabethæ reginæ Sigismundi filiæ, de anno 1438. „ Adhuc „ Domino Imperatore vivente, dum qui„ dam Barones, & nobiles regni nostri, „ præsertimque partium nostrarum inferio„ rum de ipsius Domini Imperatoris man„ dato ad rumpendum, & comburendum „ quasdam galeas, seu naves præfatorum „ Turcorum ingentis tamen, & apparatus „ per eosdem in fluvio Morava vocato, „ in dictis partibus nostris inferioribus ha„ bito fabricatas, & laboratas, ex quibus „ scilicet ipsi Turci regna nostra damna „ non modica inferre nitebantur, cum ex„ ercituali apparatu accessissent, tunc „ præfatus Comes Stephanus volens suæ „ consuetæ fidelitatis constantia famulandi „ promptitudinem demonstrare, cum eadem „ multitudinem gentium - - suarum - - „ & dicti Domini Episcopi fratris sui - - „ ad obtinendas dictas galeas - - asseritur „ transmisisse, quæ quidem galeæ postmodum notabiliter ex suo, & eorundem „ aliorum Baronum regni nostri industrio„ sa cooperatione funditus ruptæ, ac pe„ nitus combustæ, & concrematæ extite„ runt. „

(28) Tres fuere hujus nominis urbes. Una ad Istrum, quæ major Nicopolis, de qua infra. Altera ad Hæmum montem, tertia ad Nestum Thraciæ fluvium. Ex duabus his postremis igitur unam oportuit fuisse Nicopolim minorem. Quæ autem fuerit, conjicere nequeo, quod scriptores nullam itineris rationem singulatim memoriæ prodiderunt.

chee Valachus Vayvodam jurejurando prius obstrictum, quo se in Hungariæ regum fide futurum spoponderat, ditionibus restituit, ac rediturus in Hungariam apparabat. Cum ad Alpes Pazara dictas ventum est, Myrche fidei datæ, ac beneficiorum immemor contractis celeriter Valachis fauces alpium insederat, noxque indagine custos fame, aut sagittis veneno illitis delere constitutum habebat, nisi Gara assumptis militum audacissimis cum prætoriana cohorte in rupes eluctatus, magnaque virtute pugnam conserens Valachos, quamquam cum magna suorum cæde, ex insidiarum loco profligasset, ac regem cum exercitu incolumem præstitisset. (29) Oborta plerisque suspicio est, Vayvodam aut clam inter cum Bajazethe Turcorum regulo consilia, aut Horvathi, aliorumque factiosorum muneribus huc adductum, ut datam paulo ante fidem turpissimo facinore ingratissimus mortalium temeraret.

Annus Christi 1392

Sed Valachorum perfidia magnum discrimen adit.

Tam singularem perfidiam quo minus rex castigatum iret, tristissimus de conjugis obitu allatus nuncius effecit. Nec quo mortis genere, nec quo mense obierit, aut ubi humata (30) sit, scriptores prodidere, ita oscitanter Mariæ res ab iis consignatas reperio. Sigismundus, qui ex præteritis conjecturam futurorum capiens, facile prospexit, quas sibi molestias in conservanda republica mors conjugis deinceps conflatura esset, ancipiti cura magnopere distrahebatur, præsertim, quod Wladislaum Poloniæ regem, qui Hedwigis titulo Hungariam ad se pertinere contendebat, cum exercitu appropinquare intellexisset. Ita in quam se partem verteret dubium, Joannes de Kanysa Strigoniensis Archi-Episcopus metu absolvit. Is rege absente regni limitibus, qui Poloniam ab Hungaria discriminant, milite communitis Wladislao obviam profectus, facile qua pollebat eloquentia, illi persuasit, ut dilata in aliud tempus controversia copias in Poloniam reduceret. Qua re incredibilem sibi apud exteros prudentiæ famam, apud regem vero gratiam, quæ amicitiæ proxima esset, conciliavit. Felix, si, quod deinceps exequemur, comparatam eatenus laudem levitate non corrupisset. (31)

Absenti in bello regi Mariæ conjux moritur.

Ceterum Sigismundus haud satis tutas domi res futuras arbitratus, ab Wenceslao opem implorare constituerat. Quare minuendum ob conjugis obitum mœrorem prætexens in Bohemiam concessit, habitaque illuc crebris consiliationibus, fratrem Hungariæ, ceterorumque regnorum, si ipse improlis decederet, hæ-

1393. Ab ejus morte in Bohemiam profectus, fratrem Wenceslaum heredem Hungariæ scribit.

(29) In diplomate anni 1408 ita rex de hac expeditione loquitur „Similiter cum assumpto „per tandem fidelium nostrorum exercitu „valido ad partes transalpinas nos moventes, fere majorem partem ipsarum partium „peragrando castrum minoris Nicopolis, „ubi Turcorum multitudo residebat, potenter obsedimus, eodemque castro, non „absque ipsorum filiorum quondam Nicolai Palatini in vinculis absente, & in „nostrorum fidelium manibus derelicto, „Myrche etiam Vayvoda nostro transalpino, qui per ipsos Turcos oppressus „extiterat, in dominio ipsarum fidelium nostrorum sui dominio restituto, tandem „cum felici triumpho versus regnum nostrum Hungariæ nobis remeantibus, in „alpibus Pazara dictis, firmissimis undique conclusis, & adunata multitudine „Valachorum per ipsum, Myrche Vayvodam in pristinæ infidelitatis, ingratitudinisque vitam relapsum, cum intoxicatis, & mortiferis jaculis contra nos, & „nostros insidiose destinatorum, exercitum nostrum circumdedit, moxque „memoratus Nicolaus Palatinus se ipsum „cum suis nobis scutum protectionis opposuit, & ipsorum Valachorum insultus „non sine morte, & læsione suorum multorum sequacium viriliter repellens, nobis vitam assecuravit.

(30) Chron. Budens. memorat in Varadiensi Ecclesia sepultam, idque illinc probabile fit, quod ipse Sigismundus testamento voluerit se in eadem Ecclesia humari. Si conjecturæ locus sit, verisimile est, coronam auream, cum primo itidem aureo minore, tum reliquum muliebrem mundum, quæ paucos abhinc annos Varadini subtus terram reperta sunt, ornamenta hujus Mariæ fuisse, nam hac fere reginarum a morte amictus olim fuit, & nullam præter Mariam illic humatam constat. Dlugossus quidem Lib. X Hist. Pol. scribit defunctam XVII. Maji. Vereor illi tamen fidem habere, quod reginæ mortem ad annum 1395 contra omnes scriptores, & Sigismundi quoque Diplomata producat.

(31) Thurocz. Part. IV Cap. VI.

Anno Christi 1393

hæredem ex asse scripsit, dataque eam in rem litteris confirmavit. (32) Credibile est pactum ea conditione initum, ut Wenceslaus Sigismundo vicissim caveret, se illi regnum, quoad viveret, adversus seditiosorum moliones, bona fide conservaturum esse. Neque enim alia de caussa huc regem adductum ex eventu paruit, quam ut defuncta Maria possessionem fœderibus, ac conquisitis clientelis sibi stabiliret. Et dabant se res utcunque. Wulkus Bosnæ Banus, quem ad Sigismundi partes transiisse narravimus, capto Auranæ Priore pleraque Croatiæ oppida regis nomine recuperavit.

Redux intempestivo caeli-bus ensibus ferit

Tam prospera rerum status paucorum in regem conjuratio intercepit. Sigismundus e Bohemia Budam redux meris suspicionibus omnia agitari reperit, sive cognitum esset, regnum imprudentibus Proceribus Wenceslao transscriptum, seu Wladislaus Polonus, qui Hungariam defuncta Maria ad Hedwigem sororem pertinere arbitrabatur, Optimatum studia clam captaret. Quidvis in caussa fuerit, Sigismundus in dies magis intractabiles Nobiliorum animos expertus, repente a mansuetudine, qua hactenus in suos utebatur, ad severitatem gradum faciens primum omnium iræ exemplum in Stephano Konthio præbuit. Is ex vetusto Hedervariorum genere ortus, militarique laude æquales suos fere præcellens uno cum triginta duobus ex Nobilioribus fœdere, detrectata palam obedientia, Savum versus cum sociis abierat, an ut seditiosis, qui illuc plerumque arma circumferre soliti sunt, se conjungeret, an gravius aliquid in Sigismundum moliretur, incertum est. Rex comperto hominis abitu, veritus, ne, in quamcunque partem se daret, ob generis splendorem, laudemque fortitudinis, graviter rebus suis olim incommodaret, Georgium Waydasium, fidum sibi præ ceteris hominem, regno excedentes consequi jubet, & comprehensos se coram destituere. Neque is segniter mandata faciebat: contracta equitum manu celerrimis itineribus fugientes consequutus, nil tale veritos oppressit, & plaustris injectos Budam reduxit. Jussi caussam secessionis reddere, cum nihil in medium proloquerentur, neque ulla regem honoris significatione colerent, in vico S. Georgii capite truncati sunt. (33)

1394. *Ac una cum Bosnensium rege fœdera sancit*

Ea re non modo, quod existimabatur, regi securitas parta non est, sed major in dies conflata invidia. Itaque ne, si quid domi ex improviso turbarum oboriretur, foris quoque hostem sibi consciscceret, cum Dabiscia Bosnæ rege, quem in clientelam Sigismundi concessisse supra memoravimus, ita transegit, ut ratis amicitiæ fœderibus, quæ prius pepigerant Principes, Bosnæ fidem præterea facerent, se maritimas urbes post Dabisciæ mortem regi dedituros esse. Tabulæ, quæ eam ob rem communicatis utrinque consiliis confectæ sunt, in hæc verba habent (34)

Sigismundus Hungariæ &c. rex fidelibus suis, egregiis, & generosis, magnificis, Wolkuner filio Zene, & fratribus, nec non filiis fratrum ejusdem de Dovina salutem, & gratiam. Etiamsi virtus quælibet suo non debet præmio defraudari, fidelitas tamen eo abundantius attollenda, præmiisque temporalibus propensius compensanda, quanto ipsas virtutes politicas antecedit, & omnem temporalem affluentiam non immerito transcendit. Proinde, quia vos de consensu, & voluntate inclyti Principis, Domini Stephani Dabisciæ, regis Bosnæ, fratris nostri carissimi, & Dominæ Elenæ reginæ, contoralis suæ, sub sinceræ fidei puritate fidelitatem perpetuo nobis ob-

ser-

(32) WINDECKIUS cap. XI. *Auch an der ersten reise* (contigit autem anno 1393 juxta cap. V. ejusdem Windeckii) *do gelobet uns* (Wenceslao, nam hic hoc capite loquens inducitur) *unser bruder Konig von Ungern, das das erbe teil noch seinem tode uf uns scholte gefallen*

(33) THUROCZ. Part. IV. cap. VII. Addit que in hæc verba: *Cum autem externi votis illius Spatharius Stephani Konth Chom-*

ks vocatus - - - fratibus vocaret assiduis, & rex illo conspectu dixisset: confitere sis literatus, & fiere desiste, en ipse Dominus tuus, qui tibi plura donare poteras sum, quam ille, qui decollatus est. Ad hæc pretium respondisse fertur: *Ego tibi, velut Stephe Esbent cuti serviturus ero unquam.* Sit fides penes auctorem, mihi id persuaderi prorsus non potest.

(34) LUCIUS Lib. V. cap. III.

servandam promisistis, & nostræ Majestati juratis, ac vestris litteris mediantibus, vos propriis obligastis, quod nostram Majestatem, post mortem prædicti Domini Stephani Dabisciæ, regis eiusdem Bosnæ, in vestrum verum Dominum naturalem assumeretis, haberetis, & teneretis, uno ex tunc nostræ Majestati, tanquam regi, & Domino vestro naturali per omnia obediretis, & obtemperaretis. ideo nos volumus vos in antiquis libertatibus, & legibus, ac observantiis illibate conservare. Datum in Dyako, Sabbatho proximo ante festum B. Margaretæ Virginis, & Martyris, anno Domini MCCCXCIV.

Annus Christi 1394.

Facile Dabiscii pactis conventis assensus est, partim quod ab omnibus pro legitimo rege non haberetur, partim quod prole destitutus, malueret omnino regnum in Sigismundi, quam Tuartki cognomento Scuri arbitrio esse. Secundum hæc magnis itineribus rex in Poloniam contendit, &, si fides Polonicis annalibus sit, IX calendas Augusti Hedvigem reginam, quod Wladislaus in Lathuania abesset, in Sandecio oppido convenit. Quid causæ fuerit suscepti itineris scriptores non prodiderent crediderim, quoniam dies aliquot regem cum Hedvige de gravibus rebus tractasse plerique memorant, Hungariæ causa iter id hunc susceptum, operorque, bona Hedvigis venia, consensuque, regnum Sigismundo assertum esse. Nam eam ob rem & admotas Hungariæ copias ab Wladislao constat, & Sigismundum, ne id fieret, verum esse ex rebus narratis perspicuum est. Dies aliquot ab regina perhumane habitus, splendidisque exculius muneribus in Hungariam revertit. (35)

Tum in Poloniam proficiscitur cum Hedvige de Hungaria transigit.

Hæc ea parte, qua trans Tibiscum ad Transilvaniam vergit, intestinis motibus, vehementer interea lacerabatur, partim faventibus Sigismundo, partim Stephano Vayvodæ perdito studio adhærentibus, qui eas plagas colebant, Nobilibus. Stephanus enim abhinc, quam a Maria ex eo Magistratu in Croatiam traductus est, & una cum conjuratis societate hostis reipublicæ declaratur, dignitatem eam per tyrannidem arripuit, (36) confectusque potentissimorum hominum clientelis seorsim in ea provincia sibi dominationem parabat, traducto in transtibiscanam quoque Hungarium imperio, in qua nobilissimos quosque sibi antea conciliarat. Ex his Herczegii facile principes fuere, & fortunarum affluentia, & magnæ in vulgus auctoritatis, quos si in partes suas alliceret, facile intellexit Sigismundus, & suam in ea provincia auctoritatem salvam fore, & Stephani vires vehementer diminutum iri. Quare Joannem, erat enim hic inter Herczegios potentissimus, pollicitis, blanditiisque aggressus, tum oblata erratorum venia, nullo negotio ad pristinam fidem revocavit. Cujus exemplum ut ceteris quoque incitamento esset, litteras per regnum vulgavit, quibus factam Joanni impunitatem in hæc verba significavit. (37) *Nos Sigismundus Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c rex, Marchio Brandeburgensis &c. Memoriæ commendamus per præsentes, quod nos de pietate regia, quæ magis misereri solet, quam ulcisci, & delinquentium excessus, & enormitates lenitate misericordiæ temperare consuevit, Joanni filio Nicolai dicti Herczegh super universis, & singulis factis enormibus, & excessibus per ipsum adversus culmenis nostri excellentiam quoquo modo perpetratis, de plenitudine regiæ pietatis, gratiam, & misericordiam in capite, possessionibus, ac aliis pertinentiis, & juribus possessionariis, - - & bonis suis omnibus faciendam duximus, imo facimus præsentium per vigorem. Ita tamen, quod si quibus damna, - - & injurias intulerit, eisdem juxta regni nostri consuetudinem petentibus, justitiæ mediante satisfactionem præstare debeat, & teneatur: seque de cetero ab omni nocturnitate studeat immunem conservare. Quocirca fidelibus nostris - - Justitiariis regni nostri, præsentibus, & futuris firmissime præcipientes mandamus, quatenus prænominatum Joannem - - gratiæ nostræ formam, intra, aut extra judicium, in persona,*

Nobiles dissentientium ad fidem redeunt.

B b vel

(35) Dlugossus lib. X. Cromerus lib. XV.

(36) Conjecturam capio istinc, quod his annis nullus in publicis instrumentis Wayvoda reperiatur, ad annum autem sequentem primum legatus hac dignitate ornatus Stiborius Comes de Zemik.

(37) In MSS. Hevenesis.

Anno Christi 1395. Stephanus Laczkovichius Crisium conventu jussu regis in Procerum conspectu necatur.

vel rebus, & bonis impedire non debeant. Datum Szegedini octavo die ante festum omnium sanctorum, anno Domini MCCCXCIV.

Ea regis facilitate quamquam multos posita inimicitia ad obedientiam rediisse exploratum sit, tamen, qui Konthi nece anno abhuc altero patrata magnopere offensi erant, implacabili in Sigismundum odio fuisse, res, quas deinceps complectemur, declarabunt. Auxerat suorum in se iras rex, dum conventum Hungariæ, ac Croatiæ Principibus Crisium hoc anno indixit: ad quem cum Stephanus Laczkovichius multum caterva stipatus præter morem venisset, regis jussu una cum nepote comprehensus, ac in medio Procerum capite truncatus est. Corpus per fenestram ejectum, ac ludibrio habitum. Hic exitus hominis fuit, qui, si generis splendorem, & res pro republica fortiter, ac cum laude patratas perfidia in exitu non corrupisset, inter primos jure censeri poterat. Ejus mors, quamquam majora ob prodictam Mariam commeruerat, tamen plerosque Optimatum Sigismundo postea infensos reddidit. (38) Cæso Laczkovichio lis, quæ inter Jadrenses, & Pagenses oborta fuerat, regis judicio transacta est, quo constitutum, ut Pagus eadem, qua ceteræ in Dalmatia urbes, libertatis prærogativa frueretur, nec quidquam Jadrensibus in eos juris deinceps esset, mansitque in sententia rex, tametsi Jadrenses oblatis quadraginta aureorum nummum millibus pristinam dominationem recuperare niterentur. (39)

1396. Bellum in Turcas meditatur.

Id regi a plerisque vitio datum est, quod Jadrenses, quorum in quamcumque se dedissent partem, magna semper in Dalmatia fuit auctoritas, tam alieno tempore, & dum bellum in Turcos meditabatur, egerotque eorum auxilio, irritare perexisset. Erat tum Sigismundus Tinini in maritima Dalmatia (40), magnoque ad Turcicum bellum apparatus faciebat. Ne quid tamen intutum domi Pagensium, & Jadrensium dissidia relinqueret, Joannem de Gara Zagrabiensem Episcopum, cum Joanne fratre, ac Batkone de Nadasd, Comite Corbaviæ, Jadram miserat, ut causam penitus cognoscerent, dirimerentque. Illi cognitis controversiæ momentis Nonam profecti sententiam ita temperarunt, ut jus in Pagum insulam regi omnino assererent. Cui quamquam Jadrenses intercessissent, tamen quod spes esset, recuperandæ facilius dominationis, quam si judicium secundum Pagenses pronuntiatum fuisset, non inviti, quam rex in belli usum flagitarat, triremem concessere. (41)

Belli causæ, & quæ ad bellum ineundum moverunt auxiliares.

Rebus in Dalmatia utcunque constitutis toto animo in Turcos Sigismundus ferebatur. Causam bello Bajazetes Turcorum post patrem Amuratem Sultanus præbuit, qui triennio abhinc Bulgariam, & Valachiam fœdum in morem vastatam, in Sirmiensem quoque agrum contra pacta fœdera irruperat, & armorum metu finitimos terrebat. Quæ res Sigismundum, & Manuelem Palæologum, penes quem tum Constantinopoli rerum summa erat, nimis sollicitos habuit, ne acerrimus alioqui hostis, bellique cupidissimus, prolata in dies latius dominatione, finem Græcanico imperio, aut exitium Hungariæ afferret. Itaque missis ultro citroque Legatis de armorum communione, & fœderibus consultabant. Et Manuel quidem, qui Bajazetem urbi minare ex belli apparatu intellexerat, facile ad ineundam cum Sigismundo societatem adductus est, pollicitus præterea, se quidquid æris, & impendiorum in id bellum profunderetur, liberaliter, ac bona fide soluturum. (42) Rex his promissis ad maturandum bellum vehementer incitatus, præter Hungarorum, quos magno numero ducebat, copias, ingentes ex Bohemis, Belgisque delectus fieri imperavit, Carolumque Franciæ regem per nuncios orabat, ut ipse quoque in partem pulcherrimi facinoris venire ne gravetur, aut, si id per rempublicam non posset, suis, qui sponte vellent, armorumque gloria ducerentur, potestatem veniendi ne nega-

(38) Cl. HANERUS in Transilvania regia cædem affigit ad annum 1405. Sed non recte, ut liquet ex Memorialí Pauli de Paulo tum viventis, & cædem adannum 1395. diserte consignantis.

(39) PAULUS DE PAULO in Memorial.

(40) TININ Nonam fabfituit, fed cum Jadrenses audita sententia ad regem appellasset, verisimile est, regem Nonæ tum quidem non fuisse.

(41) PAULUS DE PAULO, ibidem.

(42) SABINUS Scriptor Turcicus in orig. & progress. Domus Ottomanicæ ex Brutuli versione pag. 183.

negaret. Confluxerat certatim frequentissima Gallorum pubes, quorum Principes fuere Comes Nivernionensis Burgundi filius, Philippus Artesius Comestabilis, Conceyus, Viennius Admiralius, & Comes Marchiæ, expertæ in bello virtutis omnes, & militari scientia insignes. (43)

Annus Christi 1396.

Conflato ex centum & triginta millibus, si Turcico Scriptori fides (44) exercitu, placuit Bajazetem legatione prius, ut Bonfinius memorat (45), pertentare, an pacem præ bello mallet. Mihi tamen, quod Turcici annales Bajazetem ad tempora in Asia minori fuisse scribant (46), legatio hæc, cum ea, quam ad Manuelem Palæologum missam narravimus, perperam confundi videtur. Utcunque id sit, Sigismundus rebus, quæ ad tam arduam, ac longinquam profectionem necessariæ essent, copiose, ac diligenter comparatis, accelerato itinere intra paucos dies Bulgariam ingressus est, & fugatis, quas Turci objecerant, copiis majorem Nicopolim (47) obsedit. Hic dum tempus in oppugnanda urbe teritur, ac minoribus prœliis, ex quibus nostri fere victores redibant, sæpe concursum est, Bajazetes de suorum periculo certior factus, ingentem secum trahens exercitum transmisso Thraciæ bosphoro Callipolim appellit, inde Adrianopolim citatis itineribus profectus, aliquamdiu moram traxit, quoad Europææ copiæ Asiaticis se conjungerent. Gravi curarum æstu in omnem partem anceps, commodum nuntius, quem Manuel ad Sigismundum miserat, ab Turcica equitum turma interceptus sistitur, apud quem cum literas deprehendisset, de hostis consilio edoctus, omnes prælii rationes, quas fœderati adversum se inierant, expeditas prorsus habuit. (48)

Copiis ad majorem Nicopolim promovet.

Litterarum hæc sententia fuit. Bajazetem magnis copiis stipatum, trajecto ad Callipolim freto, Adrianopolim properare, illinc recta Nicopolim moturum, facturumque prælii copiam, quo conserto si victoria potiatur, sine mora Constantinopolim obsidione cincturum iri. Daret igitur operam, ne se amicum veterem, remque Christianam orientis desereret, iret audacter hosti obviam, Deum, cujus res ageretur, non permissurum, ut barbarus ex arena superior excedat. Se, quantum nisus, & tempus tulerit, pulcherrimas regis destinationes, ære, ac milite etiam adjuturum. Bajazetes Manuelem suppetias Hungaris venturum ex litteris suspicatus, aggressionem prius facere constituit, quam potens ceteroquin hostis, acceptis supplementis, formidolosior evaderet. Quare curatis corporibus, jumentisque signum profectioni dat, & tertiis castris haud procul Nicopoli a nostris consistit. (49)

Bajazetes sua consilia scitur.

Sigismundus pugnam necessariam instare videns, convocatis Ducibus de prælii ratione in medium consuli jubet. Gravis de honore dimicationis inter Hungaros, & Gallos lis commota est, utrisque primum pugnæ locum acriter deposcentibus. Pro Gallis tamen pronuntiatum est, sive honoris, seu virtutis causa id factum sit. Hungari ad secundam aciem detrusi, jussique regem, si quod periculum ingrueret, observare, tuerique, inter quos Nicolaus Gara incredibili in Sigismundum fide, ac fortitudinis gloria præcipue conspicuus, tum Joannes Normbergensis Burggravius, & ipse rebus militia gestis clarus. (50) Ceteræ acies sic Ducibus creditæ, ut pro loci habitu

Acies utrinque structura.

Bb 2

(43) Daniel S. J. in Hist. Franc. lib. XI. ad an. 1396.

(44) Idris ad an. Hegyræ 798, qui est Christi 1394. Annales Turcici in Epitome Hist. Byzantinæ an. Hegyræ 744. qui istuc, nisi error typi sit, male positus congruere cum an. Chr. 1392, alioquin cadit in an. Chr. 1343, qui secundus fuit Ludovici I. Occidentales contra Scriptores plerique an. Chr. 1396 consignant, quibus et consentium, facit Chronicon Rostii, auctoris coævi, qui id bellum diserte ad an. 1396 affigit.

(45) Dec. III. Lib. II.

(46) Saidinus ibid.

(47) Hanc ad Ister ... fuit, estque probabiliter eadem, de qua Marcellinus Lib. 31. cap. 16. in hæc verba scribit „ Anchialos capta est, & tempore eodem Ni„ copolis, quam indicium victoriæ contra „ Dacos Trajanus condidit Imperator „ ... haud procul Trajani ponte eam fuisse suspicor, sed non, quod aliqui censent, trans danubium in Valachia, ut ex litteris Sigismundi certum est.

(48) Saidinus loco cit.

(49) Idem ibidem.

(50) Henelius in annal. Siles. Tom. II. Cl. Sommersbergii.

Anno Christi 1396.

lius alter alteri, si ab hoste pressi laborarent, citra moram opitulari posset. Arte etiam ante collata signa certatum est. Erat lucus arboribus ita consitus, ut & insidiis locum, & pugnaturis spatium, quantum satis erat, præberet. Hunc occupare nostris placuit: exercitus pars silente nocte illuc traducta est, mandatumque, ut, ubi pugna maxime incaluerit, hostem circumvecti, a latere, & tergo magnis animis aggrederentur, ita futurum, ut Turci utrinque pressi, aut inclinati fugam corripiant, aut internecione deleantur. Utile consilium, & quo penitus debellari poterat, nisi Bajazetes eacedem nocte castra nostrorum speculatus, quid illi molirentur, ut erat in detegendis hostium molitionibus sagacissimus, intellexisset. Redux ad suos pugnam in sequentem diem Ducibus edicit, & quid fieri vellet, datis singulatim mandatis edocet, paucis omnes cohortatus, ut virtutis suæ memores, se, & regnum Ottomanicum, defidia, aut metu hosti ne proderent. (51)

Oborta prælio sitientium Galli Ducum æmulatione corrumpitur.

Octo ad quarto Calendas Octobres sole, & copiis utrinque in aciem dispositis, Bajazetes diviso bifariam exercitu, partem suorum hostis insidias, quas in luco collocatas narravimus, observare jubet, & si res fineret, loco etiam movere, ipse cum robore peditum, equitumque turmis magno furore in nostros illatus prælio initium fecit. Pertinacissima in primis ordinibus dimicatio oborta est, Gallis locum, quem prius poposcerant, non modo incredibili virtute tuentibus, sed hostem etiam ita inclinantibus, ut ferant, Bajazetem, dum suos ad instaurandam pugnam cohortaretur, galea nudatum haud leve vulnus accepisse, & facile, nisi mature a suæ discrimini subductus fuisset, intercipi potuisse. Jamque Gallorum fortitudine, qui XV Turcorum millia in primo dimicationis calore cæciderant, nostri pedetentim ad victoriam grassabantur, cum repente, incertum quam ob causam, oborta inter Connestabilem, & Coucyum dissensio, totam prælii faciem commutarat. Neque inficiantur Scriptores Galli, intempestiva Ducum jurgatione gradum ad Christianorum cædem factum esse. Bajazetes enim id, quod erat, conspicatus novam, eamque priore acriorem molitus aggressionem, toto robore in dissidentes incubuit: pugnatum tamen diu ancipiti fortuna est, quoad cæsis maximam partem Gallis, hosteque in nostrorum latera impetum moliente plerique in fugam conjecti sunt. Cecidere eo prælio, usi fides major vero sit, ex Turcis LX, fœderatorum contra XX millia.

Cæsorum utrinque numerus.

Ex Gallis captus Comes Nivernionensis magno ære postea redemtus: desiderati Gulielmus Tremollius, Philippus Barensis, & Joannes Viennus, vexillum Sigismundi, cui Deiparæ Virginis imago inserta erat, ambabus manibus tenere in illa cadaverum strue repertus est. Qui præcipue ex Hungariæ primoribus cæsi sint, nihil consignatum reperio. Abductis magnam partem Brussam captivis, castra cum impedimentis in Turcorum potestatem venere. (52)

Scriptorum errores ex regiis litteris refelluntur.

Scio memorabilis pugnæ eventum, ac rationem partim a nostris, partim exteris Scriptoribus multo aliter, quam a me factum sit, referri, sed ego eorum, quibus usus sum, auctoritatem sequi per istorum malui, quod eam litteris Sigismundi, quibus dimicationis narrationem prolixe satis complexus est, utcunque congruam. Juvat, ne quis fidem meam desideret, eam partem, quæ hujus loci propria est, illuc attexere. (53) *Denique ita Sigismundus belli illius narrationem orditur, evolutis quibusdam temporum curriculis, & suo more annis certis se commutativis pertransitis, nos - - sceptra regiminis cum regiæ dignitatis fastigio solemniter adepti, ipsius regni, imo vero totius Orthodoxæ fidei, sub cujus vexillo sanguine crucifixi laureato, sumentes semper omnia desideriis intra triumphantium consortio speramus coronari, dampnosis vexationibus, quas Turcorum, & paganorum, ipsius fidei persecutorum infesta rabies ab antiquis temporum evolutionibus dolenter inferebat, cordiali compassione permoti, uno nostri officio debito urgente, juste provocati adversus ipsos hostes fidelium, & fidei, composito nobis undique subsidio bellicoso exercitum ad easdem infestandum in magna valde gentium numerositate pluralem, in quem ipse Comes Simon*

plurі-

(51) SABINUS loco laudato.

(52) SABINUS loc. cit. Indis ad an. Hegyræ 798. BOSSIEUS Hist. Franc. Lib. XI. Annal. Sdef. HENRICI Tom. II. Cl. SONNERSTERNII.

(53) In Diplomate, quo Simoni Comiti donationes facit. Ex MSS. Adversariis Cl. Raffiny de anno 1409.

Anno Christi 1396.

plurimis fratrum, & familiarium suorum cetu comitatus, una nobiscum dirigens gressus bellicosos, non nullis peractis negotiis triumphalibus, gloriose virtuosa bellandi firmitate conspicue praeliando: tandem juxta castrum Nicopolis majoris (54), *ubi cum praefato nostro exercitu nimium vigoroso prae multitudine gentium, bellandi agilitate suffultorum castra fixeramus, cunctis usque ad locum illum gentibus post terga dimissis, nostrae ditionis potestati in brachio fortitudinis subjugatis, ex adverso Turcorum Imperator cum numerosa copiositate paganorum, velut ex tartari profundo malignorum spirituum ernlantis multitudine nobis occurrens praeliaturus, in area certaminis gravis inter utrosque conflictus est aggressus, & bello durius inflammato caedes fit maxima, & strages indicibilis ex utraque parte committitur, cadentibus innumerabilibus utrinque personis in ore gladii ferientis. sed intermedio conflictus tempore, permittente occulto Dei judicio, qui sua incomprehensibilis sapientiae consilio cuncta dispensat ad suae arbitrium voluntatis, cui idem facere, quod velle, & tunc facere, quando velle, exercitus noster flexis habenis malbus fuit, proh dolor! a facie hostium terga dare.*

Sigismundus aegre periculo subductus Constantinopolim vadit.

Hactenus Sigismundi litterae; ex quibus nullo negotio intelligitur magna utrinque clade, tametsi de caesorum numero diserte nihil constet, pugnatum fuisse. Ipse rex hostium manibus aegre subductus, Joannis Norimbergensis Burgravii opera cum paucis familiaribus tenui navicula servatus est. Volentem adverso danubio Hungariam repetere, hostes undique oberrantes prohibuere. Itaque consilium primo quidem obtutu temerarium, exitu autem plane felix, per medias Turcorum turmas, quae danubii ripas circumvolabant, evadendi capit. Joanne Gara in continentem exposito, jussoque interea vicariam regni curam gerere, ipse cum Nicolao Joannis fratre, paucisque, quos intemerata in se fiden conspicue fecerat, comitatus, secundo Istro defluens variis actus erroribus Constantinopolim salvus, ac incolumis appulit. (55) Non possum hoc loco sive Bonfinii levitatem, seu dicacitatem Longini non commemorare, quorum prior Sigismundum eo temeritatis adductum scribit (56), ut jactaret, tam magno numero copias se barbaris objecturum, ut, si coelum rueret, facile suorum hastis sustentari possit: iste contra ludis, ac otio deditum maximum ad cladem momentum attulisse memorat, (57) quem tamen litterae publicae satis modeste de se sensisse loquuntur, & annales Turcorum ingenti cura bellum complexum esse, fortiterque dimicasse perhibent: ut adeo magnopere mirer, turcicos Scriptores regi, quam istos, aequiores fuisse.

1397. Ejus absentia res domesticae turbantur.

Sigismundo variis erroribus, quoad Constantinopolim advenisset, circumacto res in Hungaria non optimo loco fuere. Bajazethes enim victoria, quam superiore anno ex hoste reportavit, utendum ratus, Hungariam infestis signis ingressus, circumlata vastitate ingentem spoliorum vim impune Adrianopolim revexit. (58) Ea res plerosque Optimatum, sive perditum regem autumarent, seu de industria id in vulgus sparsere, eo adduxit, ut regnum, quod improlis Maria decessisset, liberum pronunciarent. Manavit ea fama in Transilvaniam quoque & Valachiam, quae primae omnium Stephano Duce detrectata aperte obedientia tumultuari coeperunt. Dalmatiam, & Croatiam Joannes Horvathus seditionis auctor permiscebat: neque Bosna turbis caruit; in qua, postquam Dabiša fatis hoc anno fun-

(54) Male igitur Timon habet Nicopolim minorem.

(55) In Diplom. anni 1408 *Cumque postea - - adversus perfidos Turcos versus Bulgariam processissemus, ibique cumeisdem Turcis, & Bajazeth eorum Imp. circa castrum majoris Nicopolis conflictus personales habuissemus, multa prius hinc inde strage cadentium in gladio commissa, tandem permittente occulto Dei Judicio parte nostra hostibus cedente, nostrique & ipsorum fratrum quondam Nicolai Palatini, ac ceterorum fidelium nostrorum nonnullis illorum abstractis, versus dictas partes Transalpinas gressus retrorsum facere coacti fuissemus, nobis cumeisdem, & paucis aliis nostris fidelibus, per flumen Danubii navali passu versus regnum nostrum Hungariae remeantibus, praefatoque Joanne cum quibusdam aliis nostris fidelibus pro custodia ipsius regni nostri permisso, ipso vero Nicolao Palatino erga nostram Majestatem restricto per amnium mare Constantinopolim - - remigrantibus - -.* De Joanne autem Norimbergensi Burgravio Annal. Siles. Henelii memorant itineris socium fuisse.

(56) Dec. III. Lib. II.

(57) Hist. Polon. Lib. X.

(58) Saadinus ad annum Hegyrae 800, qui est Christi 1397.

Anno Christi 1397.

Ex Græcia redux.

ctus esset, & regnum ex pactis conventis ad Hungarum devolvi oportuerat, magna inter Tuartkum cognomento Scurum, & Ostojam, qui & Christichus dictus, contentio successionis causa exorta est. (59)

Hæc facies provinciarum a prælio Nicopolitano erat, cum Sigismundus Constantinopoli solvens maritimo itinere Dalmatiam tandem, & repente improvisus omnibus adfuit. Nihilo tamen pacatior res propterea fuit publica, quin, cum Bosnenses in varias factiones scinderentur, Hervoja, idem omnino qui Horvathus, una cum Turcis fœdere infensissimum Christianis hostem in partes maritimas accivit. (60)

1398. Bellum in conjuratos, & eorum Principem Hervojam apparat.

In Hunc igitur, quoniam illo rerum potiente inruta omnia erant, bellum Sigismundus apparabat, scripsitque propterea ad Tragurinos litteras, ut, dum ipse interea exercitum conflaret, balistarios machinarum gnarissimos, quorum opera sibi pernecessaria esset, quantocyus transmittant. Litteræ in hæc verba exaratæ erant (61) *Nobilibus & sapientibus viris, Rectoribus, Consilio, & communi civitatis nostræ Traguru, fidelibus nostris sincere dilectis. Sigismundus D. G. Rex Hungariæ. Nobiles sapientesque viri, fideles nostri, sincere dilecti, sciatis nos veridica accepisse ex relatu, quod Hervoya Vayvoda, velut perfidus alumnus, proditionis ductus malignitate, nostrorum immensorum regalium beneficiorum immemor, se ipsum in cætum infidelium crucis Christi, Turcorum videlicet commiscerare, & coadunare, nostrique, & sacræ nostræ coronæ regni fideles in regno Bosnæ existentes offendere, & expugnare proponeret toto nisu, quodque etiam non solum in ipsius regni Bosnæ, & in nostrum, & aliorum fidelium nostrorum in Dalmatia, & Croatia regnis nostris existentium ingens dispendium reddere posset, & gravamen ad ipsum regnum Bosnæ, scutum, & defensaculum prædictorum nostrorum Dalmatiæ, & Croatiæ, regnorum, contra eosdem Christi æmulos positum esse videatur, & quia nos, Divina dextera nobis opitulante, generali in regno nostro jam instaurato exercitu, valida cum potentia ipsum regnum Bosnæ in breve subintrare, & ipsum Hervojam ab hujusmodi sui nefariis propositi præsumtuosa conspiratione, falce rigoris, ejus abscindentes protervitatem, manu potenti intendimus prohibere, ad hujus quoque nostri salubris propositi perfectionem, propter fortitudinem Passuum, & fortalitiorum regni Bosnæ prædicti, balistariorum copia nostræ celsitudini nimium existit opportuna, ideo fidelitatem vestram requirimus, idemque firmissimo regio damus sub edicto, quatenus mox visis præsentibus, balistarios vestros, quos meliores, & plures habetis, & habere potestis, ad ipsam nostram celsitudinem versus Dubichiam destinare debeatis, ita tamen, ut quilibet eorum duas balistas, & veritones in bona copia secum debeant apportare, fidelitatis indicium, & grata servitia nostræ celsitudini exhibituri in hac parte. Per quæ tandem vestram fidelitatem, & ipsos vestros balistarios dignis regalibus favoribus intendimus convenire. Secus igitur pro nostra gratia facere non ausuri. Commisimus autem per alias nostras egregio viro Magistro Joanni, filio videlicet Nicolai (62) Palatini de Gara, ut ipse eosdem balistarios simul cum balistis, & armis ipsorum, in equis Vaiachorum ad nostram nostrorum destinet Majestatem. Datum in Possegabar in festo sanctæ Trinitatis, anno Domini MCCCXCVIII.*

Quod ut ab se amoveretur, Ladislaum ex Italia vocant.

Tragurini balistarios contenuo Dubichium, ut imperatum erat, quanto poterant numero, misere. Quorum opera ususne sit Sigismundus an contra, non est compertum. Opinor totum belli in Hervojam suscepti apparatum adhæsisse, seu minus obsequentem haberet militem, seu metu novi æmuli, quem illi ex Italia factiosi opponere constitutum habebant, ab eo proposito deterritus est. Regem vero Ladislaum cæsi Caroli Neapolitani regis filium per nuntios ad capessenda potentissima regna clam evocarunt: qui primum, quod recens esset cæsi patris memoria, metueretque, ne sui perinde, ac Sigismundi fastidium Proceres pu-

(59) Timon in Epitome Lucius Lib. V. cap. III. Du Cange de fam. Dalm. & Sclav. cap. IX.

(60) Lucius loco cit.

(61) Idem ibidem.

(62) Illum intelligit, qui sub Maria cæsus est. Nam Nicolaus hujus filius id temporis nondum Palatii Comes, sed Banus, Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ fuit, ut ex Diplomatibus certum est.

paulum post subiret, aliquamdiu tergiversatus, dignitatem recusabat, tum precibus Legatorum persuasus Philippum Admiratum in Dalmatiam abire jussit, ut quo loco isthinc res essent, satin tuto, & bona fide ageretur, videret, referetque. Is ut Dalmatiam tetigit, conventum Tinini indixerat, cui dum præter Ostojam Bosnæ Regem, & Hervojam ejusdem Vajvodam plerique Croatiæ Proceres, & Dalmaticarum urbium oratores interessent, rogatæ omnium sententiæ sunt, placeret ne Ladislaum ex Italia ad capessendam rem publicam accersere? Jadrenses primi omnium in eam sententiam ivere, ut is accerseretur, rati, quemadmodum postea evenerat, Pagum insulam, quam Sigismundus ex illorum juribus exemerat, se recuperaturos. Ad rei tamen summam quod faceret, nihil omnino decretum est, quod, quæ Optimatum Hungariæ mens, & destinatio esset, nondum intelligi potuit. (63)

Annus Christi 1398

Agebantur hæc majore strepitu, quam ut Sigismundum laterent, qui multis curis anxius, clam cum Jadrensibus de Pago insula egit, pollicitus, se insulam iis redditurum, si decenni spatio quatuor aureorum numum millia quotannis penderent; adjecerat, cupere se, ut primam pensionem intra viginti dies per hominem spectatæ fidei sibi Zagrabiam, aut in Hungariam transmitterent. Jadrenses, quod opulentissimæ insulæ inhiarent, brevi tempore postulatam auri summam collegere, & Segnæ, tutissima omnium urbe collocatam regi per nuncios significarunt. Adductam hactenus cum Jadrensibus destinationem Pagenses intercepere, qui communito urbis castro, & navibus comparatis, malebant vim adversus regem etiam experiri, quam in Jadrensium potestatem venire. (64)

1399. Itaque Rex Jadrenses sibi conciliare nititur,

Sigismundus re infecta spem quoque conservandæ Dalmatiæ propemodum posuit, quod Jadrenses, nisi recuperata insula, ad suas partes traducendi ægre viderentur, eorumque exemplum reliquæ urbes secutæ rem omnino conclamatam, aut prorsus impeditam redderent. Ita sollicitum, & in quam partem se verteret ambiguum regem, nova, eaque molestissima cura excepit, dum Hedvigem Poloniæ reginam XVI. calendas Augusti ex partu obiisse certus nuntius comperisset. (65) Reginæ mors cum multas ob caussas, tum præcipue propterea ingentem Sigismundo metum attulit, quod Wladislaus, qui viva conjuge nihil in Hungariam ausus est, ea defuncta ab armis minime sibi temperaturus videretur. Fuereque multi Procerum, quos in Wladislaum clandestinis studiis ferri suspicio erat. Rebus tam periculoso loco constitutis in paucorum comitatu Bohemiam petere animum induxit, ut a Wenceslao fratre, aut patruo Moraviæ Marchione, in quem haud multo ante commutata sententia Hungariæ jus transtulerat, (66) suppetias, quibus propulsando periculo non impar esset, opemque impetraret.

Et in Bohemiam abit, at a fratre suppetias obtinet.

LI.

(63) PAULUS de PAULO, & LUCIUS Lib. V. cap. III. & IV.

(64) Idem ibid.

(65) DLUGOSS Hist. Pol. Lib. X. Libuit mihi ex eodem epitaphium, quod Hedvigim scriptum erat in eorum gratiam, qui id modi rebus delectantur, attexere, rude illud quidem, ob candorem tamen non indignum posterorum memoria.*

(66) WINDECKIUS in vita Sigismundi Tom. I. Menken cap. XI. Et Gerardus ex Roo Hist. Aust. Lib. IV. Edit. Oenipont. pag. 138.

* Sidus Polonorum jacet hic Hedvigis eorum
 Regum nobilis, generosa quippe fuit
Hanc tamen Hungariæ hæredem esse fatetur,
 Quam sibi naturæ gratia grata dabat.
Hæc quasi de testa Ludovici regis egesta
 Nucleus insignis, nobilitate clara.
Prodiit de porta regalis stirpe, & orta
 Francæ nido domus, denique juncta viro.
Fibula facta fuit, Lithuanique Polonorum
 Fœderis amplexu dissona regna ligans.
Cæco paganorum cætui lumenque ministrans
 Falsi, cassante, & optante Deo

Sed more gigantis animam ratione frenabat
 Se sibi subjiciens, nota pupillis erat.
Dos cleri, res miseri fuit, Ecclesiæque columna,
 Gratia nobilium, civium utrisque pia.
Quid gestu humilis, quodve superbia novit
 Noluit esse potens, maluit esse mitis.
Illa premit hostem cælitus in adversitate,
 Hæc mundi pretium impietate vocat.
Sic bonis humilis, malis furatque suavis,
 Et libera, & grata, cunctis æqualis fuit.
Non sibi deliciæ fastidia fastus & iræ,
 Sed mitis & patiens, & sine felle fuit.

Te-

LIBER IV.

Anno Christi 1400. Frustra susceptis iterum Hungariam redit.

Consilium fratris in Bohemia conveniendi, quod Sigismundus priore anno coeperat, neque malum per sese, & ad instaurandas praeterea res mire comparatum fuerat, si aut citius in mentem venisset, aut rex auspicatiore tempore in Bohemiam delatus esset. Wenceslaus enim ob vitae luxum, & socordiam communi Principum Electorum consensione imperii fastigio dejectus ignavior erat, quam ut fratri ope, & auxilio adesse posset, & Jodoco regis patruo, qui in caesi Friderici Brunsvicensis loco Imperator electus est, major cura ad stabiliendam summam dignitatem sue, quam ut se exterorum rebus abripi pateretur. (67) Quare viam nullo operae pretio susceptam relegens in Hungariam rediit, quae interea, cum abesset, haud minore, quam Dalmatia turbarum aestu agebatur. Ut enim Dalmatiae urbes, praecipue Jadrensium una cum Ostoja Bosnensi rege, & Horvatho foederibus ad Ladislai Neapolitani partes secesserant, ita non pauci Hungariae Proceres, inter quos Joannes de Kanysa Archi-Episcopus Strigoniensis (68) & Thomas de Ludán Episcopus Agriensis (69) facile Principes fuere Dalmatis, & Croatis in legendo novo rege consentiebant. Abhorrunt tamen plerique ab Italo, & regnum in Wladislai Poloni, aut Alberti Austriaci potestate esse, quam in Ladislai malebant. (70) Et Albertus quidem, quod Wilhelmus frater Joannam Ladislai Neapolitani sororem duxisset, facile, ut in Sigismundum arma corriperet induci se passus est. Wladislaus quoque vetera in Hungariam jura praetexebat, & bello, si possessionem adire vetaretur, assertus erat.

Dum

(67) Idem pag. 139.

(68) In Diplomate anni 1414. quo veniam erratorum Comiti de Segus facit. Ex MSS. Cl. Raicsanyi. *Nos nullis Praelatis, Baronibus, Proceribus, & Nobilibus regni nostri spiritu rebellionis inflammatis, commotuque suggestione vanosis, & ad nostri privationem regiminis fub perperam machinantibus, in quorum manibus vice prima capitis nostri captivitas, & secundo gravis regni nostri vastitas & ruina, praedaque multimoda cum execrabili strage plurimorum regnicolarum — in generas partes, nostrum utpote rectissimum, & opposi-tum, sobiati rebellium nostrorum — prout de his adhuc in hodiernum tempus fama dirigitur per multas mundi regiones, Reverendissimo in Christo Patre Domino Joanne Arch. Episc. Strigoniensi pro tunc familiarie, una cum eodem in primis metrorum inductus, pro sue facultatis viribus adhaeserit.*

(69) Ibid. *Siquidem tunc sedatis fuit pro majori parte dissensionis intelecis fratre Thoma de Ludás dudum Episcopo Agriensi, cum plerisque suis complicibus adhuc in suscepta perfidia stante — —*

(70) In laudato Diplomate an. 1408.

Teneris in annis calcata cupidine carnis
  Mentis in arcano, obsequiumque Deo,
Lectores format, quos certus nobilitas ornat.
  Quo sua memoria jugis in orbe viget.
Caetera non esse credo narrare necesse
  Obsequia multa praestitit ipsa Deo
Si rerum pondus ratio bene consulat omnis
  Floruit in illa non temerata fides.
Tandem foeminea prole fecunda fetali
  Hanc parit exultans, protinus unde venit.
Res male, res flebilis, res omni digna maerore
  Nam parens & nata occubere simul.
O quantos populo hinc attulit illa dolores!
  Qua fidus insigne hunc refecta fugit.
Mille trecenteno anno nonagesimo nono
  Luna in Aquario lucente canora sole.
Hora terciona Julii, die septima Deca
  Petiit occasum heu! regnale sidus.
Occubuit inopum solamen & miserorum,
  Et mater, & Domina, spesque fidesque simul.

Aret, quae floruit, quam nostri vivere, somnum
  Lethalem patitur, lethali labe carens.
Quod recensemus vitae praesentis occasum,
  Quod oritur, occidit, fuerunt quod floruit.
Pessima pravorum certe mors, optima piorum,
  Non obiit, abit, quae vitam adit.
Et quia non plancta, sed prece juvare necesse
  Orate supplices corde voceque simul.
O rex Polorum regnans hanc Poloniorum
  Suscipe locandam in paradiso tuo.
Spirat ubi nardus, miscentur aromata, nectar
  Conficitur, sudant balsama, mella fluunt.
Dulcia mella fluunt, resonant harmonia, cantus,
  Pellitur unde fames, tollitur unde calor
Odor ubi fragrat, rosa pullulat, scatent amoena,
  Ver, ubi non glacies, nec ubi regnat hyems.
Amen.

Dum hæc clam regia in Hungaria fiunt, Hervoja, inito cum Jadrensibus fœdere, posita larva aperte Ladislai partes contra Sigismundum sectatus, pæne omnem Dalmatiam in sui consecutionem traxit. Fœderis conditiones ejusmodi fuere; Jadrenses Ladislaum erecto ejus vexillo, & ejurata, qua Sigismundo obstricti erant, fide, Hungariæ regem accipiant, colantque: Hervoja vicissim, si quod periculum Jadrensibus propterea ingrueret, bona fide civibus contra omnem hostem auxilio sit. Tabulas, quo illis publica conciliaretur auctoritas, Ostojæ Bosnensis regis nomine ita consignare placuit (71)

Anno Christi 1401. Reversi Hervojas Ladislaum Regem appetunt.

Nos Hervoye supremus Vayvoda regni Bosnæ, ac vicarius generalis Principum serenissimorum regum, regis Wladislai, & regis Ostoyæ, memoriæ commendamus, & significamus, quibus expedit universis, quod nos non vi, dolo, metu, vel alio aliquo ingenio ducti, sed nostra propria voluntate, & arbitrio coacti, egregios Rectores, Nobiles, Consilium, & commune civitatis Jadræ per fratres nostros speciales recepimus, & assumsimus, promittendo, & obligando fide nostra militari mediante, præfatos Rectores & nobiles de eadem civitate totis viribus nostris omnibus locis, & temporibus oportunis, contra & adversus quoslibet, prædictos nobiles molestari juste vel injuste volentes, non parcendo personæ nostræ, & nostrorum servitiorum, neque bonis, adjuvabimus, & toto nostro posse defendere obligamus, & quod nunquam temporis in processu, per nos, neque per alios quospiam, præfatos Rectores, Nobiles, & commune prædictæ civitatis, & sic per præsentes privilegiales litteras tueri volumus, si prædicti Rectores, & Nobiles elevabunt vexillum serenissimi regis Ladislai, & si elevaverint præfatum vexillum, juranda super sanctam crucem, & reliquias ad fidelitatem Uladislai, & non deponere præfatum vexillum usque mortem: nos promittimus cum præfata fide militari nostra, quod serenissimus Dominus noster rex Ostoya Bosnæ vult jurare super sanctam Crucem, & reliquias, quod nunquam in vita sua ad manus - - - prædictos Nobiles, & civitatem Jadrensem, nec nos Hervoye cum consorte nostra, cum filio nostro unico, fratribus, & familiaribus nostris, videlicet cum Dragisicio, fratre nostro Voyslavo, Voyaco, Petro Vayvoda, Tuartho, & fratre suo Voyco, & cum aliis familiaribus nostris, nobis placidis jurare volumus super sanctam crucem, & reliquias prædictas, Nobiles universos de prædicta civitate viribus nostris semper cum potentia dicti Domini Hungariæ regis, contra ipsorum æmulos semper juvare volumus usque mortem nostram non dimittendo, sed semper promte, & parate vos prædictos Nobiles defendere, & vendicare contra omnes homines. Imo volumus præfatis Nobilibus assignare privilegia Domini nostri regis, & nostra sub pendenti sigillo in ejus rei testimonium. Datum in Campo - - - anno Domini MCDI.

Ita propterea cum Jadrensibus fœdere

Ut in vulgus fœderatio hæc manavit, sumsere quoque animos conjurati Hungariæ Proceres, ut quod adversus regem clam machinati fuere, opere ipso denique exequerentur. Erat in recenti omnium memoria clades Nicopolitana: nec nihil hac contulit neglecta Dalmatia, tum turbæ in Hungaria, quæ aliæ ex aliis in dies oriebantur, quasi vero istæ non alia via sopiri possent, quam si in jura in regem assent. In eo factiosos conspirasse, ut Sigismundum in potestatem redactum, exilio mulctarent, ex litteris regiis compertum habeo: qui vero præter Archi-Episcopum Strigoniensem, & Agriensem Episcopum in istorum numero fuerint, quoniam rex tacitis eorum nominibus de criminis solum gravitate in diplomatibus queritur, nuspiam inveno. Lackovicium, quod Thuroczius vult, auctorem conjurationis fuisse, magnopere a vero abhorret, quem dudum ante regis jussu cæsum esse, prorsus exploratum est. Erat tum Sigismundus Budæ, cum conjurati communicatis inter se consiliis nefarium facinus machinari constitutum habebant. Ut vigilantiam illius fallerent, neque enim omnis adversum se susceptæ molitionis prorsus imprudens erat, magno numero officii causa, armati tamen regiam intraverant aut captari regem (ut Sylvius refert,) aut, si id non succederet, occidere: quos ut ad se irrumpentes cognovit, accepto pugione in medium progressus, ecquis, inquit, vestrum manus in me injiciet, aut quidnam feci, quod me

Eodem malo Hungari cor regni Sigismundum invadunt

(71) Lucius Lib. V cap. 4.

Annus Christi 1401.

me regem vestrum occidere vultis? prodeat e vobis, si quis audet, & mecum solus solus congrediatur. Ea voce, & audacia obstupuere conjurati, neque tamen, quod fabulatur idem Sylvius, *sibi quisque timens abiere.* (72) Sed captum omnino honesta custodia Soklosini, aut, ut alii malunt, Vissegradi tenuerunt, utque domestici annales communiter perhibent, filiorum cæsi Nicolai de Gara fidei credidere, ratis, & infenso hos in Sigismundum ob patris cædem animo esse, & captivum nuspiam melius conservatum iri. Sed hæc imperite prorsus narrantur, quando ex diplomatibus aperte conficitur, Nicolaum, & Joannem trucidati Palatini filios summa in regem fide semper fuisse, ac propterea magnæ apud eum gratiæ loco positos, & splendidissimis Magistratibus admotos quo magis exteri scriptores peccant, qui filiorum patrem regis jussu cæsum esse, nescio, quo commento seducti, literis prodidere.

Et rationibus Nicolao de Gara tradunt

Illud fortassis non improbabile est, Nicolaum, & Joannem de Gara, ut primum Sigismundum a conjuratis captum intellexerant, operam inprimis dedisse, ut captivus suæ fidei crederetur, non ad perdendum, sed servandum regem, quem Windekius scriptor coævus non de nihilo ad oppidum Gara Visegrado traductum commemorat. (73) Ex quo errorem cum domesticis, tum exteris scriptoribus obortum suspicor, ut capiti Sigismundi invidiam in istos temere conjicerent. Re enim vera & liberati, & cum Proceribus conciliati regis gloriam utriusque studio, & soli deberi, literæ Sigismundi apertius testantur, quam ut a quoquam prudenter dubitari possit. Quas cum res hactenus a nobis narratas in clarissima luce constituant, merito annalibus inferendas putavimus. *Cum itaque* (his verbis rex suæ libertatis assertores publico testimonio cohonestat) *gubernacula regnorum nostrorum - - - optate teneremus - - inopinabilis casus eventu per quosdam Prælatos, & Barones dicti regni nostri, ut ex eorum relegaremus, capti fuissemus, jamque defacto rex Poloniæ, & Dux Austriæ ex invitatione dictorum nobis adversantium, in dictum regnum nostrum Hungariæ ad usurpandum sibi ipsis, diadema nostrum regale, regnaque nostra prædicta subintrare moliebantur; tunc præfati Nicolaus, & Joannes frater suus, revera percipientes mortis periculum, exitiumque prætactum nobis imminere, se pro liberatione nostræ personæ, fortunæ casibus submiserunt, partes suas pro nostra Majestate erga dictos Prælatos, & Barones pro firmanda pace interponendo, eisdemque Prælatis, & Baronibus nobis contrariantibus ipse Nicolaus fidelis mediator, præfatus Joannem fratrem, & Nicolaum filium suus pro fulcimento determinationis dictæ inceptæ pacis in obsides assignando. Dum igitur duobus vicibus ipse Nicolaus per suos studiosos labores inter nostram celsitudinem & præscriptos Prælatos, & Barones pro ejusdem pacis obtentu multimodos fecisset tractatus, ad ultimum Dei disponente clementia, in cujus manu omnia continentur, idem Nicolaus prætactos tractatus pacis acceptos, & ductos ruminatos, fine, via, & modo tam laudabilibus terminavit, quod nostra persona ex præscripta detentione ejusdem Nicolai Palatini laboribus, interpositione, tractatibus, & laudabilibus dispositionibus mediantibus erepta, prifinaque regnorum, diademati, & regnorum nostrorum prædictorum realiter, & integre restituta exstitit pleno cum effectu* (74) Hactenus literæ regiæ, ex quibus quem in modum Sigismundus in libertatem vindicatus sit, omnino perspicuum fit. Non nullas quoque in liberando rege partes Hermannum Cillejensem Comitem habuisse Windekius memorat, (75) neque id penitus improbabile est, quod hujus filiam natu majorem Nicolaus de Gara conjugem haberet. (76) Itaque quid quid de Garaiorum matre, & regis ad feminæ pedes miserabiliter prostrati lacrimis, ceterisque haud sane viro, & Principe dignis fabellis nostri communicatur, plane explodendum est. Sed his suus, cum usus feret locus erit.

Ipsius opera liberatur

In

(72) Commentariola dicta & facta Alfonsi regis Lib. III.

(73) MENKENII Tom. I. script. rer. German. c. IV. sed male ad an. 1399. also ward Konig „Sigmund von seinen Leuthen gefürt zu „des Blinderburg gefangen, und furten in „do forpas gen Garawe uf das Husse, do „lag er achtzehen Wochen gefangen. - -

(74) In Diplom. laudato anno 1408

(75) WINDEKIUS cap. IV

(76) In Diplom. anni 1408. *Cujus quidem consortis nostræ (Barbaræ) prioram sororem eidem Nicolao Palatino matrimonialiter exstitit copulata.*

Annus Christi 1401

Interea dum rex captivus in Hungaria detineretur, Jodocus, & Procopius Moraviæ Marchiones, conflato exercitu in eam regni partem, quæ Moraviæ contermina est, irruperunt, totumque eum tractum, Posonio ac Tyrnavia deditione acceptis, in suam potestatem redegere: an, ut eo armorum metu conjuratos, qui violentas regi manus injecerant, terrerent, an contra, ut turbulento tempore in sua commoda uterentur, incertum est. (77) ejectos tamen ea ditione, quam vi occuparant, aut sponte decessisse postea dicetur.

1402 Liberatus ex carcere Cilejensis Comitis filiam sibi despondet

Sigismundus, ut primum ex carcere, quem XVIII hebdomadas coluit, evaserat, recta Ciliejam ad Hermannum II. profectus est, seu ut homini, quem ad se liberandum haud leviter cum Nicolao de Gara adlaborasse cognorat, haberet gratiam, sive conciliando cum ejus filia matrimonio, res suas in Hungaria patris potentia, & auctoritate stabilire voluerit. Et Barbaram quidem Comitis filiam a Sigismundo ambitam Chronicon Cillejense memorat (78), quem honorem cum Hermannus præ modestia detrectaret, Rex ad Proceres sibi faventes rem referri per nuntium imperavit, flagitavitque, ut suam propterea apud Hermannum auctoritatem interponerent. Illi non modo ratam Sigismundi voluntatem habuere, sed datis præterea ad Comitem litteris rogarunt, ut regi etenus morem gerere ne gravaretur. Itaque sponsio futuri matrimonii solemni ritu utrinque data, & accepta est.

Inde in Austriam delatus, Albertum repudiato Wenceslao fratre, heredem regni scribit.

Inde in Austriam delatus, hac quoque parte rebus suis consulturus, Albertum IV. Ducem sibi conciliare nitebatur, a quo, partim quod per conjuratos ad spem regni olim erectus fuisset, partim quod Ladislao Neapolitano Wilhelmi fratris causa, favere credebatur, magnam sibi in conservando regno molestiam creatum iri metuebat. Post habitas igitur in utramvis partem consultationes ita utrinque convenerat: Albertus Hungariæ hæres esset, si Sigismundus sine mascula prole decederet: si filiam unam pluresve susciperet, iis Albertus nuptias conditione dignas quæreret, & singulis centena Hungaricorum aureorum numum millia in dotem numeraret. Hæc in hunc modum transacta esse tabulæ publicæ docent, vicariatus Imperii sigillo munitæ, quibus pacta irrita reddit, quæ prius eadem de causa cum Jodoco patruele Moraviæ Marchione Sigismundus inierat. (79) Atque id monumentum, ut puto, primum est, quod de Austriacorum Ducum in Hungariam jure in annalibus hucusque repererim. Ceterum sintne tabulæ communi, ut oportebat, Procerum consensu firmatæ, an contra, quod eas mihi inspicere non licuit, nihil habeo quod fidenter pronunciem; invitos tamen plerosque fuisse ex publico instrumento fide in sequentem annum docebo. Conciliata foedere amicitia rex in Bohemiam ad fratrem contendit, ut lites, quæ Wenceslao a Proceribus obmovebantur, præsentia sua complanaret. (80)

Ladislaus ex Italia Dalmatiam appellit.

Sub hæc Ladislaus Neapolitanus, qui priore anno Corcyram insulam, ut tutior in Dalmatiam transfretatio esset, Venetis triginta aureorum millibus (81) vendiderat, toto animo res Hungaricas, & spes abhinc oblatas complexus, Aloysium Aldemariscum classis Præfectum, cum quinque triremibus, & una biremi in Dalmatiam navigare jubet, ut regnum suo nomine in fidem reciperet. Ubi primum Jadram mense Augusto applicuit, erecto Ladislai vexillo signum ad defectionem dedit, quod ceteræ deinceps urbes sequutæ ab Sigismundo defecere. Communicatis deinde cum Hervoya consiliis, Auranam obsedit, brevique, quod suppetiæ frustra exspectarentur, deditione accepit. Eadem opera Tragurium, Sibenicum, & Spalatum in potestatem Ladislai venere, ut adeo præter paucos castra, qui ipsi metu factiosorum abstrusi latebant, nihil prorsus ditionis regi in Dalmatia reliquum esset. (82)

(77) Idem ibid.
(78) Ad annum 1399. sed ex narratis constat, rem ad an. 1402. consignandam esse.
(79) Gerardus de Roo Hist. Aust. Lib. IV. fateturque sibi has litteras visas fuisse.
(80) In Diplom. an. 1408.
(81) Hector PIGNATELLUS apud Lucium Lib. V. cap. IV.
(82) PAULUS de PAULO, & LUCIUS loco cit.

Anno Christi 1401

Eius partes multi ex Proceribus Hungaris sectantur

Haud meliora hoc loco in Hungaria fuere, in qua Proceres, quamquam illi cum Sigismundo opera Nicolai de Gara ita prius convenerat, ut regi legitima potestas & auctoritas in regnum esset, pactorum tamen immemores ad Ladislai partes deficiebant. Ex his tres praecipue auctoritatis fuisse comperio, Joannem Archi-Episcopum Strigoniensem, qui castrum urbis cognominis in omnes eventus ad defensionem comparatum duobus Tribunis Labosio, (83) & Stiebenhytero tutandum credidit. Ab hoc Agriensis Praesul erat, qui consimili temeritate juris jurandi prorsus incurius Agriensem arcem cum familiaribus suis Ladislao conservabat. (84) Quorum exemplo Benedictus de Macra ex profano ordine vir magnae tum auctoritatis ad paria audenda incitatus veterem Budam collecto ex perditissimis hominibus praesidio, adversus legitimum regem communivit. (85)

1403 Sigismundus dicto Viennam Wenceslao Bohemiae Gubernator declaratur

Atque ita res publica factionum studio miserrimum in modum lacerabatur, cum Sigismundus absens in Bohemia ageret. Neque illic res pacatiores fuere. Ad quas componendas cum rex Procopium quoque Moraviae Marchionem invitasset, & controversia, successionis opinor titulo, ad liquidum non posset duci, praeterea Proceres a Wenceslai crudelitate vehementer abhorrerent, urgerentque crebri ex Hungaria nuntii, ut reditum maturaret, non invitis Bohemiae Optimatibus Wenceslaum cum Procopio captivos abduxit: illumque Viennae Alberto custodiendum commisit, hunc in carcerem Posoniensem, nec nisi medio post anno dimittendum, inclusit. (86) Abhinc Gubernatoris Bohemiae titulum offerentibus eam dignitatem sponte regni ordinibus functus, collectoque ingenti ex Bohemis exercitu in Hungariam remeavit.

Proceres Hungarici seorsim cum Polonis foedus ineunt hujus caussa.

Posonium appropinquanti magna Procerum pars seu honoris, seu metus caussa obviam venit, quos ille comiter acceptos, ut conservare in obsequio facile poterat, ita si temporis rationem habeamus, parum omnino provide ab se alienavit. Veteranis enim copiis, quas eum ex Bohemia adduxisse narravimus, juveniliter fretus, pacta conventa, quae anno abhinc cum Alberto Austriaco successionis caussa inierat, in medium proferri jussit, & rogatis quidem, non item acceptis sententiis, singulos suis nominibus confirmare imperavit. (87) Ea res, quod praeter Majorum consuetudinem, & regni jura esset, celebrandi seorsim conventus occasionem Proceribus praebuit. In quo omnium suffragatione decerni placuit; quoniam rex contra fas haereditatem regni infcius ordinibus alii transcripsisset, Optimatibus creandi novi regis jus omnino liquidum esse, abrogatisque pactis cum Poloniae Proceribus foedus percussum, quo se non modo conditionibus, quas Ludovicus cum Casimiro pepigerat, staturos polliciti sunt, sed daturos praeterea operam, ut rex, quem lecturi essent, easdem servaturum se polliceatur. Quod si Procerum ingratiis contra quidquam machinaretur, aut bellum Poloniae moveret, nusquam aere copiisque adjutum iri. Idem Poloni vicissim spondentibus litteras in Zalathsak confectas pridie nonas Apriles signavere. (88)

Rex diviso trifariam exercitu in seditiosos movet

Haec prorsus tum evenerant, dum Sigismundus in refractarios belli rationes apparans, diviso trifariam exercitu turbas sopire constitutum habebat. Stiborium nobili ex Polonis genere, sed civitate jam donatum, cum Sudano ad recipiendam veterem Budam praemisit. Simoni Cariae Comiti, ut Agriam peteret, mandarat, ipse cum maxima copiarum parte Strigoniensem arcem obsidendam accepit. Res quemadmodum diligenter destinatae erant, ita feliciter quoque ex sententia cecidere. Vetus Buda intra paucos dies dedita est, Benedicto de Macra, qui urbem defenderat, in carcerem conjecto. (89) Judex Curiae, quod quadringentos solum equites duceret, parum vi se profecturum intelligens, eloquentia, qua mirum in modum pollebat, praesidiarios aggressus, facile persuasit, ut se

(83) WINDECKIUS cap. XVII. habet FRESMAN

(84) WINDECKIUS cap. XVII. Et rex in Diplom. anni 1409.

(85) WINDECKIUS ibid.

(86) Idem cap. XVI.

(87) Idem cap. XVI.

(88) Ex Diplomatario MS. Polonico apud Cl. SOMMERSBERG Tom. II. script. rerum Siles.

(89) WINDECKIUS cap. XVII.

se cum castro clementiæ regis permitterent (90) Stephano de Debrö, qui arci præfectus erat, etiam in Transilvaniam fuga elapso, paulumque post isthinc exstincto. Quod ubi ab Episcopo cognitum est, nuspiam perfugii locum videns, in Poloniam evasit, (91) neque nisi sero post agente Cracoviensi Episcopo Hungariæ, non item sedi restitutus. Sigismundus contra & ob naturam loci, & Labesii virtutem difficiliorem, quam putarat, oppugnationem nactus diu, & frustra ad Strigonium adhæsit. Neque propter autumni intemperiem spes erat dedendæ arcis, nisi Archi-Episcopus commutata in melius sententia, regem in castris convenisset, acceptaque facile venia, se in ejus potestate, fideque futurum pollicitus est. (92) Spes hinc non levis regem incesserat, Hungariam ad pristinam quietem sensim revocatum iri, cum repente omnes sibi rationes conturbatas per Ladislaum videt, qui Jadram ex Italia appellens Bonifacii Pontificis jussu, consentientibus Dalmatiæ, & Croatiæ Proceribus, rex Hungariæ creatus est. Atque istius quidem partes aperte contra Sigismundum Papam tutum fuisse, non difficulter ex litteris conficitur, quas ad Legatum suum propterea exaraverat. (93)

Anno Christi 1403

Ladislaus jussu Pontificis Jadræ coronatur.

Dilecto filio Angelo tit. S. Laurentii in Damaso presbytero Cardinali A. S. L.

Inter cætera desiderabilia nostri Cordis animarum salutem, incrementum veræ fidei, observantiam ecclesiasticæ libertatis quietem, & pacem cunctis Christi fidelibus adesse desiderabiliter affectantes, sedula solertia vigilamus, & adhibemus, quantum possumus, diligentiæ nostræ studium, ut hæc fidelibus ipsis laudabiliter possint, submotis impedimentis quibuslibet, juxta nostri desiderii plenitudinem, auctore Domino provenire. Sed quamvis universis & singulis regionibus Deo & Apostolicæ Sedi devotis favorem apostolicum, quoties necessitas ingruit, impendere debeamus, & ad eas nostræ mentis diffundamus intuitum levando in circuitu vigilis more pastoris tam corporeos quam mentales oculos, visuri quid gregi nobis commisso expediat, & quid operis impendi debeat circa ipsum, ut illius fulti præsidio, cui cogitationes hominum præparantur, quique fortium actus superat, & infirmos robore potenter accingit, ministerii nostri sollicitudinem, ad ea præsertim, quæ fidelibus populis necessario expedire viderimus, & noverimus profutura, salubriter, & utiliter expandamus, in præsentiarum tamen Hungariæ regni nobilis necessitates præcordialiter intuemur, profundis meditationibus, laboribusque, vigiliis insudando, ut eidem in hujusmodi necessitatum articulis, & maxime, ut assistentia tam spiritualis, quam temporalis charissimo in Christo filio nostro, Ladislao Regi Siciliæ illustri, circa recuperationem regni Hungariæ, ac partium prædictarum, aliarumque jurium in illis, & aliis partibus eidem Regi quomodolibet competentium valeat efficacius exhiberi, opportunum adhibeatur, auxiliante Domino, consilium, salubreque remedium impendatur. Unde cum hostis humani generis, pacis æmulus, & zizaniæ seminator ab olim in eodem regno turbationes, scandala suscitaret, & ex quibus regale solium, & ipsius regni regimen sunt depressa, vastatis fidelium bonis, ecclesiarum, & piarum locorum dejectis juribus, præsumtaque damnabiliter ecclesiastica libertate, & subjectis exinde animarum periculis deplorandis, personarum nefandis excidiis,

Hujus ad Legatum suum litteræ

(90) In Diplom. anni 1414. „ Denique castro ipso (Agriæ) pro nostræ Majestatis „ voto recuperato, adhuc non nullis nostrorum infidelium in catervam rebellionis ad„ nobis, ipso etiam fratre Thoma, & Stephano de Debreo capitalibus æmulis nostris cum eodem existentibus . . ibidem „ prælibatus Comes Simon fassissimi consilii „ maturitate perspicuus, in suorum meritorum eleganti facundia præfatorum no„ strorum æmulorum corda fæcit indurata, „ fane sentiens, opus non esse prœliis, ubi „ grata potentia triumphat gloriose . . no„ stros æmulos nostræ reduxit gratiæ, præ„ fato tamen Stephano de Debreo cum „ suis excepto, qui postmodum partes no„ stras fidem in sua perfidia paucis diebus „ evolutis vitæ metas emeavit.

(91) Windeckius loco cit.

(92) Idem ibidem.

(93) Raynald. ad hunc an.

Anno Christi 1403

cidiis, & aliis fere innumeris detrimentis, nos exinde graves, & amaras gessimus & portavimus in mente nostra puncturas, dum inspeabilis illius regni conditio, & commissorum inibi enormitas excessuum nostra pracordia evolvimus, & necnon desuper datum est, ut cum honore Dei, & Ecclesiae, & aliorum salubri statu fidelium possit commode circa tantum negotium exhoneri nostra praesentia corporalis, ut ubi mente vigilanter intendimus, ibi praesentialiter nostrum desiderium panderemus Sed quia id condicio nostra nos patitur, & innumera negotiorum undique concurrentium varietate distrahimur, illos in partem Apostolicae sollicitudinis de latere nostro nonnunquam assumimus, quibus fere personas caelesti dono provisum, ut altis & arduis negotiis sciant & possint consulere provide & utili consilio.

Attendentes itaque quod personam tuam altissimus gratiarum Dominus scientiarum magnitudine, providentiae munere, circumspectionis gratia, industriae claritate, multisque virtutibus insignivit, humeris tuis fortitudinis robur adjiciens, ut ad laudem sui nominis frequenter onera grandia supportares, plenissimam quoque de tuis meritis fiduciam obtinentes, licet apud sedem Apostolicam ex eminentia tui consilii valde necessarius habearis, ususque tuum quodammodo tanti viri praesentia careamus, tamen propter urgentem, & inevitabilem necessitatem dicti regni, ut speramus in praedictis per tuam industriam circumspectam, illa tibi auxiliante, qui potest salubriter consulere, & utiliter subvenire, ad praefatum regnum, concesso tibi plenae legationis officio, in eodem regno, ac in Sclavoniae, Dalmatiae, Croatiae, Rasciae, Bosnae, Valachiae, & Bulgariae partibus, ut in eis evellas, & destruas, dissipes, & disperdas, aedifices, plantes, & statuas in nomine Domini, sicut videris expedire, de fratrum nostrorum consilio, tanquam Angelum pacis destinamus, injuncta tibi nihilominus ut in regno ipso tam ibidem, quam in p[illegible] memoratis, inter ecclesiasticos, & mundanos viros, & universos alios, cujuscunque conditionis, praeeminentiae, ac status, agas, & tractes, quae ad cultum Dei, & praedictae Sedis honorem, observantiam, ecclesiasticae sectionis, integritatem ecclesiasticae libertatis, confirmationem regni & partium praefatorum pro dicto Ladislao, robur prosperi status regni, & provinciarum praedictarum, honestatis cultum, reformationem pacis, exaltationem pauperum, & animarum salutem, & tranquillitatem corporum pertinebunt.

Et ut circa legationis officium, quod in eodem regno Hungariae, ac aliis provinciis, ac partibus supra dictis tibi duximus committendum, eo possis prosperari facilius, pro more solito legatorum, qui missi de latere transeunt, adornati insignis per sonam nostram quodammodo praesentabis, de speciali gratia Apostolica tibi auctoritate concedimus, ut eisdem insigniis infra praedictum Hungariae regnum duntaxat uti libere valeas, praedictae legationis officium prosequendo, ita tamen, quod praemissis insigniis in aliis commissis partibus, provinciis & locis aliquatenus non utaris, ut id quod in hac parte tibi pro evidentibus necessitatibus, & utilitatibus regni praedicti, & terrarum earundem conceditur, ad aliquam consequentiam praetexta concessionis hujusmodi in regno, & terris eisdem propter hoc in posterum non trahatur: quocirca circumspectioni tuae per Apostolica scripta firmiter praecipiendo mandamus, quatenus injunctum tibi onus laboris hujusmodi pro Divina & nostra reverentia devote suscipiens, illud sic solicite & viriliter & laudabiliter juxta datam tibi a Deo potentiam exequaris, quod de tuis studiosis laboribus caelesti tibi favente clementia sperati fructus adveniant, tuque per sollicitudinis tuae ministerium illum, quae plus causas gerentibus pro retributione rependitur, palmam gloriae feliciter consequi merearis. Datum Romae apud sanctum Petrum Kalendis Junii pontificatus nostri anno XIV.

Sigismundus promulgato amnestia contumaces ad obsequium revocare studet

Sigismundus comperto Pontificis in Ladislaum studio, vulgatis per Europam litteris de injuria sibi irrogata palam questus est, simul, ne mali labes porro serperet, proposita universe erratorum venia, factiosos ad frugem revocare constituit. Id consilium ubi vocatis eam ob rem Optimatibus, ac praesertim Strigoniensi Archi-Episcopo mirifice probatum fuisset, litteras publicas confici jubet, quibus gratiam omnibus universe addicit, si intra praestitum temporis limites regis fidei se permiserint: si contra contumaces esse pergerent, aut tergiversatione

datum

datam ad consequendam veniam tempus protelarent, ad citra clementiæ illius spem omnibus capitale futurum. (94)

Annus Christi 1403.

„ Nos Sigismundus Dei gratia rex Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c Marchioque Brandeburgensis, & Sacri Romani Imperii Generalis Vicarius, & regni Bohemiæ Gubernator, memoriæ commendantes ad universorum notitiam volumus fore præsentium pervenire. Quod quia nos ad instantem, & devotam supplicationem fidelium nostrorum Baronum, Procerum, & Nobilium regni nostri Hungariæ, hic nobiscum personaliter existentium, quorum precibus propter eorum fidelia, & gratissima servitia, atque fidelitates eximias consensum nostrum possumus denegare, decrevimus cum omnibus rebellibus, æmulis, & adversariis nostris in regnis nostris Hungariæ, & Sclavoniæ, nec non in partibus Transilvaniæ constitutis, & existentibus, veram pacem facere, & concordiam stabilire. Idcirco nos prædictorum fidelium nostrorum supplicationibus favorabiliter annuentes ex innata nobis clementia, omnibus & singulis Prælatis, Baronibus, nobilibus, militibus, clientibus, nec non cujusque alterius status, & præeminentiæ, vel conditionis hominibus, in regnis nostris prælibatis Hungariæ, & Sclavoniæ, nec non partibus Transilvaniæ commorantibus ad eosdem pertinentibus gratiam faciendam duximus in hunc modum.

„ Primo namque ex regia pietate concedimus, quod omnes ipsi Prælati, Barones, Nobiles, milites, clientes, & alii prætitulati, ac heredes eorum, & cujuslibet eorum, occasione, vel ratione erectionis banderii alieni, æmuli nostri & sub ipso contra nostram Majestatem, & alios nostros fideles, diversarum pugnarum, & conflictuum, exercitationis, ablationis etiam, receptionis, seu occupationis aliquorum castrorum, districtuum, villarum, & possessionum, sive combustionis, & depredationis illorum, & illarum, nec non dissipationis & perceptionis bonorum, seu jurium nostrorum regalium, aut Ecclesiarum, vel nobilium, & generaliter quorumcunque hominum, ac etiam occasione captivationis, spoliationis, interfectionis, seu mutilationis quorumcunque hominum, tam nobilium quam ignobilium, nec non cusionis monetarum, seu denariorum, generaliter cujusvis enormis facti, per eos, vel aliquem eorum, simul, vel divisim, hucusque, quomodocunque, vel qualitercunque factorum, gestorum, & perpetratorum, nullo unquam tempore, quovis modo per nos, aut alios possint, vel debeant impediri, seu aliqualiter aggravari: sed iidem in quibusvis causis intra, vel extra judicium absoluti, penitusque supportati habeantur, nec eos quisquam judex ordinarius regni ratione prævia judicare valeat, aut damnificare, imo lites exinde subortæ, vel oriundæ sopiantur, & sedentur per judices antefatos.

„ Item concedimus, quod si aliqui ex regnicolis nostris prædictis quævis castra, munitiones, seu fortalitia, sponte, vel invite, manibus aliorum tradidissent, seu etiamsi aliqua assumta sibi potentia extraneorum aliqua damna nobis, vel regnicolis intulissent nostris, aut super civitates liberas, villas, oppida, & possessiones nostras, vel aliorum census, collectas, vel taxas recepissent, aut ad urburas, Camerasque salium, & lucrum Cameræ, seu aliorum quorumvis redituum, & proventuum nostrorum regalium, vel regnicolarum, debite, vel indebite se intromittentes dissipassent, ratione horum nec per nos, nec per aliquem alium possint impediri, sed penitus habeantur absoluti. Præterea si quæ castra, munitiones, seu fortalitia districtus, aut possessiones ad nostram regiam Majestatem cujuspiam hominum regnicolarum prædictorum forent obligata, illæ, vel illa a nemine recipiantur, nisi prius facta debita solutione, etiamsi ille, cui prius impignorata fuerat, alteri quoque ea pignoris nomine obligasset.

„ Concedimus quoque, quod omnes donationes eis hactenus factæ, majori sigillo nostro, de novo fiendo, confirmentur pro eisdem. Ceterum si contigerit in posterum per regnicolas in regno aliquam congregationem generalem celebrari, ne in eadem ratione præmissorum nos, vel aliquis ex regnicolis nostris

„ aliquem

(94) In Codice jura patris.

Anno Christi 1403

„ aliquem ex prædictis Baronibus, Nobilibus, militibus, clientibus, vel ad ipsos spectantibus, simul conjunctim, vel divisim, quocunque exquisito ingenio condemnare, aut aggravare vellemus, vel niteremur, id nullo modo nobis, vel eorum cuilibet in personis, possessionibus, & bonis universis liceat facere, neque valeamus, possimusque. Insuper omnes Episcopatus, dignitates, & beneficia ecclesiastica qualibet; item castra Rohoncz, Jaurense, Hrwsow, & Podolin in casu, quo Nicolaus filius Stephani de Liblyo, & ipsum Podolin non in honorem, sed in perpetuum habere dignosceretur, nec non munitiones, & possessiones a viris ecclesiasticis, vel secularibus, aut Nobilibus quovis modo ablatas, occupatas, & receptas, duximus eis, a quibus eædem abalienatæ fuerant, pleno jure remittendas, illis videlicet, pro quibus uterque Nicolaus Wayvodæ Transilvaniæ duxerunt obsides nobis dandos.

„ Deinde omnibus & singulis Prælatis, Baronibus, Nobilibus, militibus, clientibus, cæterisque cujusvis status, & conditionis hominibus, & regnis, & partibus superius nominatis, pro quibus ipsi Wayvodæ ipsos obsides eorum, stare voluerint, usque ad dies triginta a die datorum præsentium, in ante memorandos nominando, ipsi nobis in scriptis nominatim intimaverint, gratiam facere ipsis, & eo modo, quo cæteris rebellibus indulgere. De potioribus autem Proceribus, ac sociis sequacibus, fautoribus, & adhærentibus ipsorum æmulorum nostrorum, & cujuslibet ipsorum, pro quibus obsides non habebimus, statuimus, quod illi, si usque ad festum Dominicæ Nativitatis, nunc venturæ, coram nostra Majestate in dicto regno nostro Hungariæ existentes personaliter comparuerint, debeant cum consilio tamen Prælatorum, Baronumque nostrorum consilii nostri, in forma aliis concessa gratiam obtinere. Si vero venire contempserint, eis præsens gratia nihil suffragetur. De familiaribus vero, quorumcunque æmulorum præfatorum nostrorum, nec non de quibuscunque Nobilibus, in præfatis regnis nostris Hungariæ, Sclavoniæ, & partibus Transilvaniæ possessiones habentibus, decernimus, quod in præsens gratia ipsis generaliter computetur, ita tamen, quod infra unius revolutionem proxime futuri, a die datarum præsentium inchoando, causa fidelitatis ostendendæ coram nostra Majestate se præsentando, litteras nostras regales pro se obtineant super inde. Quod si forte nonnulli ex rebellibus, & æmulis nostris superius designatis, seu ex sequacibus eorum aliqua spolia, incendia, damna, maleficia, rapinas, cædes, seu alias cujuslibet generis offensiones deinceps commiserint, vel perpetraverint, seu quicquam contra Majestatem nostram attentare præsumserint, videlicet illi inter partes Transilvanienses, & Dravam commorantes, post dies octo: illi vero de partibus Transilvanensibus, post dies viginti: sic illi, qui sunt trans Dravam, post dies quindecim, a die datarum præsentium in antea computandos, volumus, quod possint non obstantibus contentis in litteris nostris, secundum formam juris, & justitiæ condemnari.

„ Postremo donationes universas per nostram Majestatem de possessionibus, castris, oppidis, & districtibus dictorum Prælatorum, Baronum, Nobilium, militum, clientum, & ad eos pertinentium præscriptorum, quibusvis durante præsenti guerra hactenus factas, simul cum omnibus litteris ex inde scriptis, vel confectis, irritantes atque annullantes, a prioribus possessoribus earundem, censemus eo jure, quo ante possederunt, eas teneri, ac etiam gubernari, spondentes, atque promittentes, omnia præmissa, & singula ipsorum, eis, & quibuslibet eorum, & ad ipsos pertinentibus, hæredibusque eorum, pure & sincere, sine omni dolo, & fraude aliquali, bona fide, & inviolabili mediante, firmiter observare, ita videlicet, ut ubi aliquis eorum de præmissis quovis modo resiliendo, contra nostram Majestatem rebellisare niteretur, atque vellet, tunc nos tamen cum Prælatis, & Baronibus nostris, qui tunc temporis de consilio nostro fuerint, simul, & conjunctim, non autem divisim, agentis sua demerita, prout qualitas exiget, juxta regni nostri antiquam consuetudinem punire talem valeamus. Datum Budæ feria secunda proxime post festum sancti Francisci Confessoris, anno Domini M CCCC III.

Annus Christi 1408. Edicto vulgato multi ad obsequium redeunt.

Ex his non solum per quas ditiones seditionis contagio grassata sit præcipue, facile intelligitur, sed quem in modum præterea, & quibus impunitas oblata, ut adeo rex non nihil de sua auctoritate derogari mallerit, quam justa animadversione factiosos in proposito confirmare. Valuitque Sigismundi clementia ad plerosque, qui posita sensim ferocia ad obsequium, & pristinam fidem redière. Id quod rex Nicolai Garæ studio, & industriæ in litteris diserte tribuit. „ Postremo (inquit) Duce Domino nobis in dictum regnum nostrum redeuntibus, multis tem„ porum, & guerrarum processibus evolutis eorundem, & aliorum fidelium no„ strorum viribus, & virtutibus prædictorum rebellium nostrorum protervia pæne „ emollita, eorum residui pristinæ obedientiæ se reddentes ad suscipiendam gra„ tiam nostram, super eorum excessibus, ipsorum nostrorum fidelium monitis, „ circumspectis circuitibus inclinati accesserunt. (95)

Itaque terretur Ladislaus, urbes Dalmatiæ præsidiis munire incepit.

Idem ab Ladislao, sed non eodem eventu tentatum, qui enim parum præsidii in hominibus aliorum consilio & factione ad suas partes traductis haberet, obtentam injuria dignitatem vi confirmare nitebatur. Tragurienſibus inprimis, ac Sibenicensibus, quorum urbes ob commoditatem prorsus magni in utramvis partem momenti erant, mandatum, ut castrum ab regiis operis in fundo suo extrui paterentur, quod id cum sua, tum civium etiam permultum interesse videretur. Illi tamen, seu non diuturnum Ladislai imperium multo ante intellexerint, sive veriti sint, ne magnum exhinc libertati præjudicium crearetur, omnino abnuebant, polliciti, se, ut sponte prius in ejus clientelam concessissent, ita deinceps in fide constantes quoque futuros esse. Connivendum erat Ladislao in re, quam repetito imperio apud homines jam suorum studiosissimos urgere periculo non caruit. Scripsit igitur ad Præfectum literas, mandaratque, ut cives de sua in eos benevolentia certos quam primum redderet. (96)

Mox ab incepto desistit.

„ Ladislaus Dei gratia Hungariæ, Hierusalem, & Siciliæ, Dalmatiæ, & „ Croatiæ &c. rex, Provinciæ, & Folcalquerii, ac Pedemontis Comes, magni„ fico viro Petro de Andrea, Comiti Trojæ, Consiliario, & fideli nostro dile„ cto, gratiam, & bonam voluntatem. Licet suadentibus certis rationibus atque „ causis firmum propositum, & intentio nobis fuerit, construendi, & construi fa„ ciendi in civitatibus nostris Sibenici, & Tragurii aliquod fortalitium, seu ca„ strum, nunc vero cessantibus ipsis rationibus, atque causis, consulto delibera„ vimus, ipsa castra in prædictis civitatibus fieri non debere, nosque totaliter re„ movimus ab intentione, & proposito antedictis. De quibus volentes regimina, „ communitatem, & universitatem, & homines dictarum civitatum, de prædictis „ certiores, cautos reddere, & securos; tibi, de quo in omnibus plene confidi„ mus, quam promtiter valeas, atque possis, prælibatis regiminibus, communita„ tibus, universitatibus, & hominibus, quod castra ipsa, seu fortalitia per nos, „ aut alios nullo unquam tempore faciemus, seu fieri mandabimus, quodque o„ mnia illorum privilegia, seu per nos, aut alios eis concessa, libertates, immu„ nitates, & consuetudines perpetuo observabimus, & mandabimus ab aliis ob„ servari, tenore præsentium de certa nostra scientia licentiam damus, & o„ mnimodam, & plenariam potestatem, committentes tibi in præmissis, & circa „ præmissa totaliter & plenarie vices nostras, ac promittimus, ratum, gratum, „ firmum, validum habere perpetuo, & tenere, quidquid per te in præmissis, „ & circa præmissa actum, promissum, ac factum fuerit, sive gestum, nullo un„ quam tempore contra facere, vel venire, tanquam si persona nostra id egisset, „ quin imo ad validiorem roboris firmitatem nos etiam sub verbo & fide rega„ libus, prælibatis regiminibus, communitatibus, universitatibus, & hominibus „ promittimus, & firmiter pollicemur, quod prædicta castra, seu fortalitia in ipsis „ civitatibus fieri nullo unquam tempore faciemus, quin imo prædicta illorum pri„ vilegia, immunitates, libertates, consuetudines observabimus, & observari ab „ aliis perpetuo faciemus. Præsentes autem litteras, quas pro cautela in manibus

(95) In Diplom. an. 1408.

(96) Lucius Lib. V. Cap. IV.

Anno Christi 1402

„ prædictorum communium volumus manere, magno pendenti nostro Sigillo jussimus communiri. Datum Jadræ per Antonium Petri, Secretarium familiarem, & fidelem nostrum dilectum, anno Domini MCDIII. die XIX mensis Octobris, XI. Indictione regnorum nostrorum anno decimo septimo. (97) „ Hæc palam quidem litteræ testatus est: clam contra mandarat, ut omnes nova jurisjurandi religione sibi obstringeret.

Conciliatur a Croatiæ Proceribus, & Hervoiâ.

Ita res suas in Dalmatia pro virili stabilientem, Hervoya cum Comite Cetinensi, & magna Croatiæ Procerum corona, officii causa convenerat, ac, ut proposito ut persisteret, confirmavit, pollicitus, se ad conservandam illi dignitatem quæ hactenus egisset, bona fide ad finem quoque adducturum. Ea re tamen illius videri, si copiis stipatus in Hungariam concedat, quo præfectura sua nutantes aliorum Procerum animos sibi conciliaret: magnam inde ad res suas accessionem futuram, & viam ad tenendam deinceps dignitatem penitus complanatum iri. Sed Ladislaus Sigismundum, quem veteranas ex Bohemia Legiones adduxisse non ignorabat, veritus, Hervoya Spalati, ac proximarum insularum Duce creato, dataque in Dalmatiam, & Croatiam vicaria potestate, Neapolim mense Novembri est reversus. (98)

Sigismundi adversus æmulum oscitantia.

Fuere qui Sigismundi socordiam aperte carperent, quod non continuo, postquam copias a fratre acceperat, in Dalmatiam profectus, usurpatorem nondum firmatis rebus oppressum ivisset, ubi aut is in Siciliam rediit, tempore ad ejiciendum penitus æmulum uteretur, præsertim, quod ab illius reditu Veglienses redintegrata cum Comite suo amicitia sponte in clientelam concessissent, idemque ut Arbenses facerent, expugnata insula regi ad recuperandam possessionem exemplo fuissent. (99) Sed gravius regem interius invidiæ, quam communius sit, objiciens, quæ domi afflictissimæ erant, sicut opinor, commonstrant.

Novæ in Transilvania & finitima huic Hungariæ turbæ.

Et novæ rursum ex Transilvania turbæ afferebantur, quæ Sigismundum, etsi non minima illi cura Dalmatiæ fuit, aliorsum avocabant. Stephanus de Debreu, quem dudum Agriensi castro in Transilvaniam evasisse supra narratum est, quamquam Nicolaus Wayvoda pacandæ provinciæ diligentem operam navarit, factionibus magnam Nobilium partem implicare, malumque ad finitimas Hungariæ ditiones propagare cœpit. Agebat id temporis Albæ Regiæ Sigismundus rei publicæ causa, cum de molitionibus ingratissimi mortalium comperit. Nam ab adita regni possessione hominem & magistratuum dignitate exornabat, &, quod tenues illi fortunæ essent, ab alio opulentissimum hæredem ex asse scribi passus est. Itaque ut contumacem frangeret, ceterisque impunitas ne patrocinaretur, quidquid eatenus veniæ olim impertivisset, rogata Procerum sententia, publico edicto revocavit. (100)

„ Nos Sigismundus Dei gratia rex Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c.
„ Marchioque Brandeburgensis &c. Sacri Romani Imperii Vicarius Generalis, &
„ regni Bohemiæ Gubernator. Memoriæ commendamus per præsentes, quod
„ licet nos dudum retro lapsis temporibus fideli nostro Petro de Ifyp jam fere
„ in decrepita ætate constituto, divinaque voluntate prolibus carenti, hanc gratiæ
„ prærogativam duxeramus faciendam, ut ipse quandam possessionem suam - - -
„ in Comitatu Aba-Wjwar existentem cum omnibus ejusdem utilitatibus, & pertinentiis Stephano de Debreu, pro tunc fideli, nunc autem notorio nostro infi-
„ deli, in vita scilicet, & morte dandi, legandi, & imperpetuandi plenam ha-
„ buisset facultatem; tamen quia præfatus Stephanus de Debreu ingratus, & im-
„ memor beneficiorum, se ipsum a sinu nostræ clementiæ avertere attemptando,
„ in crimen læsæ nostræ Majestatis contra nostrum culmen nota infidelitatis existit
„ offuscatus; ideo nos una cum Prælatis, & Baronibus fann exinde decernentes,
„ præmissam nostram gratiam, & annuentiam memorato Petro de Ifyp super im-
„ perpetuatione, & legatione memoratæ possessionis suæ - - - ipsi Stephano de
Debreu

(97) Subscriptum est. *Ladislaus rex manu propria.*
(98) Lucius Lib. V. Cap. IV
(99) Idem ibid.
(100) In MSS. Hofstaiteri.

„ Debreu fendæ attributam, præfentam fine penitus, & per omnia revocamus,
„ caffamus, & annullamus. Annuentes prætacto Petro de Hyp, & gratiam faci-
„ entes fpecialem, ut ipfe prædictam poffeffionem fuam - - fimul cum fuis uti-
„ litatibus, & pertinentiis in vita fcilicet, & in morte Bartholomæo de Thobayd,
„ familiari fcilicet fidelis noftri Vice-Magiftri Petri du Perea, pridem Comitis
„ Siculorum noftrorum, & per eum Antonio, & Cornyfio de dicta Thobayd,
„ fratribus ejufdem Bartholomæi uterinis, & pofteritatibus univerfis, & nemini
„ alteri legandi, dandi, difponendi, & perpetuandi plenam, meram, & omni-
„ modam habeat plenitudinem poteftatem. Quam & nos, ipfo Petro de medio
„ fublato, in ipfum Bartholomæum, ac fuos fratres prænotatos, in eorum hære-
„ des, & pofteritates pleno jure devolvi volumus, & derivari harum noftrarum
„ vigore, & teftimonio literarum. Datum Albæ Regali in fefto Beati Emerici
„ Ducis, anno Domini M CCCC III. „

Anno Christi 1403.

Cum juftiffima in perduellem animadverfio, præfertim ubi in vulgus ma-naffet, factiofos metu, bonos contra fpe repleret, rempublicam fenfim pacatum iri, repente nova turbarum materies ab Auftria oblata fuit. Erat ad Nuufidelum, aut, ut vulgus nuncupat, Nfidurum, eft ad ad lacum Perfonem opulentum, & frequens oppidum, ex facinorofis hominibus bene magna conflata manus, quæ itinera prædonum more, ac finitimos agros infeftabat. Dum aucta in dies potentia vaftitatem Auftriæ quoque inferre molirentur, Wilhelmus, qui a morte Alberti quarti filio ejus puero tutor datus eft, militem in facinorofos immifit, disturbatisque eorum latibulis partim coorta velitatione cædi, partim captos Viennam adduci juffit, quorum aliquot pro criminis ratione fufpendio enecti, reliqui aut foluto ære remiffi, aut in vinculis fervati funt. Eam rem graviter Sigifmundus tulit, quod indignum prorfus videretur, Auftriacos armata manu in regnum ingredi, captivos agere, & fuamet auctoritate ad pœnas Hungarorum genti parum decoras abripere, quando fi quid injuriæ ab fuis patratum fuiffet, regem ad dirimundas lites convenire ex gentium ritu oportuerit. Itaque Wilhelmum, quod regiam dignitatem defpicatui habuiffet, bellum dedita opera velle. Hæc cum Viennam afferrentur, rumorque iffet, Hungaros ad vindicandam contumeliam exercitum parare, *Wilhelmus — ut facti fui rationem redderet, neque bello caufam dediffe crederetur, Georgium Pataviensem, & Bertholdum Frifingenfem Epifcopos, Præpofitum Wienenfem, Wilhelmum, & Rembertum a Waldfee legatos Budam ad regem mifit. Cum vero rex audita legatione, rem minis exaggerare videretur, Rembertus in hæc verba locutus effe dicitur. Nolimus fane quemquam putare fereniffime rex, nos huc legatos veniffe, quod Princeps nofter bellum aut expavefcat, aut deprecetur, fed quod publicæ quietis rationem habeat. Neque enim pacem, aut fecialia jura abs fe violata in eo exiftimat, quod noxios homines meritis affecerit fupplicii. Quod fi vero decreveris bello injuriam, ita enim interpretari hoc tuus factum videris, perfpicies, non imparatum ufque adeo inventis, nec a fuis deftitutum auxiliis. Ego fane, ut de aliis, qui domi funt, nihil dicam, mille armatos per eum fpacium altro paratus, hos meos colligas, ut me potentiores, ita vel tantundem, vel plus etiam præftaturos non dubito. Hæc cum ingenue, ac libere protuliffet Rembertus, Hungari re in concilio agitata, pacatum legatis refponfum dedere, & a bello temperatum eft* (1)

1404. Lis cum Auftriacis oborta.

Legatio-ne fopitur.

Factio deinceps cum Auftriacis redintegrata amicitia fuit, quod factiones domi fopitæ potius, quam funditus oppreffæ effent. Bona enim feditioforum pars beneficio, quod illis Sigismundus anno priore interpofita publica fide liberaliter prorfus offerebat, frui detrectabant, ac Ladislai partibus infano ftudio adhæfere. Itaque in contumaces, ne, fi id illis impune abiret, ceteris exemplo effent, graviter animadvertendum ratus, publicatis bonis omnes profcripfit, & promulgato edicto, cur id feciffet, caufas in hæc verba reddidit. (2)

Rex contumaces publicatis bonis profcribit.

(1) Gerardus de Roo Hift. Auft. Lib. IV
(2) In corpore Juris Hungarici.

Annus Christi 1404. Ac vulgato edicto confusi, cur id fecerint, reddit.

„ Nos Sigismundus Dei gratia, Rex Ungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Marchioque Brandeburgensis &c. Sacri Romani Imperii Vicarius generalis, & Regni Boemiæ Gubernator, memoriæ commendamus, tenore præsentium significantes, quibus expedit universis. Quod quemadmodum nobis alias, extra Regnum nostrum in partibus Boemiæ, pro Sacri Romani Imperii honore, & jure nostri patrimonii, pro posse insudantibus & laborantibus, quidam Prælati, Magnates, Proceresque, & nobiles Regni nostri, malo freti consilio, imo rebellionis calcaneo ducti, & improbum sensum dati, ingrati, & immemores beneficiorum nostrorum, a celsitudine nostra susceptorum, in crimen læsæ nostræ Majestatis simul conspirantes: Nos verum Regem, & Dominum Ungariæ diademate, & solio ipsius Regni nostri, cui jam Deo propitio fere a sedecim annis feliciter regnavimus, & imperavimus, privare, & destituere, aliumque eis ignotum in Regem, ut puta Ladislaum filium quondam Caroli de Duracio, eligentes in dictum Regnum nostrum introducere satagebant: tandemque assistente nobis Divini remedii adjutore, non nullorum fidelium Baronum, & Procerum nostrorum interveniente subsidio, gubernacula dicti Regni nostri votive resipiscentibus, plerisque ex dictis infidelibus nostris juxta dementorum suorum exigentiam digna correctionis linea ferri, aliosque castris, tenutis, districtibus, comitatibus, oppidis, possessionibus, & cunctorum bonorum maneriebus privari disponentes, & debitum hujusmodi castra, tenutas, districtus, Civitates, oppida, possessiones, & cunctas bonorum maneries, tanquam per notam infidelitatis hujusmodi rebellium, ad manus nostras Regias, non nullis prædictis fidelibus, Baronibus, Proceribus, & nobilibus nostris, partem nostram animo constanti, & fidelitate firma tenentibus, faventibus, & magnificantibus, juxta laudabilium servitiorum ipsorum merita vigore certarum litterarum nostrarum, exinde confectarum, jure perpetuali dedisse, donasse, contulisse, & distribuisse perhibemur, & recordamur possessiones, & jura possessionaria, per Majestatem nostram, modo præmisso, prætactis nostris fidelibus, donata, & distributa existunt. Qui his tribus modis infra scriptis lamentabilibus querelis, nostram infestant Majestatem.

„ Primo quidem non nulli essent ex ipsis, quorum licet jura possessionaria propter notam infidelitatis ipsorum, dictis nostris fidelibus, in ævum contulerimus, tamen tandem moti regia pietate, qua delinquentibus veniam solemus impertiri: ipsis, capitibus quoque, possessionibus, ac rebus & bonis ipsorum universis gratiam fecissemus specialem.

„ Secundo autem quibusdam ex ipsis, licet jura possessionaria ipsorum, per eandem notam infidelitatis, aliis fidelibus nostris donaveramus: tamen ipsi juxta gratiam pro nobis ac Dominum Joannem Archiepiscopum Strigoniensem, nec non utrosque Nicolaum, alios Wayvodas nostros Transilvanienses feliciter factam, initam, & notam a quibusvis malorum generibus nec non actibus potentionariis & injuriis cuipiam inferendis supersedissent prorsus, & cessassent: nec unquam post prædictam gratiam nobis aut cuipiam Regnicolarum nostrorum adhærendo nostris rebellibus, & æmulis, aliquam injuriam, damna, nocumenta, insolentiasque, & opprobria intulissent.

„ Tertio autem essent tales, quorum similiter jura possessionaria, pro præmissa Nota infidelitatis, aliis nostris fidelibus, certarum nostrarum litterarum Donationalium vigoribus contulissemus, qui nunquam & maxime in his elapsis proximis disturbiorum temporibus, aliquam noxæ criminis infidelitatis, aut alius cujusvis contagionis notam in se continentem, contra nostram Majestatem, & sacrum nostrum diadema, aut alios quoscunque fideles nostros, palam, vel occulte perpetrassent, & commisissent, pariterque ipsi hujusmodi possessionibus, & juribus possessionariis non essent digne & merito privandi, & destituendi: supplicantes nostræ Majestati vocibus gemebundis, ut ipsis circa præmissa, de remedio dignaremur providere oportuno.

„ Nos

Anno Christi 1404.

„ Nos itaque, qui ex suscepti regiminis officio, causas quorumlibet oppressorum & querulantium, animo menti debemus, justitia requirente, auditis, & sane intellectis propositionibus præmissis, una cum fidelibus Prælatis, Baronibus, & Proceribus nostris, maturo exinde præhabito, & digesto consilio, circa præmissos articulos, objectiones, & querelas præmemoratorum querulantium, modo superius specificato, coram nobis, ac ipsis Prælatis & Baronibus nostris præpositos, & declaratos una cum iisdem sanximus, decrevimus, & instituimus, super hisque statutum fecimus, ut hi omnes, & singuli Regnicolæ nostri, quorum, uti superius expressatum est, jura possessionaria aliis fidelibus nostris, prætextu præmissæ notæ infidelitatis contulisse dignoscimur, hos nostros fideles, apud quos dicta jura possessionaria existunt in domibus eorum propriis, aut alias ubi reperiri poterint, mediantibus hominibus nostris Regiis & testimoniis aliquorum credibilium capitulorum, vel conventuum, contra se ipsos personaliter, vel per Procuratorem nostræ Majestatis, ubicunque tunc (Deo duce) una cum eisdem Prælatis, Baronibus, & Proceribus nostris fuerimus constituti, evocent in præsentiam, merum, plenum, & condignum judicium, finemque, decisivum recepturos, causa in præmissa. Adveniente autem ipso termino, ipsis partibus coram nobis, pro habendo in eorum causa moderativo judicio, si, & in quantum ipsæ partes unanimi, & concordi voluntate, se ipsos in eorum causa, attestatione, seu testimonio aliquorum fide dignorum proborum Nobilium virorum, qui fideles fuerint a principio, & se nostræ Majestati, sponte submiserint, & compromiserint. Ex tunc ibidem ipsa compromissio, ipsis partibus, per nos, ac ipsos Barones nostros admittatur, & consentiatur. inter ipsasque partes, juxta formam hujusmodi compromissionis, aut attestationis, judicium, & justitiam exhibeant inditate, prout conveniens fuerit, & juri videbitur expedire. In casu vero, quo partes prætactæ, in hujusmodi testium electione discordes fuerint, tunc nos, Prælatos, Barones, ac cæteros nobiles illius comitatum, in quo ipsæ possessiones denotatæ, & collocatæ existunt, qui nobis fideles fuere, vel si in ipso comitatu tot & tanti nobis fideles in numero, pro tunc non fuissent, quorum testimonium super his sufficiens esset, & acceptandum; tunc alios nostros fideles alterius comitatus, ipsis possessionibus collatis propinquiores, de fidelitate vel infidelitate partis, quæ inculpatur per certas litteras nostras requirere, & ab ipsis exinde meram certitudinem recipere, & experiri teneamur, ut recepta rei veritate inter ipsas partes finem facere valeamus indilatum.

„ Ad conclusionem autem horum Articulorum. Primo quicunque Regnicolarum nostrorum quorum jura possessionaria, modo antelato, cuipiam fidelium nostrorum sunt collata, se annotatam Gratiam per nos ipsis, domino Archiepiscopo, & Wayvodæ factam, per evidens documentum, aut alia credibilia testimonia, veraciter observasse comprobare poterunt, tales rursus in plenum dominium universorum jurium possessionariorum debent esse in continenti restituendi. Illis vero nostris fidelibus, apud quos ipsa jura possessionaria exstiterint, loco eorundem, alias possessiones dare non tenebuntur. Illi autem fideles nostri, qui possessiones aliquorum infidelium nostrorum notoriorum, a nobis impetraverint, & se ipsos ipsi infideles, ab ipsa nota infidelitatis expurgare non valuerint, allegantibus solum sub ipsis capitibus, possessionibus, & bonis eorum, post ipsam Donationem nostram, per nostram Majestatem, gratiam fore factam, in pleno Dominio ipsarum possessionum ipsis donatarum, in ævum debeant remanere, nec unquam ipsas possessiones, ab eisdem nostris fidelibus, modo qualicunque absque bona eorum annuentia & voluntate, auferre valeamus, nec ipsis infidelibus nostris ipsa gratia nostra, quoad rehabitationem ipsarum possessionum eorum, possit in aliquo suffragari. Quoniam hujusmodi Donationem nostram, semper & ubique in sui roboris firmitate inviolabiliter permanere.

Anno Christi 1404.

„ Item quicunque fidelium nostrorum aliquas possessiones infidelium nostrorum, a Celsitudine nostra, modo qualicunque obtinuerit vel impetraverit, se ipsumque in dominium hujusmodi possessionum per nos sibi donatarum, tepiditate aut aliquali inertia ductus, infra tempus legitimum, ut puta infra anni revolutionem per nostrum, aut capituli, vel conventus homines, prout moris est, statui non fecerit, talis vigores litterarum suarum Donationalium perdiderit, ipsæque possessiones rursus ad manus nostras Regias sint devolvendæ eo facto, aut his Regnicolis nostris, quorum capitibus, & possessionibus gratiam fecissemus, in eo casu debeant esse utique restituendæ.

„ Illorum autem infidelium possessiones, quorum solum capitibus, & non possessionibus gratiam fecisse perhibemur, nobis retinemus, aut si cuicunque ipsas maluerimus donare, id in nostra constat, & constare poterit voluntate. Qui vero modo & consuetudine observatis, se vigore donationis nostræ Regiæ in dominium possessionum sibi datarum, infra tempus legitimum, per nostrum, & capituli, aut conventus homines introduci, ac per ipsos hominem fassionem debitam coram dicto capitulo, aut conventu (prout moris est) fieri procurarunt, occurrentibusque interim, & imminentibus aliquibus, sibi impedimentis, aut obstaculis eorundem capituli vel conventus, ipsum capitulum, vel conventus ipsas literas statutorias ob contradictorum inhibitionem, aut aliam potentiariam resistentiam, aut favorem, seu formidinem dictorum nostrorum infidelium, vel fratrum eorundem, aut alias causis expressis, extradare, & emanari facere recusassent: tunc ex eo non debent perdere vigorem litterarum suarum Donationalium, dum modo de ea re legitime doceant, deque, & super his perhibeant testimonium veritatis.

„ Præterea quicunque fidelium nostrorum in dominium possessionum, ob notam infidelitatis alicujus per nos sibi donatarum, infra anni revolutionem hucusque, aut ob metum & potentiam suæ adversarii, vel de nostra commissione, seu mandato, aut prorogatione se statui facere nequivisset, & in dominium earundem legitime introire, & id rite, & legitime, cum sufficienti testimonio posset comprobare: similiter volumus, ut ex eo non perdat vires litterarum suarum donationalium.

„ Volumus etiam, & præsentis scripti nostri patrocinio sancimus, ut hi omnes, & singuli nostri fideles, qui de possessionibus eorum per nostram Majestatem aut, prætextu aliquarum infidelitatum donatis, vigore gratiæ nostræ, per nos ipsis infidelibus factæ, aut per ipsos infideles, aut alios quoscunque; potentionaliter exclusi essent, vel qui, ut præmisimus, ob metum dictorum adversariorum eorum, hujusque dictas possessiones intrare nequivissent: rursus in plenum dominium earundem, per comites parochiales illorum comitatuum, in quibus ipsæ possessiones existunt, modis omnibus restituantur, & introducantur.

„ Volumus etiam, ut numerus eorundem fidelium nostrorum augeatur, & via recludatur delinquentibus: sanximus, ut quicunque Regnicolarum nostrorum, quibusvis nostris infidelibus facto, aut subsidio, expensarumque largitione subvenisse, aut ipsis hospitalem præbuisse, probare poterint: Hi omnes similiter perdant jura ipsorum possessionaria universa. Datum Budæ feria tertia proxima post Dominicam Invocavit. Anno Domini Millesimo quadringentesimo quarto. „

1405. *Judicio postea regio conventu.*

Hæc ad castigandam factiosorum contumaciam ex communi Patrum consulto sancita: haud minori studio eorum quoque commoda sequente anno complexus est, qui intemerata quidem in se hactenus fide præcellebant, sed subtilissimus fraudem commentus, ut iniqua omnino erant tempora, aliorum injuriis patuere. Cum enim magna semper regiarum litterarum in Hungaria esset auctoritas, & prærogativa, has autem ob perdita sæpe, aut sublata furto etiam sigilla corrumpi, aut veris supponi malevolorum dolo contingeret, sacerrimum fidei pignus, quo reges sese sibi, & reipublicæ obstringunt, promiscue, & passim profanabatur, malo in dies latius grassanti in hunc modum caveri placuit. ut quascunque Ludovicus secreto sigillo olim communisset, Elisabetha autem, ac Maria publica etiam

auclo-

auctoritate vulgassent literas, nisi ab festo Divi Georgii intra annum ab se confirmarentur, robore omnino, & in quavis rerum publicarum tractatione, momento, fideque carerent. (3) Atque ita effectum quidem, ut rebellibus non modo nervus omnis ad fovenda deinceps partium studia praecideretur, sed fortunarum etiam penuria ad incitas redacti clementiam regis implorare ingratiis suis cogerentur. Non dum tamen ad comparandam regno quietem satis consultum videbatur, quod abhinc, quam Ladislaus ex Sicilia accersitus, & Rex paucorum Procerum conspiratione in vincula conjectus fuisset, sacra profanis ita miscerentur, ut res publicae ex privatorum libidine, & injuria administratae nullum pene aequitati locum relinquerent. Quae cum per se se foeda, tum ad elevandam regiae dignitatem comparata esse Sigismundus videret totius regni conventum indixit, in quo cum omnibus liberum judicium esset, post crebras, gravissimasque consultationes communi suffragatione in eam sententiam itum est, ut rex, quidquid hactenus contra Majorum morem, & aequitatis rationes inolevisset, publico edicto antiquaret, constitueretque ex Procerum scito normam, quae pro lege deinceps ab omnibus haberetur. (4)

Anno Christi 1405.

„ Sigismundus Dei gratia Ungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, „ Galliciae, Lodomeriae, Comaniae, Bulgariaeque Rex, Marchio Brandeburgen„ sis, Sacri Romani Imperii Archicamerarius, Bohemiae, & Lucenburgensis hae„ res, universis Christi fidelibus praesentibus pariter, & futuris, praesentium no„ titiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Sceptrigera Regalis digni„ tatis altitudo, eo vigilantiori cura, subditorum conservationem ac tranquillita„ tem exquirit, quo felicitatem publicam in sui augmentum, & gloriam, calami„ tatem vero in sui cernit detrimentum, & ignaviam redundare. Neque enim „ Princeps esse potest inglorius, qui de subditorum pace, & securitate semper „ cogitat, neque non ignavus, qui futuris malis, & periculis non praevidet, quan„ do potest. Hinc est, quod convocatis ex omnibus Regni nostri Comitatibus „ & districtibus Civitatum, oppidorum, & liberarum Villarum, Regiae jurisdictio„ ni pertinentium, nuntiis, & Legatis, auditis, & diligenter intellectis, eorum „ & cujuslibet ipsorum petitionibus requisitionibus, informationibus, opinionibus, „ & querelis de Praelatorum, Baronum, & potiorum Regni nostrorum Procerum, „ ipsorum etiam legatorum consilio, matura quoque superinde deliberatione prae„ habita pro bono, & pacifico statu, evidentique utilitate totius Regni, quas„ dam Civitates murorum ambitu cingendas, quasdam liberas villas, seu oppi„ da Civitatis honore sublimandas, quasdam consuetudines, quae potius abusio„ nes videbantur abolendas, quasdam moderandas, in melius reformandas, quae„ dam etiam de novo statuenda decrevimus, sanximus, & ordinavimus, prout „ infra. Ad quam rem una potissimum consideratio mentem nostram induxit: quod „ retro actis temporibus, prout in Chronicis legitur Ungarorum, hoc Regnum „ nostrum, variis saepe afflictionibus, interdum per Bissenos, aliquando per Tartaros, „ non nunquam etiam per alios paganos, novissime vero per Turcas irrogatis, so„ lummodo ob muratarum Civitatum, seu aliorum munitionum carentiam, & de„ fectum, cum homines, ubi se, & bona sua recludere, seu reducere possent, „ loca fortia non haberent: quin imo, cuncta exposita praedis hostium in propa„ tulo subjacerent, miserabiles desolationes tristissimas populorum abductiones, „ & generaliter innumerabilia, quae horror est referre, & inaestimabilia pertulit „ detrimenta.

Proceres rogatione & scito Legem publicare contendit.

„ Primo namque quorundam subditorum nostrorum precibus inclinati liberta„ tes infra declarandas statuimus. Quod in omnibus Civitatibus, Oppidis, Castris, & „ Villis, & generaliter ubicunque intra ambitum Regni nostri, tam in nostris, quam „ aliorum quorumcunque sint, libra, statera, ulna, mensura vini, frugum, & „ generaliter omnes res mensurabiles, & ponderabiles ponderentur, & mensu„ rentur, secundum mensuram Civitatis nostrae Budensis. Dempta tantummodo „ mensura Decimarum, & montium tributis, vulgo Hegywàm, in Theutonico

Mensurae liquorum, & aridorum toto regno aequales sint.

Perg-

(3) Ibidem pag. 66.
(4) In corpore Juris patria.

Anno Christi 1405.

Peregrecht, ac locus, censibus, fundis, & redditibus Presbyterorum, & virorum Ecclesiasticorum, quos in suis, statu, & justitia, quantitate, & valore volumus permanere. Si quis autem contrarium facere præsumpserit, incidet in pœnam amissionis rei ponderatæ, vel mensuratæ, perdendo pro parte ponderata, vel mensurata, totam rem ponderandam, vel mensurandam.

Quidparum mercatores exteri habeant.

Sancimus præterea mercatoribus forensibus in civitatibus quibusdam pannos incidere, & ad ulnam vendere, imo nec pauciores sex staminibus simul vendere, ullo tempore, etiam diebus nundinarum liceat, dummodo eidem mercatores sex pannos, vel plures habere dignoscantur: si vero pauciores sex habere, eosdem integros vendere, vel commutare, valeant atque possint. Quod si secus attentatum fuerit, panni quælibet stamina, contra hujusmodi ordinationem nostram vendita, alienata, vel commutata, nec non pecunia, si qua forte soluta fuisset pro eisdem, auferantur.

Quæ auctoritas Notarii publici.

Decrevimus insuper, quod nullus publicus Notarius in causis, quæ inter duos laicos vertuntur, sive coram Judice Ecclesiastico, sive sæculari, procurare audeat, vel ullatenus advocare, sed tantum in foro spirituali, seu vicariorum curiis locum habeat, nec Nobiles, seu viri Ecclesiastici, inquisitiones possint facere contra eos.

De appellationibus civium, quibus terminus circumscribantur.

Porro, omnibus & singulis civibus, hospitibus, & populis quarumcunque Civitatum nostrarum, & liberarum villarum aliorum ex principalibus civitatibus annexarum, a quacunque sententia, per eorum judices, & cives lata, ad Magistrum Thavernicorum nostrorum, vel ad judicium illius civitatis, cujus libertate talis civitas, vel villa, libertate fungitur, liceat appellare, nec ab illorum, ad quos appellatum fuerit judicatu, vel sententia sit ulterius in aliorum judicium præsentia procedendum, sed ipsa causa debeat coram eisdem finaliter terminari.

Penes quos sit potestas malefactores puniendi.

Ad hæc quemadmodum ex antiqua Regni nostri consuetudine, per Divos Reges prædecessores nostros, & nos hactenus observata, Palatinus Comites parochiales, aliique honorem, seu dignitatem Baronatus tenentes, in congregationibus, ac generalibus judiciis, quoslibet fures, latrones, ac alios malefactores suis proscriptos, & extra datos judicare, condemnare, punire, seu proscribere consueverunt. Et super Nobiles, ex speciali gratia Regia ipsis concedi consueta, in eorum possessionibus etiam malefactores, quos in maleficiis & culpis deprehenderint condemnare pœnaliter, & punire facultatem liberam habuerunt, ita & nos in præsenti sanctione duximus statuendum. Quod de cætero, pro conservanda pace, proque civitatum, & villarum uberiori tranquillitate, pro viarum securitate, pro itinerantium commodo, ut malefactoribus delinquendi materia subtrahatur, omnes & singulæ civitates, ac liberæ villæ, seu judices & jurati earundem, hujusmodi malefactores, qui in eorum tenutis maleficia perpetrassent, quemadmodum & Nobiles ex gratia & donatione Regia facere possent, condemnandi, & debitis puniendi suppliciis plenam & liberam habeant facultatem: salvo si ipsi rei, vel supplicio digni, a Regia Majestate veniæ gratiam obtinuissent superinde. Sin autem Palatinus, Comites, & alii, qui honorem Baronatus habentes, nec non civitatum rectores, hujusmodi malefactores extradare, comprehendere, & punire non possent, sed nihilominus eos culpabiles judicando proscriberent: eo casu teneantur illi, qui proscriptionem fecerint, tales malefactores proscriptos cunctis judicibus & justitiariis Regni nostri, & etiam omnibus civibus denuntiare, & per eorum literas, maleficii eorum seriem continentes manifestare. Qui judices & justitiarii, ac etiam malefactores, si in ipsorum tenutis & districtibus invenerint, possint, & valeant, imo teneantur & debeant arestare, captivare, ponere, & juxta eorum demerita dignis affligere suppliciis & tormentis. Salvo semper, si a Regia Majestate veniæ gratiam impetrassent. Quod si quis judicium justitiariorum, vel rectorum prædictorum, ipsos malefactores, cum in manus ipsorum inciderint, punire, contempserint, sciat se indignationem Majestatis nostræ gravissimam incursurum, & a nostra serenitate, juxta qualitatem excessus exinde dependentis, procul dubio

„ bus irremissibiliter puniendum. Nullus etiam omnino præsumat, eosdem male„ factores fovere, protegere, vel aliqualiter defensare, sub pœna superius an„ notata.

Anno Christi 1405

„ Sancimus præterea, ut a modo in antea, cives hospites, seu jobagiones nostri Regales, de nostris civitatibus, possessionibus, oppidis, & liberis villis, castrorum nostrorum tenutis, ad Ecclesiarum, Nobilium, & alterius præeminentiæ hominum possessiones, & e converso earundem Ecclesiarum, nec non Nobilium, & alterius præeminentiæ hominum jobagiones, in præfatas nostras possessiones, castrorumque nostrorum tenutas, & generaliter quilibet liberæ conditionis homines, de possessionibus Nobilium, in Ecclesiarum possessiones, & de Ecclesiarum possessionibus, in Nobilium possessiones, temporibus semper successivis, universis & perpetuis, liberam, tutam, & commodam, manendi causa, & se transferendi habeant facultatem harum nostrarum literarum per vigorem. His moderaminum limitationibus clare præsentibus expressorum, ut quicunque, & quorumcunque jobagionum Dominus, aliqua Birsagia sua, quibus jobagio suus aliquo tempore fuisset, convictus infra unius mensis spatium, non exegisset super eundem ex tunc Birsagia talia super eundem jobagionem suum, dicto mense elapso, recipere, & eundem jobagionem retinere non valeat, sed idem jobagio, quo maluerit, modo præhabito, inde mox moraturus accedat. Jobagiones autem ultra Dravæ fluvium residentes, hujusmodi libertatis privilegio gaudere nolumus, sed potius in suis antiquis consuetudinibus, eos decrevimus permanere.

Liceat colonis aliorsum migrare

„ Decrevimus insuper & ordinavimus, quod nullus ex Prælatis, Baronibus, Proceribus, Nobilibus, aut alterius cujuscunque dignitatis, ordinis, status, & conditionis hominibus, regnicolis, & subditis nostris, occasione debiti delicti, culpæ, aut maleficii unius personæ, seu hominis, cujuscunque status & conditionis existat, existat, vel præfulgeat, civitatem, oppidum vel villam, ubi talis debitor relinquens culpabilis, aut maleficus residere consuevit, seu cives, oppidanos, vel villanos arestare, detinere, vel modo aliquo impedire. Sed si quis contra talem quicquam actionis habet, vel habuerit, id in præsentia sui judicis ordinarii exequatur, prout retroactis temporibus fieri in talibus, secundum regni nostri justitiam consuevit, ita quod innoxii, pro nocentibus, nullo modo aggraventur.

Captivandi modus & norma.

„ Statuimus etiam & ordinavimus, quod quemadmodum antiqua regni nostri habet consuetudo, ut si cui in villa, vel possessione alicujus Domini terrestris cujuscunque status, & conditionis tam Ecclesiastici, quam secularis existat, aliqualis inferretur injuria, damnum, vel offensa, talis læsus, seu damnum passus, primo ad Dominum, seu Judicem illius possessionis accedendo, justitiam postulare tenetur, & si talis Dominus, vel judex sibi justitiam facere contempserit, ad Comitem provincialem valeat appellare. Et si Comes etiam in reddenda justitia tepidus fuerit, vel remissus, ad nostram regiam Majestatem possit etiam appellare. Ita nunc quoque volumus, ut si alicui personæ regnicolæ, vel extraneæ, in aliqua civitatum, oppidorum, & villarum liberarum, per aliquem, cujusvis status existat, & conditionis aliqualis injuria, offensa, vel damnum, fuerit irrogata vel illata, tunc talis læsus, vel damnum passus, primo coram Judice illius civitatis, suam debeat prosequi justitiam. Et si judex, & jurati illius civitatis justitiam sibi debitam facere recusaverint, vel exhibere distulerint, tunc ipse læsus, vel damnum passus, ad Magistrum Thavernicorum nostrorum, suam causam attrahere valeat, atque possit. Deinde si etiam ipse Magister Thavernicorum nostrorum, super hujusmodi querela, justitiam ministrare contempserit, tunc liceat annotato læso, vel damnum passo, ipsius Magistri Thavernicorum judicio dimisso suam causam in nostræ Majestatis præsentiam attrahere, nosque, uti ex regiminis nostri regalis officio tenemur, undeque ministrabimus justitiæ complementum. Quod si quispiam talis læsus vel damnum passus, hoc ordine non servato, auctoritate propria se præ-

Ubinam læsi alteriorem judicem convenire possit.

E e „ sum-

Anno Christi 1405

sumpserit vindicare, & sibi satisfactionem recipere, talis transgressor hujus nostri Decreti, in facto potentiæ convincatur: cum neminem liceat, nulla postulata justicia, propria se auctoritate vindicare.

Nonæ & Decimæ ratio, et discrimen.

Decrevimus etiam, quod in quibuscunque causis & processibus, de quibus judices causarum quarumcunque Nonam & Decimam, ab alia parte, quæ causam obtinet recipere consueverunt, de cætero non ab ipsa parte, quæ causam obtinet, sed ab illa parte, quæ in ipsa causa convincetur, recipere debeant, judices illius causæ extorquere: cum non sit æquum, ut qui justus est, pro injusto putatur, & in rebus damnificetur.

Tributa civium.

Statuimus etiam, ut quilibet cives, & inhabitator quarumlibet nostrarum civitatum, a modo, & in antea collectas nostras regales & contributiones, pro rata, (non obstantibus quibuscunque libertatibus ipsis hactenus datis, & imposterum per nos, & nostros successores, concedendis, quas, quoad præmissa, ipsis non volumus ullatenus suffragari) solvere, & cum illis nostris civibus contribuere teneantur. Si vero per nos, vel nostros successores, aliquos cives nostros liberare & exemptos facere contingeret, tunc & eo casu nos, & nostri successores prædicti, quicquid ipsi cives liberati, ad collectas solvere deberent, id de communitatis computo defalcando, ad nostram teneamur, & debebimus recipere rationem.

Mercatorum de-nostrorum prærogativa.

Item licet cives nostri Budenses, inter cæteras eorum libertates, tali libertate per nostros prædecessores ipsis largita ac per nos confirmata fruti, & usi hucusque dignoscuntur, ut potat ut omnes & singuli, tam regnicolæ, quam extranei mercatores, universas & quaslibet res mercimoniales, ac bona venalia, & commutabilia, tam descendendo, quam ascendendo, in ipsorum civium Budensium medio deponere, ac depositas ibi vendere & commutare, ab indeque nullatenus alias abducere, neque deportari facere debuissent, & fuissent adstricti. Tamen quia nunc facta generali congregatione quarumlibet civitatum, oppidorum, & liberarum villarum nostrarum regalium, habito superinde consilio, visum & consultum exstitit, ut pro ampliori fructuositate, & uberiori statu, & communi bono regni, & regnicolarum, ac præcipue civium, & mercatorum nostrorum, ne propter utilitatem & augmentum unius civitatis tota regni nostri communitas, damnum & incommodum suscipiat, & nocivum recipiat detrimentum, ut omnes & singuli mercatores, nostri videlicet regnicolæ, de regno nostro exeuntes, & in regno nostro commorantes, universas, & quaslibet ipsorum res mercimoniales, & bona venalia, seu commutabilia, per totum nostrum regnum, & extra ipsum regnum, quocunque, quotiescunque, & quandocunque voluerint, liberam, meram, plenam & securam deducendi, deferendi, pellendi, reducendi, deponendi, & depositas vendendi, commutandi, & abinde deferendi, & deduci faciendi, & cum eisdem juxta eorum voluntatem, & libitum disponendi habeant facultatem: non obstantibus præmissa rerum depositione qualibet datis, vel concessis, quas, & quæ, quoad præmissa, ex certa scientia revocamus, exceptis extraneis, qui teneantur in præmissis antiquam consuetudinem observare.

Ad quem liberæ civitates appellare possint

Insuper omnes & singuli cives civitatum, quas de novo creavimus, quibusque aliarum civitatum, confirmamus libertates, si de judicatu, & sententia judicum, & juratorum suorum, noluerint contentari, ad illam civitatem, cujus libertate funguntur, aut ad Magistrum Thavernicorum nostrorum valeant appellare: ita tamen, quod, postquam Magistrum Thavernicorum elegerint, ad judices, & juratos redire non valeant, nec e contra, ad nullum ulterius, nisi si opus fuerit, ad præsentiam nostram personaliter, appellatio possit fieri quovis modo.

Ratio strenarum quæ regi offeruntur.

Sancimus nihilominus statuentes, ut cives & hospites nostri, quarumlibet civitatum nostrarum regalium, intra ambitum & climata regni nostri existentium, dona seu munera ipsorum in quolibet anno, prætextu strenarum Regiæ Majestati debita, sic & eodem modo nostræ Majestati dare & solvere, quemadmodum noviter convenimus cum eisdem, & in quarumlibet civitatum, oppidorum, & villarum liberarum nostrarum literis, per nos ipsis concessis, inter alias

eorum

„ eorum libertates clare exprimuntur, debebunt & tenebuntur. Praeterea Ma-
„ gistro Janitorum nostrorum tempore in praefixo, non plus, quam sex florenos
„ dare, & cum iisdem nostris muneribus, annis singulis solvere teneantur. Dum
„ autem ubi, & quando nostram, vel regnalem claritatem, in aliquam civita-
„ tum, oppidorum, & liberarum villarum regni nostri, intrare contigerit, ex tunc
„ cives & hospites loci illius, in quem ingressum fecerimus, nostrae, ac reginali
„ Majestati, victualia opportuna ad unum prandium & unam coenam, si pran-
„ dium & coenam ibidem habere voluerimus, aut prandium, vel coenam tantum-
„ modo: sin nisi semel nos ibidem comestionem habere contigerit, abundanter
„ dare, & administrare teneantur. Magistro vero Agazonum, civitates, per quas
„ nostram, seu regnalem Majestatem transire contigerit, illius scilicet civitatis ar-
„ tifices, cujuslibet generis, ut puta, omnes pellifices unum pelliceum, & omnes
„ frenatores unum frenum, & sic de singulis, una vice duntaxat in anno, quan-
„ documque nos inde transire contigerit, & non alteri, dare & administrare te-
„ neantur. Demptis tantummodo civitatibus, quae ad praemissa, ex antiqua con-
„ suetudine nullatenus obligantur: caeteris vero officialibus, tam nostris, quam
„ reginalibus, videlicet Pincernarum & Dapiferorum Magistris, dispensatoribus,
„ hostiariis, cocis, & aliis quibuscunque, nil penitus dare, seu solvere teneantur.

Anno Christi 1405.

„ Disposuimus etiam de modo & consuetudine, ab antiquo solitis obser-
„ vari: quod Praelati & quipiam viri Ecclesiastici, causas aliquas, inter Regnico-
„ las nostros motas, a modoque & in antea, qualitercunque & ubicunque mo-
„ vendas, & suscitandas, ut puta judicium saeculare concernentes, judicare & de-
„ finire minime valeant, neque possint. Et e converso, Barones, Comites pro-
„ vinciarum, & alii Regni nostri Nobiles civesque, & hospites, causas aliquas,
„ lites, seu quaestiones, forum videlicet Ecclesiasticum tangentes, discutere & ju-
„ dicare non debeant, neque praesumant. Et si inter ipsos dominos Ecclesiasticos
„ ex una, parte vero ex altera judices saeculares praetaxatos, super aliquibus cau-
„ sis in eorum praesentia, vertentibus, circa ipsarum causarum judicium, cui vide-
„ licet ipsorum judicium pertineat, discordia, seu disceptatio aliqualis exstiterit sub-
„ orta, ex tunc partes eaedem, causas, seu causam hujusmodi, litigiosas, in spe-
„ cialem nostram praesentiam, ubi Deo Duce pro tunc fuerimus constituti, cum
„ Praelatis & Baronibus dirimendas transmittere teneantur: ubi decernentes sancie-
„ mus, ad cujus partis judicium, seu forum spectare debeant, & pertinere causae prae-
„ notatae.

Ecclesiastici ne profanos, neque hi sacros judicio dirimere ausint.

„ Insuper quemadmodum & ab antiquo juxta statuta Regia, aurum, &
„ argentum, cuprum, & alia metalla de Regno nostro deduci prohibita existunt,
„ ita nunc alias constitutiones, Civitatibus, oppidis, & liberis villis, ad praesens
„ editas, sancimus, & statuimus, ut in qualibet Civitatum, oppidum, & libera-
„ rum villarum, duo jurati cives ad id idonei, per judicem & cives eligantur,
„ qui quibuslibet legationibus & obstructionibus Ballarum, vasorum ac aliorum pon-
„ derum ligandorum interesse, & easdem conspicere debeant, sine quibus civibus
„ ad id deputatis, nulli mercatores, institutores, & alii quicunque commutatores
„ ipsorum Ballas ac alia pondera ligare, aut concludere praesumant. Quas quidem
„ Ballas, & pondera, iidem duo cives eorum sigillorum appositione assignare de-
„ beant & munire, & si contra factum fuerit, ex tunc ipsae Ballae, vel mercimonia
„ non inspecta, vel sigillata, ut praemittitur, totaliter amittantur, & fisco nostro
„ Regali penitus applicentur. Quibus quidem Ballis, ac aliis quibusvis ponderibus
„ sic ligatis & consignatis, ad locaque Tricesimarum nostrarum deductis & porta-
„ tis, si eo incasu nostri Tricesimatores, aut eorundem officiales, talibus sigillationi-
„ bus fidem nollent adhibere, sed hujusmodi Ballas praetenderent dissigare: extunc
„ si currus, in quibus hujusmodi Ballae, & pondera afferuntur, magni onerati, vul-
„ gato Masa dicti, exstiterint, unam marcam auri, vel sexaginta florenos, ac mone-
„ tam ejusdem valoris. Si vero currus medius, modicus seu parvus foret, tunc me-
„ diam marcam, aut florenum, aut monetam aequivalentem, ad temonem ipsius currus,

Aurum, aliaque metalla nefas ex regno efferre.

Anno Christi 1405.

apponendo, easdem Ballas, & pondera, disligare & conspicere valeat atque possit. Et si in hujusmodi Ballis, seu ponderibus aurum, & argentum, & aliæ res prohibitæ non reperientur, ex tunc Tricesimator amittat marcam, seu pecuniam appositam quæ domino earundem rerum, seu mercatori debeant remanere: si vero autem argentum, vel aliquæ res prohibitæ, sed etiam aliæ universe, & bona quævis, in ipso curru & Balla, existentia & habita, simul cum marca & pecunia hujusmodi, per ipsos Tricesimatores, aut eorum officiales auferantur & recipiantur.

De pœnis mercatorum.

Statuimus etiam, ex deliberatione decrevimus, ut nullus omnino mercatorum, alterius etiam cujusvis regni nostri status conditionis, præeminentiæ hominum res mercimoniales, ac bona quævis venalia, & commutabilia, forensium ac extraneorum, sub nomine rerum & mercantiarum propriarum, prout in talibus astutia aliquorum hactenus facere consuevit, acceptare, recipere, tenere, conservare, vendere, commutare, seu etiam modo quovis expedire, societatesque cum ipsis forensibus contrahere, facere, stabilire, ordinare, & firmare ratione, atque causa, et sub colore hujusmodi societatis, præmissa libere exerceat, dictoque nostro Decreto contra facere ullatenus, audeat atque possit. Contrarium vero facientes rerum omnium, ac bonorum, sub hujusmodi clanculosa conclusione, in nostri præsentis edicti contemptum, in Regnum nostrum apportatorum venditorum, ac vendendorum, commutatorum, & commutandorum irremissibilem, perditionem, & fisco nostro Regio applicationem, personasque ipsas, arbitrariam nostræ Majestatis pœnam, incurrere volumus eo facto, toties, quoties in omnium præmissorum per quempiam contra factum fuerit, seu etiam acceptatum.

Rerum, quæ regno inferuntur, aut educuntur, tricesima.

Præterea quia noviter certis, justis & rationabilibus causis moti pro Reipublicæ utilitate, totiusque regni conservatione pro qua etiam retroactis temporibus, prædecessores nostri Ungariæ Reges, multa statuta, multasque consuetudines inducere curaverunt, una cum Prælatis, Baronibus, & Regni nostri potioribus Proceribus decrevimus, ut universi mercatores, negotiatores, & alii cujuscunque status & conditionis homines, extra Regni nostri limites, mercimonia, seu res mercimoniales & venales deferentes, & exportantes, tricesimam partem, quemadmodum de illis, quæ introducuntur in Regnum solvere & administrare teneantur. Idcirco in præmissi Decreti nostri noviter constituti, aliqualem allevationem, & etiam in recompensam, sancimus e liberalitate Regia, concessimus quod hujusmodi mercatores & negotiatores, & alii prænominati, per quæcunque loca tributorum seu teloniorum nostrorum Regalium, cum personis, equis, curribus, ac quibusvis eorum mercimoniis, ac rebus & bonis universis, libere & expedite, sine aliqua solutione tributaria, transire valeant, toties, quoties magis fuerit opportunum: mandantes tributariis nostris quibuslibet, tam præsentibus quam futuris: quatenus hujusmodi personas, sub pœna indignationis nostræ gravissimæ, contra formam præmissæ libertatis, nullatenus impedire, neque ab eis tributum aliquod petere, & exigere audeant.

Monetarum usus, & pœna eorum, qui deliquerint.

Cæterum cum in omnibus Regnis, Reges, quadam prærogativa præcipua, monetam, tam auream, quam argenteam, cudi facere liberam habeant facultatem inhonestum satis & detestabile videtur, quod pecunia cusa, per eandem ditionem, cursum & expositionem debitam non haberet, sed multo detestabilius est, si circumcideretur, vel allevaretur, aut modo aliquali viciaretur. Cupientes igitur his enormibus casibus, salubribus remediis obviare, requisito super eo Prælatorum, Baronum, Procerumque nostrorum, nec non universorum civium, civitatum Regalium, præsentialiter constitutorum consilio, pro utilitate totius Regni, & augmento, proque justitiæ splendore conservando, ordinamus, & etiam statuimus, quod nullus omnino hominum, cujuscunque status & conditionis exstat, audeat, vel præsumat pecuniam nostram Regalem, sive auream, sive argenteam, dummodo justa, & nostra sit, rejicere, vel aliquatenus refutare, item nec circumcidere, graves a levibus secernere, vel aliquo artificio, seu ingenio viciare, contrarium quidem attentare præsumentes, hoc modo debeant puniri, videlicet ille, vel illi, qui pecuniam nostram recipere recusaverint, ca-

dant

Anno Christi 1405.

dant in poenam amissionis pecuniae, quae sibi debetur, vel rei, pro qua pecuniam solvere tenentur: ita quod judices, & jurati illius loci, pecuniam, vel rem habeant, & debitor a creditore suo, ac emptor a venditore, proinde liber sit & absolutus, ac si eidem dictam pecuniam persolvisset. Illi vero, qui Regiam pecuniam circumcidere, & minuere, seligere, vel viciare praesumpserint, ut praefertur tanquam falsarii & malefactores, non tantum in rebus, sed etiam in personis, juxta Regni nostri consuetudinem antiquam, puniantur, quod si facere ipsi judices, & jurati, in quorum manus tales transgressores inciderint, renuerint, & eos impune abire permiserint, pro pecunia, vel re relaxata, in tanta quantitate pecuniae, vel valore ipsius rei, fisco Regio subjaceant condemnati: pro falsariis vero dimissis, in illam poenam incidant, sive pecuniariam, sive personalem, quam nostra Majestas duxerit imponendam, & infligendam.

Cambium monetae cui licitum.

Verum ut ipsa pecunia nostra in sua rectitudine conservetur, nullusque praesumat ipsam incidere, vel viciare: sancimus etiam, quod in qualibet nostra civitate si campsor Regius, qui solus cambiendi & commutandi pecuniam, videlicet pro florenis aureis monetam, & pro moneta florenos aureos, habeat facultatem: interdicentes universis, & singulis regnicolis nostris, & etiam extraneis, cujuscunque status & conditionis, ut de caetero cambire, seu commutationem aliquam de pecunia & florenis aureis, pro pecunia facere non valeant, neque possint, sub poena amissionis pecuniae campsae, vel cambiendae, quae eidem campsori Regio nomine fisci nostri, debeat apportari.

Sales ab extra in regnum inducere vetitum.

Demum cum praedecessores nostri Ungariae Reges, probabili sanctione statuerunt, ut intra limites Regni nostri Ungariae, nulli sales expeditionem, seu cursum habere deberent, sed tantummodo sales, qui in hoc Regno nostro effodiuntur: nostra quoque Majestas considerans hanc sanctionem fore justissimam, & honestam, cum quodam modo pars sit magna dementiae, id quod de suo quisque habere potest, ab aliis mutuare: similiter statuimus sanciendo, habito tamen prius superinde nostrorum Praelatorum, Baronum ac Procerum consilio & deliberatione praematura, quatenus de caetero, nullus omnino hominum cujuscunque status, dignitatis, & conditionis exsistat, sive regnicola, sive advena, audeat, vel praesumat sales alicujusmodi, praeterquam solummodo sales nostros Regales in Regno nostro effossos, intra Regnum nostrum inducere, deferre, vendere, emere, distribuere, consumere, vel aliqualiter habere sub poena superius annotata: videlicet, quod si apud quospiam cujusvis status, sive conditionis exsistat, reperti fuerint, primo perdant & amittant, ipso facto protinus ipsos sales; si vero quispiam venundaverit, antequam apud eum reperiantur, tunc ad restitutionem pecuniae irremissibiliter teneatur. Quos sales, vel quam pecuniam Camerarius Regius, nomine fisci Regalis, indilate auferat, & exigat ab eisdem.

Et nefas quoque quopiam auri, & argenti fodinis regno efferre.

Denique pro communi bono, & totius utilitate Regni providere volentes, ne aurum, & argentum, quod in ipso Regno effoditur, extra Regnum per quempiam efferatur, nisi prius conversum fuerit in monetam: hoc etiam salubri remedio duximus statuendum, videlicet, ut nemo montanus, cuiquam homini, cujuscunque status & conditionis exsistat, aurum vel argentum, publice, & secrete vendere, nemoque omnino montanus cujusvis status & conditionis exsistat, a montano, sive laboratore emere audeat, vel praesumat, sed omne totum aurum & argentum, quod & quantum, ubicunque per Regni nostri climata effoditur, & etiam invenitur, debeat sine aliquali diminutione Camerae, & aliae Regalis monetae, tam aureae, quam argenteae, praesidenti praesentari, videlicet, Camerario Regio, pro precio vel preciis hactenus limitatis. Item nec ab aliqua alia persona causa mercationis, seu venditionis publice, vel secrete emi, vel vendi liceat aurum, & argentum, etiam si de alienis partibus, ipsum aurum, & argentum, ad hoc regnum portaretur, sed semper quandocunque venditur, ille debeat Camerario Regio, monetae praesidenti vendere, & nulli alteri: ipseque Camerarius dare sibi precium, non secundum aestimationem montanorum, sed prout in loco, ubi tunc fiet venditio teneatur. Pro usu vero proprio, videlicet, pro vasis aureis, & argenteis, balthеis, ac aliis ad cultum spectantibus, laborandis unus-

Anno Christi 1405.

quisque vendendi, & emendi liberam habeant facultatem. Si quis autem forte contrarium facere præsumpserit, ac vendiderit aurum vel argentum, & emptor pecuniam amittat protinus ipso facto quod aurum, vel argentum, quæve pecunia fisco nostro Regio pro medietate, & pro reliqua medietate accusanti (si quis accusator exstiterit) applicetur. Ob hoc etenim volumus ne quispiam audeat, vel præsumat aurum, seu lapidem illum, in quo auri & argenti qualitas dignoscitur, habere. Item neque testam, seu instrumentum pro argenti effusione, & substancia tenere, exceptis duntaxat aurifabris. Insuper nec separandi cum aqua aurum ab argento, artem exercere, nisi ille, vel illi, quibus hujusmodi officia duximus specialiter committenda. In quorum omnium, & singulorum testimonium, firmitatemque perpetuam, præsentes litteras privilegiales, pendentis & authentici novi sigilli duplicis munimine jussimus roborari. Datum per manus reverendissimi in Christo Patris & Domini Eberhardi, Dei & Apostolicæ sedis gratia Episcopi Zagrabiensis, Aulæ nostræ Regiæ supremi Cancellarii, dilecti nostri, & fidelis. Anno Domini millesimo quadringentesimo quarto decimo septimo Kalendarum mensis Maji Regni autem nostri anno decimo septimo, venerabilibus in Christo Patribus & Dominis, Valentino Ti. Sanctæ Sabinæ sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali, ac Ecclesiæ, quinque Ecclesiensis gubernatore, Joanne Strigoniense, Colocense sede vacante, Andrea Spalatense, & altero Andrea Ragusiense, Archiepiscopis Luca Varadiense, Stephano Transilvaniense, eodem domino Eberhardo Zagrabiense, Agriense sede vacante, Joanne Bosniense, Wesprimiense sede vacante, Joanne Jauriense, Nicolao Vaciense, Petro Nitriense, Fratre Dosa electo Chanadiense, Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus Syrmiense, Traguriense, Scardonense, Tyniniense, Novense, Sibinicense, Corbaviense, & Segniense sedibus vacantibus. Nec non magnificis viris, Nicolao de Gara, Regni nostri Ungariæ prædicti Palatino, Joanne, & Jacobo Wayvodis nostris Transilvanicis. Comite Frank filio quondam Konie Bani, Judice Curiæ nostræ Paulo Bisseno, & altero Paulo de Peth, Dalmatiæ & Croatiæ prædictarum, ac totius Sclavoniæ, Joanne de Maroth Machoviense, Banis, honore Banatus, Jevriense vacante, Nicolao Trewel de Newna Thavernicorum, & Comite de Posega, Simone filio quondam dicti Koniæ Bani, Janitorum, Martino Detri, Dapiferorum, Laurentio de Thary, Pincernarum Petro Cheh Agazonum nostrorum Magistris, Simolone de Wetav Comite Posoniensi, aliisque quam pluribus nostri Regni Comitatus tenentibus & honores. „ Hæc tametsi prolixa sint, neque nostris non possint esse cognita, inferenda tamen annalibus putabam, ut exteri eorum temporum, quibus rerum in Hungaria Sigismundus potiebatur, qualemcunque imaginem haberent.

Ob suscendas in Bosnenses bellum, sumtus infulam Csakatornensem vendit.

Pacata, quantum fieri poterat, Hungaria bellum in Bosnenses susceptum est. Erat Bosnia intestino partium studio in duas partes distracta, uni Tuartkus cognomento Scurus, alteri Ostoja præfuit. Ille Ladislai clientela fultus Turcos præterea, promisso singulis annis viginti aureorum millium stipendio in suppetias advocarat, quorum auxilio dicionibus magnam partem exutus Ostoja apud Sigismundum opem implorabat. Facile assensus rex est, præsertim quod victo, captoque per Tamerlanem Bajazete, spes reducendæ ad pristinam obedientiam Bosniæ affulgeret, & Turcos porro grassaturos, nisi mature obviam iretur, metus non levis esset. Itaque communicatis cum Manuele Palæologo, & Valachiæ Vayvoda consiliis, exercitum, ut scriptor coævus memorat, (5) sexaginta millium collegit, cui tamen præcipuus belli nervus, ob exhausta turbatis temporibus æraria, deesset. Neque alius facile, a quo æs necessarium mutuaret, quam Hermannus Cilleiæ comes, ac designatus socer occurrerat, cui eodem anno insulam Csakatornensem pactis quadraginta, & octo florenorum millibus vendidit, ne quid in mora esset, quo minus bellum in Bosnenses decretum, summo studio persequeretur. (6) His decimas quoque Episcopatus Zagrabiensis, credo, quod

(5) WINDECKIUS cap. XVIII.

(6) Cl. FRÖLICH e S. J. in MSS. Cilejanis notatque diploma Budæ consignatum, exstare in Archiv. Aulico Græcensi loculo 42. Num. 150.

quod Eberhardo ad Varadinensem Cathedram traducto sedes vacaret, aut si geminum beneficium possideret, adjunxit, ut esset, ex quo stipendia miles haberet.

Annus Christi 1406. In Bosnam movet

Rebus ita comparatis accelerato itinere in Bosnam ventum est; in qua quid præter aliquot prælia, quæ victor conseruerat, gestum sit, nihil usquam apud scriptores illius temporis consignatum reperio: illud constat, copias in tertium annum isthic adhæsisse, & belli rationes tam prospero eventu administratas, ut capto rege, cæsisque magnam partem Proceribus Bosnia rursus in provinciam redacta sit, ut, cum illo ventum fuerit, memorabitur. (7) Eadem opera, qua bellum ex hostis molitionibus diuturnum fore videbatur, Nicolaum Episcopum Vaciensem, Hermannum Comitem Cilleiæ, & Nicolaum Garam Regni Palatinum ad Philippum Burgundiæ Ducem, & Flandriæ comitem, Legatos cum literis misit, quibus inter alia significarat, *certas quasdam pactiones inter se, & fratrem suum Wenceslaum Romanorum, & Bohemiæ regem esse factas: se cum Ostoja Rege Bosnæ pacem, ac fœdus iniisse, Stephanum Ducem Rasciæ ipsi Sigismundo se subjecisse, & contra Turcas magna potentia profectum victorias aliquot reportasse. Constantinopolitanum Imperatorem, ac Wayvodam Valachiæ contra eosdem Turcas pulchra facinora gerere, sibique illis magna misisse auxilia.* Hæc Spondanus ex Flandricis Mayeri annalibus. (8)

1406 Bellum per Legatos administrat

Ceterum potissimam belli partem per legatos Sigismundum administrasse, & cum per rempublicam licuit, ad exercitum crebro invisisse, instrumenta literarum fidem faciunt. Rursus enim in Hungaria absente rege turbarum aliquid fuisse oportuit, quod Nicolaus Palatinus, Hermannus Cillejensis, & Comes Modrussiensis, inito inter se fœdere, stipulati sint, se regem adversus omnem conspirationem pro virili tutaturos esse. (9) Neque Dalmatia, quamquam Ladislai res isthic sensim labascerent, negligenda fuit, in qua, postquam Arbenses rursum ad regis partes accessissent, neque Ladislaus, rebus Italicis implicitus, supplementa mitteret, ad exigendum penitus æmulum, Dalmatiæ, Croatiæ, ac totius Sclavoniæ Banum constituit Hermannum Cillejensem, cujus auctoritate, & potentia, qui Ladislao adhærebant, coercerentur. Ladislaus vicissim, ubi, quid Sigismundus moliretur, comperisset, regem Bosnæ confirmans privilegiis, quæ Majores sui habebant, in suas partes pertrahere, sibique firmiore vinculo alligare conatus est. (10)

Ladislaus Bosnæ regem sibi conciliat

„ Ladislaus Dei gratia &c. universis præsentes literas inspecturis tam præ„sentibus, quam futuris &c. Etsi in concedendis gratiis proni debeamus existere,
„ ad confirmandum quidem, quæ sunt possessa per alios tenemur promptiores nos
„ in casibus exhibere. Sane venientes noviter ad Majestatis nostræ præsentiam
„ Magnifici, & Nobiles viri Georgius Vayvoda de terra Holm, Comes Vul„ko, & Thomas Miles Consiliarii, & fideles nostri dilecti missi ad nos per Il„lustrem Principem Dominum Tuertko regem Bosnæ, affinem nostrum carissi„mum, tamquam fratrem, ac Spectabiles, Magnificos, & Nobiles viros Her„voyam Ducem Spalati, & Comitem partium inferiorum, Sandalum summum
„ Vayvodam dicti regni Bosnæ, aliosque Barones, Magnates, Proceres, & com„munitatem - - Consiliarios, & fideles nostros dilectos cultum nostro, quo su„pra nomine supplicaverunt humiliter, ut confirmare jam dictis Regni Baronibus,
„ Proceribus, Magnatibus, & Communitati dicti regni Bosnæ, omnes, & singu„las consuetudines, statum, & jura antiquitus eis observatas, & observata;
„ nec non confinia, & metas ipsius regni Bosnæ possessa, & possessas per q spect.
„ Culin olim dicti regni Bosnæ Banum, illasque, & illa eis observari jubere be„nigniter dignaremur. Nos vero ad dictum regnum Bosnæ gerentes fraternæ
„ dilectionis affectum, ac alios prædictos ejusdem regni Bosnæ Barones, Magna„tes, Proceres, & Communitatem propter merita fidelitatis eorum, & servitia
„ gra-

(7) WINDEKIUS ibidem.
(8) Ad annum 1404.
(9) Exstat de hac conventione diploma in Archiv. Aulæ Græc. Foculo 43 Num. 46. ut Erudiss. FROLICH e S.J. in MSS. rerum Cillejensium adnotavit. Signatum est sine loco feria IV ante Philippi, & Jacobi An. Chr. 1406.
(10) LUCIUS cit. loco.

Anno Christi 1406

" grandia, fructuosa & utilia, quæ nobis hactenus in eventibus dubiis præstiterunt, & assidue præstare non cessant prosequi favorabiliter disponentes, ut qui nostris se promptos obsequiis exhibuerunt continue Nos eis propitios possint, in quibuscunque rerum eventibus invenire, jam dictos Illustri Regi Boznæ, & ejus successoribus, nec non Baronibus, Magnatibus, Proceribus, & Communitati dicti regni Boznæ per dictum q. Culin olim dicti regni Boznæ & si gnanter a partibus Hungariæ possessos, & possessa, de certa nostra scientia tenore præsentium confirmamus, illaque, & illa eis observari inviolabiliter volumus, & jubemus, decernentes, declarantes, & jubentes expresse, quod dictus rex Boznæ, & ejus successores, præfatique Barones, Magnates, Proceres, & Communitas dicti regni Boznæ in ipsum etiam regem consuetudines, statuta, jura, confinia, & metas omnes prædictas habeant, de cætero teneant, & possideant, prout, & quemadmodum eisque modo & forma, quibus illas & illa dictus q. Culin Banus & maxime a dictis Hungariæ partibus, dum vixit, habuit, tenuit, & possedit, nec ullam in prædictis vexationem incurrant obstaculum vel anfractum, fidelitate, & superioritate nostra aliis nostris juribus semper salvis. In cujus rei testimonium præsentes litteras exinde fieri, & pendenti Majestatis nostræ sigillo jussimus communiri. Datum in castro nostro prope Neapolim per virum Magnificum Gurell Aurelii de Neap - - - Militiæ Logothetam, & Protonotarium regni nostri Siciliæ Collateralem Consiliarium, & fidelem nostrum dilectum. Anno Domini MCCCCVI. die XXVI. Augusti, XIV Indictione Regnorum nostrorum anno XX. "

Decimæ Episcopo Zagabiensi restituuntur.

Hæc inter ad Sigismundum affertur, Sclavoniam haud diu pacatam fore, nisi fructus Episcopatus, quos regio fisco intulerat, pristino loco reponeret. Rex, ne sibi importuno tempore rursus aliquid turbarum conficeret, scriptis ad Hermannum litteris, facile potestatem dedit, ut decumarum rationes, quas anno abhinc suo ærario belli causa addixerat, ad veterem morem, regnique consuetudinem exigi fas esset. (11) *Sigismundus Dei gratia rex Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Marchio Brandeburgensis &c. Sacri Romani Imperii Vicarius generalis, & regni Bohemiæ Gubernator fidelibus suis, spectabili, Magnifico viro, Domino Hermanno Ciliæ, Ortemburgæ, & Zagoriæ Comiti, Dalmatiæque, & Croatiæ, ac totius Sclavoniæ regnorum nostrorum Bano, nec non Gubernatori Episcopatus Zagrabiensis, ac decimatoribus, seu exactoribus decimarum Episcopatus ejusdem, nunc scilicet constitutis, & in futurum constituendis salutem, & gratiam. Licet nos præmissas decimas frugum scilicet, & vinorum, aliarumque rerum cujuslibet generis eodem Episcopatui, Episcopo loci ejusdem ex parte incolarum præfati regni nostri Sclavoniæ provenientes certis causis nos urgentibus in anno proxime evoluto, a Reverendo in Christo Patre, Domino Eberhardo Episcopo annotatæ Zagrabiensis Ecclesiæ, contradixerimus recipiendo in specie, & in colore contra consuetudines, & libertates antiquas ejusdem regni nostri recipi, & exigi fecerimus, tamen supplicatione nobilium, Procerum, aliorumque incolarum dicti regni nostri Sclavoniæ, nostræ pro eorum parte subjectivæ oblatis Majestati, favorabiliter inclinati concessimus, & annuimus, ut successive regnicolæ nostri hujusmodi decimas præfato Domino Episcopo provenientes, de quibuscunque rebus eorum non in specie, & labore, sed modo ab antiquo consueto, dare, solvere, & administrare teneantur, mandantes vestræ fidelitati firmiter, & districte per præsentes, quatenus amodo deinceps, ut easdem, præscriptas decimas a præfatis incolis, & jurisdictione dicti Episcopatus constitutis provenire debentes, non in specie, & in colore, uti præmissum, sed more alio, ab antiquo scilicet consueto, ab iisdem recipere, & exigere debeatis, secus in præmissis nullo modo facere præsumatis, & hoc idem hujusmodi futuris decimatoribus, & dicatoribus, exactoribusque decimarum earundem firmiter observare præcipiatis, quibus perlectis, reddi jubemus præsentanti. Datum Agriæ Sabbatho proximo ante festum beatorum Cosmæ, & Damiani Martyrum, anno Domini MCCCCVI.*

Agria

(11) Ex Tom. MS. Heveneliano sub Lit. D. eique diploma insertum litteris Blasii Magyar Bolsim, Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Bani anno 1470.

Anno Christi 1407

Sigismundus ex Cumanis supplementa legit.

Agria, unde litteras exaraverat Sigismundus, ad Cumanos, qui haud procul ea urbe intra Tibiscum, & Danubii flumina amplissimam, & ubertate frugum insignem ditionem colunt, profectus, nova ex fortissima gente supplementa scripsit, quae Legatus suis in Bosniam transmitteret. Fuit ea gens abhinc, quam post Tartarorum ex Hungaria abitum in Belae IV. foedere rursum concessit, magno semper regibus nostris in obmovendo, & propulsando bello usui, ac commodo, feroces quidem, & avitis superstitionibus supra modum in principio dediti, sed postea, quam sacra Christiana amplexi fuissent, posita morum feritate, ita deliniti, ut nec ad finitimorum molimen defluerent, nec quidquam ex pristino ingenio tractandis armis maxime sibi [illegible] ponerent. Credibile est, hoc quoque bello in Bosnia rebus adversum hostes praeclare gestis inclaruisse, & dum alii factiosorum turbis se temere implicari sinerent, constanti semper fide in Sigismundum fuisse, quod rex vetera gentis privilegia auctoritate sua per publicas litteras amplissime confirmat. Ita autem habent. (12) *Nos Sigismundus Dei gratia rex Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Marchioque Brandeburgensis &c. Sacri Romani Imperii Vicarius generalis, & regni Bohemiae Gubernator. Memoriae commendamus per praesentes, quod quia regiam decet excellentiam ad certa sibi subditorum commoda augmentanda vigilare, & praesertim talium, quos sibi, & sacrae coronae regiae non sine diffusionibus personarum casibus, & gravibus expensarum oneribus conspexit, & conterunt, & tam indefinenter, quam fideliter adhaesisse. Et ex quo fideles nostri dilecti, universi Philistaei intra ambitum dicti regni nostri ubicumque commorantes, a Divis regibus Hungariae felicium reminiscentiarum, nostrisque scilicet Praedecessoribus, inter alias ipsorum libertates, eis gratiose concessas, & indultas, hujusmodi immunitatum praerogativas, ut ipsos nullus omnino Judicum, seu Justitiariorum ipsius regni nostri, Ecclesiasticorum videlicet, seu Saecularium, praeterquam Capitanei eorum in ipsorum medio constituti, ad cujusvis instantiam, & in quibuscumque causis judicare, vel suo adstare judicatu compellere praesumeret, seu deberet, & quod iidem de eorum personis, mercantiis, & rebus quibusvis per climata ejusdem regni nostri proficiscentes ad nullam penitus tributariam solutionem compelli tenentur, usi, & libere fruiti fuisse asseruntur, usque praemissis vero existentibus volentes, ut dicti nostri Philistaei, sicuti nomine, sic & fidelitate augeantur, tum quod ipsi praemissis exemptionibus gratiarum usi fuisse perhibentur, tum etiam ex gratia speciali, ipsas easdem libertatum praerogativas de novo annuentes duximus gratiose concedendas, ut puta, quod nullus omnino dictorum Judicum, & Justitiariorum ipsius regni nostri, demptis solummodo ipsorum Capitaneis, ipsos in quibuslibet causis, & causarum articulis ad cujusvis instantiam, & in quibuscumque causis judicare, & quod iidem de cetero ad nullam penitus tributariam solutionem faciendam compelli teneantur, seu astringi. Harum nostrarum vigore, & testimonio litterarum.*

Eorundem privilegia confirmat.

Quocirca vobis fidelibus nostris universis, & singulis Praelatis, Baronibus, Nobilibus, eorumque Officialibus, item civitatibus, & liberis villis, earumque Rectoribus, Judicibus, & villicis praesentium notitiam habituris firmiter committimus, & omnino volentes mandamus, quatenus habitis praesentibus, a modoque deinceps antedictos fideles nostros Philistaeos, ad cujusvis instantiam, & in quibuscumque causis, & causarum articulis in personis, juribus possessionariis, rebusque, & bonis ipsorum quibuscumque judicare, vel vestro adstare judicatu compellere nullatenus praesumatis. Si qui autem quicquam actionis, vel quaestionis contra, & adversus aliquos, vel aliquem dictorum Philistaeorum nostrorum habent, vel se habere praetendunt, id in praesentia Capitaneorum eorundem in ipsorum medio, ordine judiciario prosequatur, ubi per eosdem cuilibet ex parte ipsorum, vel eorundem judicum, & justitia non deerit eisdem, & condigna. Nihilominus vobis Praelatis, Baronibus, & aliis nostris fidelibus supra dictis, nostrisque, ac reginalibus, nec non eorundem tributariis, ubicumque super terram constitutis, & constituendis, districtius edicimus, ut pro amplius super pra-

(12) Eodem Tom. MS Hevenesiano.

Anno Christi 1407

prohibeatis vestros Philisthæos, aut eorum quorumcunque res, & bona in locis dictorum nostrorum, & reginalium, nec non eorum tributariorum in eundo, stando, & redeundo nullum tributum, nullumve tributariam solutionem petere, aut exigere præsumatis, nec sitis ausi modo aliquali secus contra formam præmissæ gratiæ nostræ facere, nec ausuri in præmissis. præsentes quoque post earum lecturam opportunam reddi semper jubentes præsentanti. Datum Budæ in Dominica Judica, anno Domini MCCCCVII.

Philisthæorum cognominis origo incerta, & unde id sumtum.

Hæ nostrorum Cumanorum prærogativæ, quibus haud scio an alii præterea uspiam in regno gaudeant. Cur autem, aut unde Philisthæi Sigismundo dicantur, nisi id a proceris corporibus, & robore, sumtum sit, ne conjectura quidem assequor. Alioquin ceu suo eandem cum Hungaris, ac Transilvanis gentem, tum in varias tribus discretam, ac longo post intervallo ex Cumania, unde & nomen fortitos verisimile est, ad nos delatos in veterum Hunnorum annalibus, satis, ut puto probabiliter commonstravi. Itaque male aliis nescio a quibus Jazygum, quos Slavos fuisse extra dubium est, nomen inditum per sese liquet: exteri autem scriptores, qui a veteribus Philisthæis ortos, & ex Palæstina in Hungariam traductos, alioque, quam Hungaros, ore loqui commemorant, merito suo explodendi sunt.

1408 Rex noster in Latronei bello, vitæ discrimen adit.

Nondum profligato Bosnensi bello, aliud in Moravia, quod regi propemodum fatale fuit, ex improviso obortum est. Sakoschurus insignis prædo actis promiscue latrociniis brevi ad tantam potentiam excrevit, ut ex confluentibus in dies facinorosis hominibus, quos egestas, & vitæ licentia ad quodvis facinus promtos effecerat, exercitum conflaret, cujus ope magnam Moraviæ partem occupata ex insidiis Znoima in ditionem redegit. Illhinc in finitimam Austriam, & Hungariam crebro procurrere, astuque spoliis terrori etiam Principibus esse. Commune Hungariæ, & Austriacis malum, communibus itidem viribus aggredi, & exstirpari placuit. Ipse rex cum Austriæ Duce consociatus, quantum ad opprimendum hostem satis videbatur, copiis, in Moraviam profectus, Znoimam, latronis asylum, ineunte anno obsidione cinxit. Et quia constitutum utrique erat, nefarios homines nulla veniæ spe ad meritas pœnas deposcere, occlusis omnia a diu oppugnationem acri studio urgere, ac ad finem jam adducere cœperant; cum perditissimus impostor, visa, urbem, nisi dolo se ex periculo extricaret, fame deditum iri, aliquem ex criminum sociis fallendi, simulandique peritissimum lego, qui oratoris nomine ad regem in castra profectus de urbe dedenda ageret, re autem ipsa captato tempore venenum propinaret. Successit dolus ex sententia, non eo tamen, quem homines conscelleratissimi sperabant, eventu. Rex malum intra corpus grassari sentiens, id, quod re ipsa erat, suspicatus, soluta obsidione magnis itineribus in Hungariam contendit, ægreque ad Rubeam arcem, Tyrnavia tribus stadiis dissitam, elaßatus est. Medici tamen studio, ac peritia, exacto ex visceribus malo, paucos post dies valetudini restitutum Proceres, qui audito regis periculo certatim accurrerant, salvum, & incolumem Budam reduxere. (13)

Debellatur Bosnensibus.

Hic curato, qui ex morbo resliterat, languore, vereque appropinquante, toto animo Bosnense bellum, quod in tertium jam annum Legati traxerant, complexus, ipse Optimatum corona stipatus, ad exercitum abit. Præsentia regis fervere omnes, poscereque, ut omni abrupta mora in hostem duceret, malle se rem prælio experiri, quam nullo operæ hactenus relato pretio diutius in hostes adhærere. Collata fuisse signa, & reportatam a nostris victoriam, scriptor coævus satis aperte perhibet, qui captum regem, & centum ac viginti sex partim ex Proceribus, partim ex Nobilibus Bosnæ in victorum potestatem venisse commemorat. Sed victoriæ fructum, laudemque nimia adversum victos inclementia temerasse Sigismundus ple-

(13) WINDECKIUS cap. XX habetque, Albertum IV bello interfuisse, quem tamen plerique jam prius fato functum memorant. Arx, in quam se rex recepit, illi *Konra-fers* dicta est ex intervallo, quod Tyrnavia desumit, sæpiore rubræ arci respondere, nisi quis Stummolanyiam malit.

plerisque visus est, cum omnes sine discrimine, quos comprehensos paulum ante memoravimus, capite truncatos ex castro Dobor in praeterfluentem agi jussisset. (14) Regem, quem captivam postea Budae in triumphum duxit, non alium a Tuartko Scuro fuisse existimo, quod cum Ostoja in principio Bosnensis belli pacem misse, ipse Sigismundus Philippo Burgundiae Duci per literas significant. (15) Haud multo tamen post tempore, data prius fide, se in Hungariae regum potestate futurum, in libertatem assertum verisimile est, quod crebras deinde armorum collationes cum Ostoja habuisse apud probatos scriptores legatur. (16)

Anno Christi 1408

Rex domita Bosnia victorem exercitum per Serviam, & Rasciam traducens, facile gentis Despotam, ita Principes, qui summam rerum tenent, nunc pare illis mos est, in pristino obsequio, & clientela confirmavit. Inde Budam redux, adjecto ad nuptias animo, Barbaram Hermanni Cilleja Comitis filiam, matrimonio, quod illi paucos ante annos spoponderat, sibi copulavit. (17) Quod ut magnam in principio spem haeredis, pacisque regni Proceribus fecerat, ita exitu haud satis auspicatum fuisse patuit, quemadmodum, cum nos rerum ordo illhuc adduxerit, candida narratione complectemur.

Barbaram Hermanni Cilleja Comitis filiam ducit.

Sub haec Ladislai Neapolitani res mirum in modum defluebant, ut adeo, cum satis curarum domi nactus esset, Dalmatiam pene hosti occupandam deseruisse videretur. Id factiosos, in primis Hervojam, vehementer sollicitos habuerat, ne a Turcis simul, & Hungaris oppressi, horum irae, & illorum libidini utrinque objicerentur. Itaque, qui rebellioni antea caput extitit, primus quoque omnium, ut in gratiam cum Sigismundo rediret, Bosnensibus auctor fuit. Verebatur homo callidus, ne, quod Croatiae primores sensim respiciebant, sibi uni relictus, Ducatu Spalatensi, ab Ladislao donum sibi dato, fortunisque, quas opulentissimas habuit, excideret. Quare dum reliquae Dalmatiae & Croatiae urbes nuntios ad Sigismundum mitterent, suos quoque Legatos cum mandatis ire jussit, qui pacem in hunc modum conciliare satagerent, ut & rex obliterata injuriarum memoria sibi placatus redderetur, & sua sibi dignitas salva, ac integra esset.

Hervojae missi ad regem legati,

Neque Sigismundus, tametsi multae, & graves plectendi hominis causae illi erant, a foederibus abhorruit, ne prudens, volensque quieti publicae adversari malevolis videretur. In quas conditiones pax utrinque coaluerit, nihil compertum habeo. Spalatensem tamen Ducatum bona regis venia Hervojae relictum ex epistola conficitur, quam ad Tragurienses in haec verba scripserat. (18) *Sigismundus Dei gratia rex Hungariae, Dalmatiae, Croatiae &c. Marchioque Brandeburgensis &c. Sacri Romani Imperii Vicarius Generalis, & regni Bohemiae Gubernator. Nobilibus, & prudentibus viris, Rectori, Consilio, & communi civitatis nostrae Traguriensis salutem, & gratiam. Audistis, prout non ambigimus, pace, unione, & concordia inter nos, & Dominum Hervojam, Ducem Spalati &c. ac universi-*

1409.

(14) WINDECKIUS cap. XVIII.
(15) MAYR Annal. Flandr. Lib. XIV.
(16) DU CANGE de famil. Dalm. & Sclav. cap. IX.
(17) WINDECKIUS cap. XIX. Ex hoc, & cap. quidem XVII. ubi ad an. 1403 memorat Benedictum de Matra loco tertio antea in carcere detentum, non prius fuisse dimissum, quam rex Barbaram duxisset, recte Eruditiss. FROELICHIUS e S. J. in MSS. rerum Cilleyensium conjectat, nuptias hoc anno coaluisse. Neque doctissimum virum aberrasse patet ex Diplomate anni 1408. quod tetulit laudatum. Datum est IV. idus Julias, & data Garius bona his verbis confirmantur: *Regia auctoritate - & consilio etiam, & consensu Praelatorum, Baronum, & Procerum regni nostri - nobilissimae Serenissimae Principis Dominae Barbarae dilectae reginarum regnae, consortis nostrae carissimae, filiae videlicet spectabilis viri Domini Hermanni comitis Cilliae fratri nostri dilecti, cujus quidem consortis nostrae peractore fuerat semper eidem Nicolao Palatino matrimonialiter extitit copulata* - - Quare si in littera ante hunc annum Hermannus frater Sigismundi legatus, non re ipsa fuisse, sed designatus solum existimandus est.
(18) LUCIUS lib. V. cap. IV.

Anno Christi 1409.

versitatem regni nostri Bosnæ, tantis, factis, & feliciter consummatis, quod instar aliarum civitatum regnorum nostrorum Dalmatiæ, & Croatiæ prædictorum, nuntios vestros ad nos destinare distulistis, non immerito admiramur id vos neglexisse, quod a vobis præstantius, & celerius, quam ab aliis fieri sperabamus, maxime, quod hoc apparenter non potueritis, attamen vobis, & sacræ coronæ nostræ fidelitatem vos intelleximus conservasse. Unde vestræ universitatis fidelitatem hortamur, & et præcipimus regio nostro sub edicto, quatenus nunc receptis præsentibus, aliquos ex vobis meliores, plena syndicatus auctoritate fulcitos, ad nostram celsitudinem destinare debeatis Majestatem, ut habita cum eis tractatu, expeditisque, & definitis negotiis rei publicæ, & communis boni incrementa concernentibus, vexillum nostrum regium, & alia insignia regalia, per eos in vestri medium nostri parte transmittere valeamus, per vos in veræ fidelitatis nobis servatæ, & servandæ indicium, acceptandum, elevandum, & honorifice conservandum. Super verbis, & non nullis aliis Jacobo de Breberis, familiari nostro fideli, præsentium latori, per nos clara informato, fidem, credentiam, & indubiam debeatis adhibere. Datum Budæ in festo Epiphaniæ Domini MCDIX.

Dalmatia ad obsequium redit.

Traductis haud multo post tempore ad Sigismundi partes Traguriensibus, universa Dalmatia, si Jadram cum finitimo agro demas, in regis potestate fuit. Quæ res Ladislaum ad communiendam primum præsidio Neapolitano arcem Jadrensem impulerat, ut cives adversus Hungaros, & Hervoyam illorum partibus jam addictum tueretur, sed paullum post, quoniam destinationem suam, nisi classem in Adriatico magnis impendiis constanter aleret, opere ipso exequi posse diffidebat, Jadram Venetis una cum juribus Dalmatiæ vendidit. Pactum venditionis summam fragmentum litterarum memoriæ prodidit. (19)

Ladislaus Jadram & jus in Dalmatiam Venetis vendit.

„ In Christi nomine Amen. Anno Nativitatis ejus MCDIX. Indictione
„ II. die Martii nono mensis Junii. Cum Serenissimus, & Excellentissimus Princeps,
„ & Dominus Ladislaus, Hungariæ, Hierusalem, & Siciliæ rex, ad quem cum
„ constanti, & pleno jure spectat, & spectare noscatur tota Dalmatia, cum ter-
„ ris, castris, fortalitiis, insulis, & villis, & territoriis ejusdem, cum omnibus
„ juribus, jurisdictionibus, habentiis, & pertinentiis quibuscunque, omnibus vasal-
„ lis, feudis, & feudatariis ipsius, & alias infra scriptis disposuisset, pro statu
„ Reipublicæ, ac statu regio, defensione, gubernatione regni sui prædicti, &
„ ex aliis causis justis, moventibus mentem suam regiam, vendere, & alie-
„ nare civitatem Jadræ de partibus Dalmatiæ, cum fortalitio, seu castro ejusdem,
„ ejusque pertinentiis, & districtu insulis, castris, sive villis, pertinentiarum e-
„ jusdem, cum & sub specificatione Novigradus, insulæ Pagi, & aliorum di-
„ strictuum ipsius, nec non terram Lauranæ cum fortalitio, & castro ipsius e-
„ jusdem provinciæ, nec non sub eadem venditione jura omnia competentia,
„ & competitura quomodolibet, præfato Domino regi, ex quovis capite, ra-
„ tione, titulo, sive casu super tota Dalmatia prædicta, terris, & castris, &
„ locis, fortalitiis omnibus, vasallis, feudis, feudatariis, juribus, jurisdictioni-
„ bus, & pertinentiis suis omnibus, dictarum civitatum Jadræ, Lauranæ, ca-
„ stri Novigradus, insulæ Pagi, ac cessione quorumcunque jurium super tota
„ prædicta Dalmatia, directo, & utili dominio, mero, & mixto imperio, cum
„ gladii potestate, liberas, & exemptas ab omni nexu, & hypotheca reali,
„ & personali angaria, & parangaria, præstatione tributi, quolibet alio onere,
„ honore, gravamine, & specie servitutis, absque reservatione aliqua debenda
„ præfato Domino regi pro terris venditis, & cessione aliorum jurium, ut su-
„ pra ipsius dictæ quomodolibet non obstante. & ut infra, videlicet pro duca-
„ tis centum millibus. - - -

Ægre id ferentibus Hungariæ Proceribus

Hactenus fragmentum. Graviter eam nundinationem Hungari tulere, quod ab illegitimo rege, nec consultis, ut oportebat, regni ordinibus, nec de re unquam possessa, contra omne fas patrata fuisset. Mirumque videri potest, Venetos, qui, ut Sigismundus Hungariæ rex crearetur, in causa potissimum fuis-

(19) Idem Lib. V cap. V

fuisse memorantur, illiusque auctoritatem contra factiosos acriter tuiti sunt, neque cum Ladislao unquam sentiebant, itaque illum pro suo Dalmatæ Dominum habuere, converso repente studio opulentissimum regnum tam exili pretio emerent ab eo, cui nullum in rem venditam, aut certe ambiguum jus fuisse res illorum temporum perspicue declarant.

Anno Christi 1409

Dissimulanda tamen hæc aliquamdiu Sigismundo fuere, quod curas illius Hungaria, quæ compressis factiosorum hominum seditionibus paulisper respirabat, aliorsum vocaret. In qua cum crebræ per intervalla altercationes fundorum causa oborirentur, juris dicundi rationes ita ubique administrari voluit, ut, quanta fieri posset celeritate, litibus ad æquitatis normam exactis modus poneretur. Eam ob rem varias regni partes regem obiisse literæ publicæ non obscure produnt: in longe autem positis Transsilvaniæ, ac Siculiæ ditionibus Præfectos provinciarum conventus ut cogerent, jussit, illisque dirimendo juri diligentem operam navare, ut cives, restituta in integrum quiete publica, fructu pacis fruerentur. Ne conjecturæ id a me quis tribui putet, libet instrumentum, quod fidem faciat, quantum ad rem attinet, in medium proferre. (20) *Nos Michael filius Salomonis de Nadasd, trium generum Siculorum Comes. Memoriæ commendamus, quod in congregatione nostra generali universitatis Siculorum, sedis Marus, una cum Michaele filio Panya Primipulo, Emerico filio Pauli de Szent Anna, judice terrestri, feria quarta proxima post festum Beati Martini confessoris in Curia Wasarhely celebrata* - - tum narratis prolixe omnibus, quæ communi suffragatione ad stabiliendam rem publicam, & complanandas animorum dissensiones decreta essent, graviter vetat, ne quis, nisi consulto rege, contra facere ausit. *Datum vigesimo octavo die congregationis nostræ loco memorato. Anno Domini MCCCCIX.*

Rex juris dicundi rationes præscribit

Dum hunc in modum rem publicam curat Sigismundus, ad Comitia, quæ Electores Imperii defuncto Ruperto, & Wenceslai levitatem pertæsi, ad eligendum regem celebrare decreverant, per Oratores evocatur. Ferunt, dum in communi suffragatione, cui Romani Imperii dignitatem conferendam censeret, a Principibus rogaretur, disertis verbis respondisse, neminem se meliorem videri, qui turbatis rei publicæ temporibus Imperium majore studio administraturus esset. Libera vox, & potentissimum Hungariæ regnum, facile Electores in eam sententiam adduxit, ut eum miro omnium consensu, Romanorum regem juberent. Moguntinum enim, & Coloniensem biennio post reliquorum suffragia primum accessisse Windeckius, sed male, memorat (21) Atque ita primus omnium Sigismundus novam Hungariæ dignitatem invexit, quæ ut extra dubitationem magnum regno splendorem conciliaverat, ita in causa quoque fuit, ut rex rariore, quam aut voluerit, aut oportuerit etiam, cura suam Hungariam complecteretur.

1410. Ab Imperii Electoribus Romanorum rex pronunciatur.

Nondum enim ea dignitate auctus Budam redierat, cum acceptis ex Prussia nuntiis facile intellexit, quam magnopere recens adeptus honor cum molestiis copulatus esset. Inimicitiæ, quæ abhinc, quam Ludovicus rerum in Hungaria potitus est, Cruciferorum ordini eum Polonis intercesserant, paucis ante annis adeo invaluere, ut, nisi alterius judicio complanarentur, cum summo alterutrius gentis periculo conjunctæ esse viderentur. Id Cruciferi, ne fieret, verriti Sigismundum oravere, ut auctoritatem suam interponere ne gravaretur, quod controversiæ judicium non modo ad Romanorum regem per sese attineret, sed insignem æquitatis præterea laudem apud exteros sibi pariturum esse. Neque ab arbitrio regis Wladislaus Polonus abhorruit. Itaque, ut reges ad dirimendam litem data utrinque fide Kesmarkinum coirent, placuit. Ventum illuc est verno jejunii tempore, sed Wladislaus, incertum quam ob causam, Sandecii subsistens, Alexandrum fratrem, ut suo nomine de controversia transigeret, ad Sigismundum misit. In quas conditiones partibus conveterit, auctores, ut vario studio fere-

Obortam inter Polonos, & Cruciferos litem judicio suo dirimit

(20) Ex MSS. Hiftanis.

(21) WINDECKIUS cap. XXVII. Patebit hoc etiam ex diplomate, quod infra proferemus.

Annus Christi 1410.

ferebantur, ita varie literis consignarunt. Windeckius rerum a Sigismundo gestarum scriptor synchronus litem in solidum diremtam (22) Longinus contra re infecta utrinque discessum esse memorat, quod Sigismundus acceptus quadraginta florenum millibus favenior Cruciferis, quam Polonis pollicitus esset, se Magistro ordinis, si Wladislaus armis porro infestus esse pergeret, auxilio affuturum. Illud fortasse non improbabile sit, quod Poloni scriptores perhibent, Sigismundum pertracto in suas partes Alexandro odia semina inter utrumque fratrem jecisse, quæ res materiam bello paulum post obmoto suppeditant. (23)

Tum Sigismundus coactis bellum in illos parum prosperè movet

Nam profligatis ad Marienburgum memorabili cæde Cruciferis, Sigismundus, ut pactis conventis staret, Suborium Transilvaniæ Wayvodam in Poloniæ fines irrumpere jussit, ratus Polonos domestico periculo admonitos deserta Prussia isthuc continuo advolaturos. Verum Wladislaus haud satis ingenio Sigismundi fidens, jam multo ante copias in limitibus præsto esse voluit, ut, si quod ab Hungaria discrimen immineret, occupatis montium faucibus, qui utrumque regnum separant, quanto possent studio propulsarent. Utriusque tamen destinationem eventus destituit. Suborius multo alia, quam ab hoste existimatum sit, via Poloniæ infusus metum armorum, & vastitatem latissime circumtulit, actisque spoliis, quod hostis nuspiam se aspectabilem dederat, regredi in Hungariam cœpit; cum Poloni, audito Suborium intra regni viscera grassari, acceleratis nocte dieque itineribus ex improviso adsunt, hostemque ad Bardoviam nacti, pertinax, & acre prælium conferunt, in quo tametsi Suborius primum victoriam prope teneret, ad extremum tamen, quod militem prædæ magis, quam pugnæ, gloriæque avidum sub signis habuit, in apertam fugam conjectus est. Fugæ caussam ipsi Polonicarum rerum scriptores haud obscure in Bohemos, Moravos, ac Austrios, ex quibus fere exercitus Wayvodæ constatus erat, rejiciunt: neque enim Hungari, ob fœdus cum Polonis sanctum aut pretio, aut precibus Sigismundi ad id bellum prolici poterant. (24)

1411 Venetorum Legatis Polonos ad bellum sollicitantibus,

Wladislaus, postquam, quod Sigismundus Cruciferorum gratia in Poloniam tentarat, ex nuntiis intellexisset, neque obsidio Marienburgensis urbis, ut optarat, ex sententia caderet, pactis cum ordinis Magistro induciis domum extemplo revolans, partem exercitus ad Hungariæ limites stativa agere imperavit. Ea molitio Sigismundo multiplicem curam peperit, veritum, ne, si pax inter Polonos & Cruciferos penitus, ut spes erat, conficeretur, tota belli moles in se unum incumberet. Neque nihil ad augendum metum Veneti contulere, quorum Legatos ad Wladislaum profectos non ignorabat, afferreque conditiones ejus modi, quæ Polonos ad inferendum sibi bellum facile persuadere possent. Nam & quingentos equites, & stipendia miles Ducem Reipublicæ daturum polliciti sunt, si arma in Sigismundum converteret. Abnuit tamen Wladislaus, partim quod Hungariæ Proceres id de se non fusse commentos palam affirmaret, partim quod Venetos fœderum pactiones non tam amicitiæ, quam lucri caussa quærere, videret, quippe qui magnopere timerent, ne, cum primum Sigismundus ex parte Polonorum metu solutus esset, ad recuperandam Dalmatiam animum, viresque omnes adjiceret. (25)

Sigismundus Wladislaum legatione placare studet.

Hæc postquam Sigismundus certis nuntiis comperit, spes non levis oborta est, posse Wladislaum a Venetis sensim abstractum ad suas partes pelliei, si per legatos ineundi fœderis periculum caperet. Re cum Wladislao communicata, placuit, ut Proceres ex utraque parte conventum in Scepusio haberent, qui de fœderum conditionibus agant, complanentque ea, quæ amicitiam hactenus intercepissent. Hungari Igloviam, finitimum Poloniæ oppidum verno jejunii tempore advenerant, ubi cum paullum post, quos Wladislaus eam quoque ob rem isthuc misit, adfuissent, habitis feria tertia ante Dominicam Palmarum consultationibus, decretum est, ut utrinque duodecim ex primoribus viri legerentur, penes quos, si amica compositione lis terminari non posset, potestas de utroque rege,

(22) Cap. XIX.
(23) Hist. Polon. Lib. XI.
(24) Idem ibidem.
(25) Idem ibidem.

rege, & controversia secundum juris formam pronunciandi in solidum esset. Tum de induciis quoque actum, neque sine altercatione: quod temporis rationum non nullis contrahi, aliis prorogari placeret: ad extremum tertio calendas Apriles ita convenit: ut Proceres Hungariae stipulata manu pollicerentur, Sigismundum pacem bona fide ad festum Nativitatis Domini servaturum, si Wladislaus vicissim ordinem Cruciferorum iisdem foederibus impune frui sineret. Visa res est Poloniae Optimatibus major, quam ut suo arbitratu constitui posset. Itaque missis ad regem nuntiis, quid, & quem in modum rem transigi vellet, mandata exspectabant. Wladislaus collaudato suorum studio, fideque nihil ex pactis, praeter induciarum tempus, quod ad festum assumtae in Coelos Deiparae Virginis prorogari jubebat, immutandum censuit, addique pactis Alexandrum fratrem, & Lithuanos diserte voluit, ne quid isthinc causae ad novas turbas malo dolo olim derivari posset. Itaque rursum cum Hungariae Proceribus sexto nonas Maji conveniunt, & depromtis, quae ab rege acceperant mandatis, quid illis videretur percontati, hunc in modum communicata sententia decernere utrique visum est: inducarum tempus a Polono praestitutum bona utrinque fide servaretur: Cruciferos iisdem pactis complecti, Hungaro integrum sit, rex uterque, Sigismundus Kesmarkinum, Szandecznum Wladislaus in annum futurum coeat, quo jurgiorum causae ad vivum facilius resecentur. His constitutis soluto utrinque conventu discessum est. (26)

Anno Christi 1411

Vix exterus, quod a Polonis imminebat, periculum sopitum fuit, cum aliud in Dalmatia exortum est. Veneti empta a Ladislao Jadra, ut dominationem non solum adversus vim tuerentur, sed latius propagarent etiam, Sandaglum Bosnae Wayvodam, & Herczegovinae Dynastam facile illo adduxerant, ut Ostoviczam cum finitimo agro quoque aureorum nummum millibus venderet: quo exemplo pleraeque Graecae urbes in Venetorum clientelam concessere. Ostoya quoque obsequium aperte detrectans Turcorum societatem ambiebat, a quo proposito cum illum Hervoya avocare niteretur, ipse clam inito cum barbaris foedere, elusoque Sigismundo ad tyrannidem deinceps grassari coepit. (27)

Veneti emendis Dalmatiae urbibus incumbunt.

Haec tam aperte fiebant, ut regem latere omnino non possent, neque dubium est, injuriam bello sine mora vindicaturum fuisse, si aut certum foedus cum Polonis iisset, aut ab Austria metus quoque non objiceretur. Ernestum enim, qui pro Alberto impubere provinciam administrabat, anno abhinc clam cum Polono egisse, ut Sigismundum armis appeteret, pro comperto habebat. Itaque ad conciliandos Austrios, ne, dum Venetis bellum inferret, quidquam motae silis conscerent, Oratores ad Ernestum miserat, qui, si pax, & armorum societas justis pactionibus confieri posset, Elisabetham regis filiam, nondum trimulam, Alberto Austriae haeredi desponderent. Spes amplissimi matrimonii, emolumentaque facile Ernestum a priore sententia reflexerant, ut haud gravate aures Legatis daret, pollicitus se cum Alberto in Hungariam venturum, facturumque, ut regis desiderio mos undequaque geratur. Neque multo post in comitatu Friderici Norimbergensis Burggravii, tum Magdeburgensis Comitis, quibus se Christophorus a Lichtenstein, & Rupertus de Valdsee honoris causa adjunxerant, Albertum, qui decimum, ac quartum aetatis annum nondum egressus erat, Budam quarto calendas Octobres adduxit. Accepti sunt, in primis Albertus egregiae indolis adolescens, futurusque regis gener, a Sigismundo, & regni Ordinibus magna laetitiae, & honoris significatione, paucisque ab adventu exactis diebus sponsio data utrinque fide in hanc conditionem celebrata est, ut Elisabetha, cum primum matura viro fuerit, Alberto in manus conveniat: sin moram pater, materve nulla de causa interponeret, rex quadraginta florenorum millia Duci pendat. (28) Ita foedus cum Austriis novo amicitiae vinculo firmatum est.

Rex Albertum Austriac. generum sibi adlegit.

Ab-

(26) Ex MS. Diplomatario Poloniae, apud Cl. SOMMERSBERGIO Tomo II.

(27) LUCIUS Lib. V. cap. V.

(28) WINDECKIUS cap. XXIII. & LXXXIX. Videtur auctor hoc anno jam in aula Sigismundi fuisse.

Annus Christi 1412

Tum in Polonum profectus habito cum Wladislao conventu fœdus init.

Abhinc, quoniam annus jam in exitu erat, ad futurum in Scepusio conventum curas traducere placuit, ut & fœderis rationes jam multo ante in numerato essent, &, si pax, ut sperabatur, Hungariæ utilis, ac tuta coalesceret, totis viribus bellum in Venetos transferretur. Præmiserat Sigismundus in Polonum, qui viam complanarent, Brandam tituli sancti Clementis Cardinalem presbyterum, & Siborium Transilvaniæ Wayvodam, virum eloquentia non minus, quam manu promtum. Data his mandata, ut captata regis, ac Procerum benevolentia, superiorum annorum injurias attenuarent, necessitate, non odio factum, si quid adversus Wladislaum factum esset, contenderent: venturum propediem Sigismundum, & coram de rebus, quæ controversæ essent, prolixe tractaturum. Simul scriptis ad Annam Wladislao nuptam, & Barbaræ conjugis sororem litteris, orabat, ut virum femineis artibus emolliret, faceretque, ne se in conficiendo fœdere duriorem præberet: alioquin damna, quæ secundum pacis conditiones in Hungariam olim manatura essent, magis ad sororem, quam regnum attinere. Hanc eidem venturam esse, videret igitur, ne venisse pœniteat. Egere Legati, quod mandatum erat, strenue, & molliora tempora aucupati, regnum non invitum in suas partes pellexere. Quibus cognitis Sigismundus nihil morandum ratus, cum Barbara regina, & frequentissima Procerum corona in Scepusium contendens, Kesmarkini ante calendas Martias adfuit. Wladislaus Sandeczum jam prior advenerat, quem rex missa ad eum conjuge cum præcipuis Optimatum honoris caussa salutari imperavit, obtestatusque, ut, quemadmodum anno priore conventum erat, lecti ex utraque gente Proceres sanciendis fœderibus extra moram initium facerent. Qui, dum accepta a regibus tractandæ pacis potestate, in utramque partem vehementiores rem magis protelarent, quam ad finem adducerent, Sigismundus ad Wladislaum clam omnibus Sandeczum profectus, facile de fœderis conditionibus transegit. Longinus eo maxime artificio Polonum ab Hungaro ad ineundam pacem adductum memorat, quod hic Cruciferorum caussa nihil se deinceps moturum polliceretur. Fortasse spem emendi Scepusii præcipuam hic partem habuisse vero est similius, quod Poloni scriptores fere silentio, ne scio quam ob caussam, præterire solent. Utrumlibet fuerit, fœdus impedientibus Poloniæ Proceribus in hæc pacta idibus Martii vulgatum est. (29)

Fœderis Tabulæ

„ Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex, semper Augustus, ac Hun-
„ gariæ, Dalmatiæ, Croaciæ, Rasciæ, Serviæ, Galatiæ, Lodomeriæ, Cumaniæ,
„ Bulgariæque Rex. Ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum,
„ inter bonos sollicitudines, curasque multiplices, quæ ministerio Regiæ digrunta-
„ tis incumbunt, de pacifico, & salubri statu regnorum nostrorum, solerte cogi-
„ tare nos convenit, ut regnis ipsis, ac subditis nostris vigeat tranquilla beatitu-
„ do quietis, & solidæ pacis gratia nutriatur. Summopere igitur est occurren-
„ dum, ut non crescant jurgia, sed juxta magistram bonorum omnium charitatem,
„ quæ nihil sapit extraneum, nihil asperum, nihil confusum, imo æquitate nu-
„ trit concordiam, dissociatos conjungit, pacem, & unitatem consolidat. Cu-
„ pientes itaque omnium displicentiarum, odiorum, injuriarum, damnorum, &
„ guerrarum, materias, & fomites, inter nos ab una, & Serenissimum, Prælatos,
„ tos, Principes, Dominos Wladislaum Regem Poloniæ, & Alexandrum alias
„ Withawdum, Ducem magnum Lathuaniæ, fratrem ejusdem Regis Wladislai,
„ partibus ab altera, ac regna, & subditos cujuslibet nostrum, quomodo hacte-
„ nus exortas, & attentatas, tollere, & suffocare, ac ad statum debitum mutuæ
„ charitatis, & fraternitatis, unione laudabili deducere, ad hujusmodi connexio-
„ nis, pacis, fraternitatis, & concordiæ, inconcussa duraturam devenimus unio-
„ nem. Primo nempe ex certa scientia nostra, & in virtute fidei Catholicæ
„ perfecte, & puro corde, ac verbo regio, accedente ad hoc etiam Prælato-
„ rum, & Baronum, Procerumque regni nostri Hungariæ consensu, pariter &
„ assensu assumimus, & pollicemur, quod ab hoc die & hora in antea, puram,
„ veram, & sinceram fraternitatem, eisdem Wladislao Regi, & Alexandro Du-
„ ci,

(29) DLUGOSSUS Hist. Polon. Lib. XI.

Annus Christi 1412

ci, pro quo præfatus Wladislaus Poloniæ Rex nobis fecit cautionem, quod idem Dux Alexander vice versa nobis eandem fraternitatem jugiter observabit, & per suas Authenticas, & privilegiales litteras firmabit, exhibebimus, & servabimus. Ipsosque contra omnem hominem viventem, nos hostiliter invadere molientem, totis nostris viribus adjuvabimus. Et quod auxilium vel consilium nunquam dabimus, nec consentiemus contra ipsorum statum, seu personas, neque in periculum, seu necem personarum ipsorum, per nos, vel per alium, seu alios aliquatenus machinabimur, aut machinari volentibus consentiemus, sed potius conservationem sanitatis, & vitæ ipsorum utriusque, honores quoque eorum pro posse procurabimus. Et quod de Regno, Ducatu, Terris, Dominus, Vasallis, & subditis ipsorum nullo unquam tempore quicquam attentabimus. Damnum quoque & periculum status, Personarum, & honoris ipsorum avertemus. Proditoribus, & rebellibus ipsorum non consentiemus, immo fraternitates eorum in talibus, ubi sciverimus, præmuniemus, eos iniumando defendemus, ac ipsis assistemus, ac alia omnia & singula erga eorum fraternitates generaliter, & specialiter attendemus, & efficaciter observabimus, quæ veræ, & sinceræ fraternitatis vinculum exigit, & quæ in præsentibus litteris nostris per distinctiones, & continentias earundem, in suis punctis, Clausulis, & Articulis, sententiis quoque & Capitulis universis comprehenduntur, promittimus inviolabiliter, & effectualiter attendere, & tenere, prout præfati Domini, Wladislaus Rex, Withawdus Dux, fratres nostri carissimi, vicaria & reciproca vicissitudine, hæc nobis tenenda, & observanda repromiserunt. Verum quia super terris Russiæ, Podoliæ, Moldaviæ, inter nos, & ipsum præfatum Dominum Wladislaum Regem Poloniæ, & occasione earundem inter cætera, dissensionis materia vertebatur. In facto itaque terræ Russiæ, inter nos & præfatum Dominum Wladislaum Regem, concordatum exstitit hoc modo, ut vita nobis, & sibi insimul comite, usque ad diem obitus unius ex nobis, quem videlicet prius nutu Divino ex nobis eximi contingat ab humanis, inter nos & ipsum Dominum Wladislaum Regem, nec non præfatum Withawdum Ducem, pacis & treugarum fœdera habeantur, & inconcusse observentur modo infra scripto. Quibus treugis durantibus præfatus Dominus Wladislaus Rex Poloniæ, terram ipsam Russiæ pacifice teneat, prout tenet sine impedimento nostro, vel Regni, aut subditorum nostrorum aliquali. In terra vero Podoliæ, promittimus eundem Dominum Wladislaum Regem per nosmet ipsos non impedire, nec per nostros subditos facere impedire, neque alicui ad illam impediendam consilium, favorem, vel auxilium præstare, treugis durantibus infra scriptis. Item in casu, quo nos Regem Sigismundum, memorato Domino Wladislao Rege fratre nostro, vocatione divina, præmori contingat, ex tunc post obitum nostrum prædictæ treugæ infra quinque annos immediate sequentes, debent perdurare. Et e converso, si prædictum Dominum Wladislaum Regem prius nobis decedere accidat, fœdera hujusmodi treugarum, similiter intra quinquennium inter Poloniæ & Hungariæ regna, post hujus decessum, debent firmiter observari, & infra prædictos quinque annos treugarum videatur de justitia & jure partium, secundum seriem & continentiam litterarum, alias per Prælatos, & Barones utriusque regni, Hungariæ videlicet & Poloniæ, primum in Iglo, alio nomine in nova villa, & altera vice in antiqua villa confectarum, quarum contenta habentes hic sufficienter pro insertis, quo ad hæc in suo robore volumus permanere. Præterea de terra Moldaviæ, ut sequitur, inter nos, & eundem Dominum Regem Poloniæ, fratrem nostrum charissimum est mutuo concordatum. Ex quo cum Magnificus Alexander, pro tunc Wayvoda Moldavus, ad beneplacita & mandata ipsius Domini Wladislai fratris nostri se dignoscitur obligasse, quam obligationem nos Sigismundus Rex prælibatus, ob amorem puræ & sinceræ fraternitatis, præfati Domini Wladislai Regis, nolentes turbare, vel impedire, ideo dispositum extitit, & firmatum, ut quotiescunque Turcæ & infideles, terras regni Hungariæ, cum va-

Præcipue illius conditiones.

G g „ lido

Annus Christi 1412

lido exercitu hostiliter invaderent, ac easdem depopulari, & devastare molirentur, aut quandocunque, Nos Sigismundus præfatus Rex contra præfatos Turcas & infideles, mille lanceas vel plures armaremus, & contra ipsos in expeditionem extra fines regni nostri Hungariæ destinaremus, ex tunc ad nostram intimationem, & significationem, idem Rex Poloniæ frater noster charissimus, mandare debet supra dicto Moldavo, ut ipse propria in persona, cum sua tota potentia, nobis & nostro exercitui succurrat, & obsequia præstet fideliter, & constanter, salvo, si Moldavus ipse infirmitate notabili, & gravi tunc esset præventus. Quo casu nihilominus potentiam suam, cum Rectore exercitus sui idoneo transmittere debebit, vel si saltem in servitio memorati Domini Wladislai Regis, ut prælibatur, in succursum contra Turcas, vel infideles personaliter venire, vel infirmitate præveniente, mittere suam potentiam recusaret, ex tunc nos ambo, videlicet Sigismundus, & Wladislaus Reges, simul debebimus terram Moldaviæ, non obstante prædicta obligatione, potenter invadere, & ipsum Wayvodam Moldavum ab eadem removere, & ditioni nostræ subjugare, obtentamque inter nos Reges dividere, & per limites seu terminos infra scriptos distinguere, & celebrari tali modo: quod sylvæ majores, Bukowina dictæ incipiendo a Montibus seu Alpibus regni Hungariæ, inter eandem terram Moldaviæ, & terram Sepenyecensem situatæ, penes Sereth, protendentes se ad aliam sylvam minorem Bukowina dictam, usque ad fluvium Pruth, debent per medium dividi, seu dimidiari. Et quod Forum Jasfinasater, in sinistra parte situm, maneat pro eodem Domino Wladislao Poloniæ Rege. Forum vero, seu villa Berleth, in dextra parte sita, maneat nobis Sigismundo Regi, & regno nostro Hungariæ. Transcenso autem fluvio Pruth, residuæ sylvæ, directe procedendo per campos desertos usque ad Mare, pari modo cum eisdem campis desertis, per medium dividantur. Itaque Fetemar, alias Belegrod, cum æquali medietate, pro supra scripto Domino Wladislao Rege Poloniæ, & Kilia cum alia æquali medietate, pro nobis Sigismundo rege, & regno Hungariæ, maneant taliter dimidiatæ, & divisæ. Et pars illa, quæ ex divisione cedet Domino Wladislao Regi prædicto, remaneat in manibus ejusdem, sub forma pacis & treugarum super terram Russiæ superius expressarum. Ubi autem præfatus Moldavus constanter & fideliter mandata per præfatum Dominum Wladislaum Regem sibi injungenda in nostrum subsidium & succursum adimplebit, tunc prædicta totalis terra Moldaviæ remanebit apud eundem, etiam post obitum alterius nostrum Regum prædictorum, ad quinquennium sub fœdere Treugarum prædictarum, salvo jure partis utriusque. Item si aliquis vel aliqui ex subditis cujuscunque nostrum, alterius regnorum nostrorum, aut terrarum, aliquas vastationes, prædas, rapinas, vel incendia, vel quæcunque maleficiorum genera, in regnis, & terris alterius commiserit, vel commiserint, quod per hoc Treugæ præmissæ non infringantur, sed quod iidem malefactores ad satisfactionem judicialiter impellantur, ita quod damna per ipsos facta, de bonis eorum resarciantur: & si judicio parere contempserent, uterque nostrorum ipsos tanquam maleficos persequi, & impugnare tenebitur, & debebit. Et, ut prælibatur, nullo dissensionis, displicentiæ, controversiæ, & maleficii genere superveniente, & accedente, interrumpi possit, & debeat quomodolibet vel dissolvi fœdus treugarum, vel inscriptionum prædictarum, sed ut in talibus delicta non remaneant impunita, disposuimus, ut undecunque contingat in talibus delinqui, aut excessum fieri, recurratur, & intimetur, per injuriam, & damnum patientem, ad alterum oppidum, utpote de incolis regni Hungariæ ad oppidum Sandecz, & de incolis regni Poloniæ ad oppidum Lewtcze; quæ quidem oppida teneantur Judicibus hinc inde ex utraque parte deputatis, & deputandis, casum, delictum, & excessum intimare, & ipsos invocare, ut in termino competenti, judices quatuor numero, videlicet Comites Comitatuum de Sarus, Scepusiensis, Vyvariensis, & Semphiniensis, pro tunc constituti, & per nos deputati, ad instantiam, & querelam incolæ de Polonia, in antiqua villa, ex adverso totidem Judices, per præfatum Wladislaum regem

Moldavia inter utramque regem divisa.

con

Annus Christi 1412

„ constituto, & in litteris suis nominatim expressi, utpote Sandecensis, & Voy„ nicensis Castellani, Judex, & Succamerarus Cracoviensis, etiam pro tempore
„ constituti, in villa Schramovicz, aut in eisdem locis, minor pars Judicum eo„ rundem, prout res qualitas depoposcerit, conveniant, ac judicium, & justitiam
„ faciant simpliciter de plano, nec non subterfugiis cessantibus, in delinquentes
„ digne animadvertant. Et in corroborationem, fidem, & testimonium cautelæ
„ uberioris, sigilla Prælatorum, Baronum, & Procerum regni nostri, quorum no„ mina singulariter inferius describuntur, penes sigillum nostrum regale, præsen„ tibus sunt appressa. Nos quoque miseratione Divina Joannes Archi-Episcopus
„ Strigoniensis, Comes perpetuus in Strigoniensi, & Colocensi (20) Provinciis
„ Primas, & Apostolicæ Sedis Legatus, ac Aulæ Romanorum Regis Cancel„ lariæ: Stiborius Agriensis, Stephanus Transilvaniensis, Joannes Jaurinensis, Phi„ lippus Vaciensis, & Ladislaus Tinniensis Episcopi, nec non Hermanus Co„ mes Ciliæ, Nicolaus de Gara, Palatinus regni Hungariæ, Stiborius de Stibo„ ricze Vayvoda Transilvanus, Comes Simon de Rozgon Judex Curiæ regiæ,
„ Philippus de Ozora Comes Themesiensis, Joannes Bebek de Pelseucz Ta„ vernicorum, Joannes filius Joannis Jannoris, Joannes filius Gregorii Pincerna„ rum, Petrus Csáck Agazonum Magistri, Nicolaus de Csáck pridem Wayvo„ da Transilvanus, Petrus de Peren pridem Comes Siculorum, Zuborius Thesau„ rarius, Paulus Bissenus Banus, Nicolaus Treutel de Newna, Philippus de Go„ roch, Nicolaus Hederwar Janitore, Georgius de Ilswa filius Palatini, Pincer„ narum, de Szegara Agazonum regnalium Magistri, David Lacak de Zanko„ wo, Petrus filius Henrici Comes Scepusiensis, Joannes de Homonna, Ma„ thæus de Palocz Castellanus de Gorgiwro Comes Vivariensis, Stephanus Com„ polich, Joannes Rozgon Comes de Garas, Ladislaus Frank Vayvoda, Petrus
„ Bebek filius Detrici Palatini, Georgius Comes de Bozin, Bartholomæus Fau„ the, Gallus de Zéech, alias Comes Zolensis, Benedictus Zudar, Nicolaus fi„ lius Beke de Velike, Petrus filius Perze, Michael filius Pauli de Kerekeghaz,
„ Joannes Jack, Wladislaus Theteus, Dionysius filius Bani de Lozoncz, Nico„ laus, Sigismundus, & Joannes de Chemek, Joannes filius Jacobi de Nagy
„ Mihal, Michael Zéech de Kuzal, Stephanus filius Pauli de Somus, Emericus
„ filius Joannis de Derenchen, Joannes filius Ribalf de Tharku, & Ladislaus fi„ lius Mathiæ, bona fide, & Christiana, nostris, & fratrum, regnicolarumque
„ universorum vice, & nominibus assumimus, pollicemur, & fide jubemus, quod
„ omnia, & singula superius scripta, & expressa præfatus Dominus noster Sigi„ smundus Rex attendet, & servabit, nosque attendemus & servabimus, suam
„ quoque serenitatem toto conamine inconcusse observanda pro posse inducemus,
„ dolo, & fraude in præmissis omnibus procul motis. Datum Liblio, anno Do„ mini MCCCCXII. quintodecimo die Martii, regnorum nostrorum Hungariæ
„ XXV. Romanorum vero secundo.

Proceres Hungariæ suo nomine de fœderibus cavent.

Promulgata pace ambo regum Proceribus stipati publico ritu se salutavere, & in redintegratæ amicitiæ tesseram mutuo amplexu recreati, Cassoviam, summam Poloniæ in Hungaria urbem, frequentissimo comitatu contendunt. Hic transacta aliquot dierum mora, facile Wladislaus se persuaderi passus est, ut ad mediterranea Hungariæ invisens, Budam cum Rege concederet. Itaque Anna cum præcipuis regni Optimatibus, ut curam rei publicæ pro absente marito gereret, in Poloniam remeavit. Quam dum Sigismundus ad aliquot stadia honoris causa comitatur, equo præcipitem tam graviter humi allisum Longinus memorat, ut Proceres ejus salutem conclamatam rati, de Wladislao creando Hungariæ rege consilia inirent. Qua id fide referat, nescio: ceterum mihi, ob sponsionem, haut ita dudum inter Elisabetham, & Albertum non invitis regni Ordinibus celebratam, prorsus improbabiliter hæc narrari videntur.

Reges confecto fœdere Cassoviam petunt,

(20) Qua ratione, & cur hæc Provincia Archi-Episcopo accesserit, nuspiam reperio. Et nomina Procerum plerumque liquet erronea esse, ita a Polono corrupta sunt.

Annus Christi 1411

Tum Varadinum, ac Budam denique proficiscuntur

Sigismundo valetudini restituto, profectionem auspicari placuit. Prima castra Tokajum, tenuem cetera vicum, sed a mero tota late Europa celebrem, ventum est. Inde trajecto Tibisco Debrecinum oppidum tenuere. Hic Sigismundus Varadinum eques præierat, cum Wladislaus interim pietatis causa, qua in Divi Ladislai exuvias ferebatur, iter pedes conficeret. Exactis Paschæ feriis nuntius ex Divi Augustini familia, quæ ab eremo nomen habet, Venetiis adfuit, qui, ut Legatis isthinc bona regis venia ad tractandam pacem venire integrum esset, oravit. Dato, ut Budæ præstolentur, responso, magnis itineribus Agram, ac denique Budam principem regni urbem salvi, ac incolumes pervenere (21).

Confluentibus ex omni fere Europa Principibus ludos equestres instituunt.

Hic jam multo ante tempore, fama potentissimorum regum, finitimi Principes exciti, accepta publica fide, Wladislao, ac Sigismundo honoris causa præstolabantur. Aderant præter regem Bosniæ, Albertum & Ernestum Austriæ Duces, bini Bavariæ Principes, Duces variarum gentium novemdecim, Optimatum dignitate conspicui octo supra quinquaginta, equestris ordinis ex Gallia, Italia, Bohemia, Bulgaria, Græcia, & Albania præter Polonos mille & quadringenti, quos rumor equestrium certaminum, & consequendæ gloriæ cupiditas conciverat. Neque Sigismundus jussio prius, quam conscripserat, adesse exercitu quidquam, quod ad dignitatis suæ rationem, & cohonestandos advenas facere videbatur, desiderari passus est; fuitque aula regis Hungariæ, Principum totius fere Europæ ea tempestate domicilium. (22)

Legatos Chami Tartarorum benigne,

Aperta ad certamen palæstra dies aliquot hastiludiis extracti, ex qua Ernestum Austriacum cum aliqua Sigismundi invidia, qui in eo ludi genere ceteros fere antecellebat, palmam tulisse memoriæ est proditum. Inter umbratiles has pugnas haud modicum ad celebritatem Zeledini Tartarorum Chami Oratores, qui commodum ad temporis Budam venerant, momentum attulere. Adducti in aulam utrumque regem muneribus excoluerunt, & invicem donis ornati, cum magna honoris significatione dimissi, Europæi splendoris memoriam Asiæ intulere (23).

Venetorum contra illiberaliter excipit

Non idem honos Francisco Moceno, & Antonio Lauredano, Venetorum Legatis, habitus. Hi a Michaele Steno Venetarum Duce missi, ut de Dalmatiæ, quam ab Ladislao nuper emerant, possessione transigerent, in singulos annos equum purpura contectum tributi nomine regibus Hungariæ polliciti sunt, si regni Ordines ratam Ladislai venditionem haberent. Sigismundus Legatorum postulata suam contumeliam interpretans, tametsi Wladislaus illorum partes magnopere ageret, re infecta jubet facessere, comminatus, se, quod nequissime negatum iret, armis prius recuperaturum, quam hostem adesse sentirent. (24). Itaque cum res ad apertum bellum spectaret, hospites impetrata venia, partim domum, partim sub regis signa, sponte militiam professi, concessere. Wladislaus salutato ultimum rege, acceptaque a Sigismundo, quam Ludovicus olim ex Polonia in Hungariam transtulerat, corona cum honorificentissimo commeatu dimissus, aliquot Proceribus, quorum illi fides probe cognita, in Hungaria, ut residerent, imperavit, quo facilius de Scepusio (nam eam præcipue ob causam Budam venerat) cum Sigismundo transigeretur.

Decreto in hoc bello Scepusiensem provinciam Polonis oppignerat

Is post Wladislai discessum mentem ab otio ad curas traducens, bellum ingenti studio adversus Venetos decrevit. Fecerat eum in finem jam ante magnos apparatus, & Ludovici consilium, qui, ut Dalmatiam recuperaret, bellum contra omnium expectationem in Italia auspicatus est, sectari volens, partem exercitus in forum Julii irruptionem facere imperavit. Præerat illis Fridericus Comes Ortenburgicus, & Pippus de Scolarhus, Florentinus genere, arte sutor, (25) sed qui ob res bello præclare gestas, ad summos militiæ honores elucitatus est, homo

(21) Idem ibidem.
(22) WINDECKIUS cap. XXVII.
(23) DLUGOSS Hist. Polon. Lib. XI.
(24) Idem ibidem.
(25) WINDECKIUS cap. XXVII. Æneas autem SYLVIUS Lib. III. Comment. in dicta & facta Alfonsi ait eum fuisse ex Strozzarum genere. In diplomatibus passim dicitur Philippus de Ozora, fuitque Comes Temesiensis, quæ dignitas post Banos fere prima fuit.

homo majoris fortunæ, quam fidei, ut postmodum dicendi locus erit. Hunc rex cum quadraginta millibus pedetentim consecutus Zagrabiam venit, sive suis, si laborarent, præsto esse, sive Venetos in errorem inducere voluerit, ut, dum belli molem hac parte sibi incubituram persuasum haberent, distractis bifariam viribus hostem minus ad defensionem comparatum nancisceretur. Zagrabiæ propterea commorantem Proceres, quos Wladislaus reliquerat, interpellant, orantque, ut quid de Scepusio constituisset, quoniam longius progredi in animo habeat, prius promoveret, quam signum profectioni daretur. Peropportuna regi accidit interpellatio, quod nervo ad gerendum bellum necessario propemodum destitutus esset. Quare accitis in consilium primis Hungariæ Optimatibus, res ita transacta est, ut Sigismundus Provinciam Scepusiensem Wladislao in pignoris loco se daturum polliceretur, si is triginta, ac septem millia sexagenarum, ut tum Bohemis in usu erant, latorum grossorum mutuum daret. Juvat quoniam abhinc pulcherrima regni portio a nobis avulsa est, conventionis tabulas, quæ rem omnem, quemadmodum gesta est, singillatim continent, & fere, quod sciam, a Polonis scriptoribus omittuntur, in lucem proferre. (26).

Anno Christi 1412.

„ Nos Sigismundus Dei gratia Romanorum, Hungariæ &c. rex semper
„ Augustus, recognoscimus tenore præsentium significantes, quibus expedit, univer-
„ sis, ratione veri mutui nos a serenissimo Principe, Domino Wladislao, rege
„ Poloniæ, omnibusque Prælatis, & Baronibus, triginta septem millia sexagena-
„ rum latorum grossorum (27) novæ monetæ, numeri Bohemicalis, boni, ac
„ justi

Pignoris tabulæ & summa accepta mutui.

(26) Excerpsi id ex Codice MS. Juris Civilis Biblioth. Augustæ Vindobon. Num. CLXXXVII. fol. 71. Codex hic autem descriptus est: *Per manus Stephani de Dussa Præpositi, ac Vicarii Ecclesiæ Agriensis anno Domini MDXLIV.* ut ibidem adnotatum est.

(27) Diu sed frustra in has sexagenas inquisiveram. Itaque per litteras consului A. R. P. GELASIUM DOBNER a sancta Catharina ex ordine Clericorum Regul. Matris Dei Piarum Scholarum, Collegii Pragensis RECTOREM ab editis in Hageciarum annales historico criticis animadversionibus magnam inter eruditos merito sui laudem consecutum. Is ad ea, quæ ex illo quæsieram, doctissima prorsus dissertatione respondit. Non possum mihi temperare, quin eruditissimi viri opus cum popularibus meis communicem, partim ne doctissimo Auctori, quam nostris in rebus propterea commeritus est, laudem decerpam, partim ut Diplomatis clausulæ lux ponatur. Sic autem habet:

DISQUISITIO HISTORICA
DE SEXAGENA GROSSORUM PRAGENSIUM.

Sexagena a sexaginta partibus, quæ eam constituere, nomen invenit. In re monetaria ejus usus non erat, nisi in nummis argenteis. Sed cum quodammodo a marca profluat, nec ejus pondus, & valor recte intelligi possit, nisi marcæ ratio expendatur, de marca prius agendum.

Marca in diplomatibus nostris quadruplex notata reperitur: *Legalis*, *Vulgaris*, *Regalis* & *Gravis*.

I. Marca *Legalis*, quæ etiam *vetus*, & ante Wenceslaum nonnunquam *usualis*, posterius *levis* vocatur, de qua jam egi P. II Annal. Hagec. pag. 193. 433. 434. mentionem facit Carolus IV. in Diplomate suo de reformatione monetæ dato anno 1378, quod integrum produxit Balbinus Dec. I. Lib. VIII. volum. I. pag. 79, in quo hæc leguntur: *Et ex hujusmodi argento grossi Pragenses cudantur, ea bonitate, grano, sive cunco, & pondere, ut videlicet 70 grossi unam marcham argenti legalem observent, & habeant in argenti pondere, & etiam bonitate.* Per eam itaque marcam intelligebatur pondus vetus probatissimi argenti, nulla prorsus admixtione cupri vitiati, quod olim 48 solidis, item 800 denariis, denique 800 nummis veteribus appendebatur. Persistit vero etiam postea hæc computandi ratio, ut facta a Wenceslao II. monetæ reformatione, tamen nonnunquam ad eam veterem normam computus suos retinerint, atque grossos ipsos Pragenses pro illis veteribus solidis æstimantes marcam 48 grossorum Pragensium deputaverint. Is mos computandi posterioribus etiam sæculis apud Polonos perstitit, qui, quanquam marca ob majorem admixtionem cupri per tempora, ac reges nostros cresceret, tamen passim marcam 48 grossorum Pragensium numero appenderent. De eo videre licet diploma Ducis Münsterbergensis de anno 1351 apud Sommersberg Tom. I. pag. 852.

pro

Anno Christi 1422.

" justi ponderis habuisse, & cum effectu recepisse. Quem quidem Dominum
" Wladislaum regem Poloniæ, successoresque, Prælatos, & Barones ipsius in
" restitutione earundem pecuniarum, assecurare eum cupientes, &c, prout ju-
" stum est, in solutione ipsum reddere volentes certiorem, sibi, & ejus succes-
" soribus, Prælatis, & Baronibus terras videlicet castrum nostrum *Lublo*, alias
" *Lublaw* cum oppido, & oppidum *Podolincz* cum fortalitio, ac villis ad eas per-
" tinentibus, nec non oppidis, & civitatibus infra scriptis, in terra nostra Sce-
" pusiensi, dioecesis Strigoniensis situatis, videlicet, *Gnissow*, *Bela*, *Leubiz*,
" *Maynhardsdorf*, *Teutschendorf*, *Michelsdorf*, *Valendorf*, *Newdorf*, *Ryssdorf*, *Til-
" ka*, *Kirchdorf*, *Mattheudorf*, *Jergenberg*, *Durancz* nuncupatas cum earum omni-
bus

pro sex millibus marcarum grossorum Pragensium Polonici numeri 48 grossos, pro qualibet marca computatis. Et Jansfu Ducis Of[illegible] swiecinensis de anno 1457 ibid. pag. 208. *pro 90 millibus marcarum latorum grossorum Pragensium numeri Polonicalis 48 grossos in quamlibet marcam computando.* Item seculo XVI. adhuc nonnunquam apud nos ipsos, marcam computatam fuisse ad eam veterem normam in diplomatibus reperio. Sic nominatim litteræ MSS autographæ membranaceæ Joannis de Hradek, & consulum, senatusque civitatis Mun[illegible] ad hujus computus rationem marcam fuari affirmant. Verba vernacula hæc sunt: Hundert Mark [illegible] Münz, alle mee 48 groschen für ein Mark, und selben Pfennig für einen groschen zu rechnen. Perstitit igitur numerus 48 solidorum eius citatorum, quanquam pondus marcæ minime respondeerit.

II. Altera est *marca vulgaris*, in quibusdam diplomatibus, nominatim in litteris MSS. autographis erectionis altaris, SS. Sebastiani, & Hieronymi in Eccl. Divi Mauritii Olomucii de anno 1491. *Communis* appellata. Ea originem debet Wenceslao II. qui primus anno 1300 grossos Pragenses procudit, marcamque *reformavit* advocatis Florentia ret monetariæ peritis. Ea de re Franc. Canonicus Pragensis coævus in Tractatu II. Chronicæ Pragensis MS. Bibl. Metropol. *Et eodem tempore rex misit Florentiam pro viris idoneis, & discretis, qui venientes ad mandatum domini regis novam monetam fabricaverunt. Anno igitur Domini MCCC. mense Julio moneta fuit facta grossorum Pragensium, & denariorum parvorum. Quia prius fuit frequens mutatio monetæ, & pauperibus valde damnosa, & præcipue mercatoribus, non expediebat, quod denarius, qui heri, & nudius tertius fuerat bonus, & dabilis, post breve dierum spatium esse deberet usualis.*

Corda facit læta quem pluribus (sic moneta)
Grossum denarium multi reputant quasi Divinum:
Hunc qui conservant, pluresque simul coacervant,
Et quasi pro sanctis venerantur eos, quos tantus
Grossis de multis spes est permansura salutis.
Hic grossus omnibus, jam jam manet undique firmus,
Quem sic dispersum longe, sed rara revertsum.

Hæctenus Franciscus.

Præter has rationes autem a Francisco relatas maxime fuerit Wenceslao stimulo, ut animum adjiceret ad reformandam monetam, quod ea sua ætate nimis æris admixtione vitiata fuerit. Non autem hujus vitii origo repetenda ab Ottone Brandeburgico, Wenceslai tutore, ut passim nostri cum Stransckio affirmant, sed jam ab ipsius seculi XI. exitu, circa quæ tempora, cum Ducum filii multiplicarentur, alterque alteri præfectura Imperatorum præsidio Ducatum eriperet, accidit, quod turbatis rebus passim accidere solet, ut tum propter tenuem quandoque novorum Ducum fortunam, tum propter tempora bellis perpetuis exagitata, passim moneta excuderetur prope tertia parte æris admixta. Et vero Duces pactionibus etiam non nihil rebus succedentes, cum ea in re non mutuum quæstum compererent, nihil minus, quam de ea reformanda solliciti erant. Hinc Sobislai, Suatopluci, Wladislai, Ducis nostri, quorum plus quam sex centuria in Numophylacio Excellentissimi Episcopi Litomericensis videre est, monetæ tam exili cusæ sunt argento, ut non multum ultra duas tertias argenti contineant, cum contra ii, qui adhuc sub medium seculi XI. a Spitigneo, ac Bracislao procusi sunt, nulla penitus æris admixtione foedati sint, imo puritate ipsa Wenceslai II grossis Pragensibus præstent. Wenceslaus igitur his gravibus permotus causis innovationem monetæ suscepit, ac sexaginta denarios, seu grossos Pragenses uni marcæ adæquavit. Grossi hujusmodi a Wenceslao primum procusi typum his verbis exprimit Stransckius Respubl. Boh. C. 18 §. 3. *Grossus erat drachmalis* (at vero drachmam modernam non nihil pondere excedit) *ex unica parte circulis parallelis tribus insignis, quorum in interiori erat corona regia, in medio litteræ Wences II in externo, Dei gratia rex* Boe-

" bus attinentiis, pertinentiis, censibus, fructibus, redditibus, proventibus, juris-
" dictionibus, temporalibus possessionibus, agris, pratis, lignis, campis, silvis
" nemoribus, mellificiis, piscaturis, piscinis, virgultis Ferthi, lacubus, paludi-
" bus, aquis, & aquarum decursibus, molendinis, & emolumentis, querceтis,
" pinetis, virgultis, Galt, mirinis, aucupationibus, venationibus, exactionibus
" ordinariis, obventionibus, attinentiis, & appertinentiis universis, quibuscun-
" que nominibus nuncupentur, aut vocentur, nihil possessionis aut utilitatis pro
" nobis, aut successoribus nostris in eisdem reservantes obligamus, ac in vadium
" posuimus tenore præsentium ex voluntate Prælatorum, & Baronum nostrorum
" ad hoc specialiter accedente. Ita quod omnibus utilitatibus, & proventibus
hic

Boemiæ. In parte vero postica stabat leo regni insigne, & propterea, quod veteri instituto Pragæ officium monetarii erat, scriptum in orbem erat: Grossi Pragenses vulgo Zorzijh a congelascendo, ut videtur, ob albicantem argenti formam, & puritatem vocabat Hallensis Strauskius. Grossi hi in diplomatibus nostris passim audiunt *Siccle, latine lati, item magni, & perinde grossi denarii, item magni denarii.*

Quod vero earum 60. marcam vulgarem constituerint, perhibent infinita propre diplomata, paucula ex his annotare licent. Litteræ Cunegundis Abbatissæ ad S. Georgium de anno 1305. apud Hammerschmid in hist. Monast. S. Georgii pag. 40. *Addidit ipsi Goldæ ad hoc 50 marcis denariorum grossorum Pragensium sexagena pro marca computanda.* Litteræ membranaceæ ex archivo Zderasensi super venditione balnei in Zderaz de anno 1324. *Sex marcas sexagena grossi denarios Pragenses pro qualibet marca.* Litteræ Arnesti Arch. Ep. Prag. de anno 1344. apud Balbinum Dec. I. Lib. 6. SS 49. *Sexaginta grossis pro marca qualibet computatis* &c. Porro grossus hic latus, seu magnus subdividebatur in 12 grossos minores, nummos recte eos ex temporum illorum more *obolos* vocat Strauskius l. c. in diplomatibus etiam vocantur grossi parvi, denarii parvi, & creberrime Hallenses. De his ita Carolus IV in diplomate suo de reformatione monetæ supra laudato: *Nec per monetarios præsentem, & futuros perpetuo sic multiplicetur hujusmodi Hallensium monetatio, seu cusio, ut ex multitudine necessariam fit plures Hallensis, quam 12 pro grosso solvi, seu hanc meliorem in Hallensibus quomodolibet æstimari.* Et earundem numum experimunt litteræ membran. Berfonis civis Novæ urbis Pragensis de anno 1392 ex archiv. Sderasensi. *Ex tunc in quolibet censum non solutum crescent, quinque Hallenses, 10 pro grosso computanda.* Imaginem ejusdem Hallensis hic vertus expressit Strauskius cit. l. *Obulus porro erat grossi ejus pars duodecima, similiter leonis insigni, & regis nomine expresso notatur.* Sed falsus est vir optimus, qui ex posteriorum regum signo obulum Wenceslai æstimavit. Wenceslai enim hujus obolus, seu Hallensis non erat nisi uniformis solum leonem sine ulla epigraphe aut regis nomine, præferens, cujus typus videre est in Numophylacio Excellentissimi Episcopi Litomericensis, Chrift. Schlegel Tract. de numis, Anton. Gotharus Tab. IV N 61. exhibet quidem aes incisum ejusdem Wenceslai Hallensem cum nomine Wenceslai, & altera epigraphe. Parvi Pragensi seu vt is Hallensem hunc ex sola descriptione Strauskius hausit, seu certa Wenceslai tertii, aut potius nimirum legibilem Wladislai II Hallensem perperam Wenceslai II. esse judicavit. Huic vero soli marcæ grossorum Pragensium respondisse sexagenam infra dicemus.

III Tertia marca erat *Regalis*, quæ non æquabat, nisi 56 grossos ea non nihil debetur, nisi in stipendia, seu mercedem, seu gratuita, vulgo Gnadengelder. De hac marca rursus cit. Caroli IV diploma de reformatione monetæ apud Balbin. Dec. I L. 8 vol. 1. pag 79. *Idem etiam monetarius secundus pro solutio laboris sui a nobis, & post nos a quolibet rege Bohemiæ pro tempore existente de regalibus perceptis ab urbura regis qualibet septimana unam marcam grossorum, videlicet 56 grossos habebit, quam, dum suum officium legaliter gubernabit.* Et ejusdem Caroli IV diploma apud Glafays in registro registrandorum, seu ejus anecdotis p. 56 *Eidem Joanni* (de se bene merito) *quatuor marcarum regalium redditus computando pro marca qualibet LVI. grossos Pragenses.* Et rursum ibidem diplomate XXXVIII. pag. 69 *Quingentas marcas grossorum Pragensium, 56 grossis pro marca qualibet computatis.*

IV Marca quarta dicebatur gravis, quod ab aeris æstimationem pondus a Wenceslao II. constitutum excederet, quamquam marcam Legalem contineret. Ea originem suam non sumsit sub Joanne rege, ut passim cum Strauskio nostri sentiunt, sed jam sub Henrico Duce Carinthiæ, ac rege Bohemiæ, qui procul dubio majorem quæ-
stum

Anno Christi 1412.

" hue descriptas, sine alicujus usuræ scrupulo idem Dominus Wladislaus rex Polo-
" niæ, suique successores uti frui valeant, & gaudere, cui etiam omnes incolæ, &
" cives civitatum, & villarum prædictarum, tanquam nobis obedire, & de singu-
" lis censibus, proventibus, & obventionibus, interim, quoad ab ipso, vel ab eo-
" rum aliquo redimemus, terras, castra, & oppida, civitates, & villas easdem præ-
" dictus Dominus Wladislaus rex Poloniæ, successoresque, Prælati, & Barones
" ejus possidebunt, & tenebunt, & habebunt tam diu, quousque sibi, aut ejus suc-
" cessoribus, Prælatis, aut Baronibus per nos, aut successores nostros prædicta tri-
" ginta septem millia sexagenarum latorum grossorum Bohemicalis monetæ, boni,
" & justi ponderis, aut valoris earundem in auro, & argento fuerint efficaciter per-
solutæ.

sum ex re monetaria percipiens, admixto cupro ex legali marca grossos procudit 64. Eam in rem testes sunt litteræ membranaceæ Witkonis de Swabeniz in archivo Zderasiensi, quibus eidem monasterio legat centum marcas de anno 1306 XV Kalendas Junii, quo tempore Joannes regnum needum consecutus erat, verba litterarum sunt: *Centum marcas grossorum Pragensium 64 grossis pro marca qualibet computando.* Eum morem marcam legalem ad numerum 64 grossorum Pragensium cudendi postea retinuit Joannes rex, & filius ejus Carolus IV usque ad annum 1378. Quin in rem documenta glomerare supervacaneum arbitror, quandoquidem passim ejusmodi diplomata in Ludewigo, Sommersbergio, Gleseyrio, nostrisque occurrunt, & nobis vel ex uno archivo Zderasiensi facile 20 exempla proferre liceret, in quibus ipse etiam *ferto* passim sedecim grossos numero appenditur. Sic nominatim litteræ membranaceæ Præpositi Zderasiensis, quibus molendinum elocat, de anno 1371: *De qualibet rota per unum fertonem, sedecim grossis pro fertone computando.* Erat autem *ferto*, ein Vierdung, quarta pars marcæ, & non raro tenuis nomine marcæ per ejusmodi *fertones* numerus inibatur, adeo, ut ipse plura diplomata in manibus habeam, quibus 30, 40, &c. *fertones* censentur. Ei rei causam cum primis dedit Carolus IV qui ejusmodi *fertones* solides procudi fecit, æquantes quadrantem marcæ, seu sedecim grossos Pragenses. *Fertones* hi passim postea solidorum nomine increbuere, de his ita litteræ Regis Episcopi Wratislaviensis anno 1356 apud Sommerberg. Tom I. pag. 786. *Emitur, & comparatum pro tribus millibus, & centum marcarum grossorum Pragensium — quatuor scilicet fertones grossorum hujusmodi pro marca qualibet computatis.* Signum horum *fertonum* procusit idem est cum eadem epigraphe, ut in grossis Pragensibus Kochlerus in Münz Belustigung P. II. pag. 233 æri incidi fecit, ejusmodi *fertonem* Carolus IV & mihi quoque annos jam aliquot facile sex fortuna favit, quod plane similem solidum apud quemdam mercato-

rem Pragensem reperierim, quem præter morem pro Numophylacio Excellentissimi Episcopi Litomericensis ab eo redemi. Sed ii non tibi attentus vix nostros quatuor *Lotones* æquant, quamquam olim eosdem pondere excesserit. Sed ut ejusmodi *ferto* 5½ *Lotones* æquaverit, ut memorat Kochlerus P. II. pag. 233 nullo modo adduci possum, ut credam hoc pacto enim marca nostra 20 *Lotones*, & quartam ejus partem effecisset, quod genti nostræ nunquam fuit usitatum. Hæc igitur marcæ *gravis* sexaginta quatuor grossis æstimatio perstitit usque ad dictum annum 1378. quo tandem Carolus IV novam reformationem marcæ *gravis* suscepit, eamque ad 70. grossos Pragenses redegit. Diploma integrum protulit Balbinus, cit. loc. Caroli vero constitutio, seu lex monetaria hæc est: *Ex hujusmodi Argumento grossi Pragenses cudantur ea bonitate, grano, sive cerco, & pondere ut videlicet 70. grossi unam marcam argenti legalem observent, & habeant in argenti pondere, & etiam bonitate.* Sub Wenceslao filio Caroli, ut omnia fatisque deque iere, ita & moneta ad miserrimam deturbata est conditionem, adeo, ut jam 100 grossi Pragenses ex una marca legali procuderentur. Testimonio supersunt ejus grossi, qui argenti non nisi IX semiunciale, vulgo das neun löthige Silber continent. Quare Sigismundus frater in arbitramento illo, quod turbata Republica inter se, Jodocum Marchionem Moraviæ, Wenceslaum regem Bohemiæ, Proceresque regni factum est, statuit, ne plus, quam 80. grossi ex una marca legali cuderentur. *Item pronunciamus, quod monetam grosf. Bohem. ut usque ex pondo, seu marca tinyta argenti cudantur octuaginta grossi, ita, ut sic 80 grossi continere debeant unum pondo argenti puri.* Sublato Wenceslao rege Romanorum, atque Bohemiæ, & pacata non nihil Bohemia Sigismundus deformatam rem monetariam pæne ad legem patris sui Caroli restituit, quod duplicis generis, & nonæ, ut verbis Caroli IV loquar, nummi hactenus ab eo superstites testantur. Hinc fit, ut passim in ejus posterioribus diplomati-

Anno Christi 1412.

„ soluta. Promittimus insuper bona fide, & in verbo nostro regio terras easdem,
„ & civitates, ac villas ab omnibus injuriis, & impugnationibus quorumcunque
„ extraneorum, ac si eas per nos possideremus, quamdiu idem Dominus Wla-
„ dislaus rex Poloniæ, & successores ipsius servaverint, defendere, & tueri,
„ illo etiam non omisso, quod si aliquis de regno nostro Hungariæ easdem ter-
„ ras, castra, civitates, oppida, & villas sub eodem Domino Wladislao rege
„ Poloniæ, successoribus, Prælatis, & Baronibus recuperaverit, aut acquisierit, ipsas si-
„ ne dolo, & fraude reacquirere, & ipsas eisdem restituere tenebimur, & debebimus.
„ In casu autem, quo ipsas acquirere non possemus ex tunc sibi, & successoribus, Præ-
„ latis & Baronibus ipsius prædicta triginta septem millia sexagenarum reddere, &

Hh solve-

bus legatur *grossi Pragensis novæ monetæ*, quemadmodum & in hoc ipso diplomate, cujus fragmentum ad me [illegible] perscripsisti, legere est. Ut itaque voces hæ utroque modo intelligendæ sint de grossis Pragensibus a Sigismundo reformatis, de ceteris grossis, monetisque Sigismundo posteriorum regum nostrorum nihil attinet hic disputare, quandoquidem ad rem, quam a me postulasti, non faciat. Sed id praeterea dignissimum animadversione quod non obstante lege Caroli IV. anno 1378 data, qua marca gravis ad numerum 80 grossorum redacta, tamen non raro quoque habuerat marcam gravem 64 grossis æstimare, ritu scilicet illo, & consuetudine, quæ post Wenceslai II. filium per 70 annos invaluerat. Vel unum proferre libet exemplum ex archivo Zderasiensi, quo litteræ Nicolai Puchnik Vicarii Generalis Pragensis ratione ejusdem Ecclesiæ in Swabenz die XI. Junii 1390. ita commentatur: *Salva controversia subscripta, in pacifica, & quieta possessione percipiendi, tollendi, & levandi annis singulis medium marcam gravem, triginta duos grossos pro media marca computando.*

V. Sexagenam a sexaginta partibus nomenclaturam traxisse sub initium loquar. Antequam Sexagenæ nomen in rem monetariam invectum fuisset, antiquissimus ejus erat usus in rebus commestibilibus, & plerisque utensilibus, ut thymiane, assenibus, mergentibus &c. Nostra vernacula lingua vocabatur olim, ut hodie *Kopa*, & passim hoc signo ꝑ expriimitur. Quarta illius pars, ut olim, ita & hodie Mandel dicitur, quæ partes quindecim connotat. Cum Wenceslaus II. ut supra memoravimus, anno 1300 rem monetariam reformasset, marcamque ad numerum 60. grossorum Pragensium redegisset, pedetentim factum, ut marcæ nomen in usu quotidiano exolesceret, & sexagenæ appellatio ejus locum obtineret, qui usus postea in chartas transiit adeo, ut primitus Wencesl. II. patris, & filii ævo, sexagena exactissime responderet marcæ vulgari, seu communi, de qua supra numero II. egimus. Num vero jam Wenceslaus ipse nomine sexagenæ usus sit, mihi hactenus exploratum non est, cum is etiam paucos annos ab hac sua reformatione supervixerit, diplomata illius post annum 1300 edita non tanto supersint numero. Triginta hic, atque illic collecta excussi, in quorum nullo nomen sexagenæ reperi, adeo, ut potius nominis hujus originem repetendam censeam ab ipsis populi, quam a regis statuto, aut lege. Eidem procul dubio populo etiam placuit, ut *fertonis* nomen a marca ipsa ad sexagenas transferrent, nam passim *ferto* ab iis temporibus, cum de sexagenis sermo est, 15 grossis Pragensibus adnumeratur. Complacuit autem sibi gens nostra tantopere in hac computandi ratione per sexagenas, ut quanquam postea Henricus, Joannes, Carolus, Wenceslaus, ceterique Reges, Wenceslai II legem monetariam transgrederentur, ac ex marca legali 64. 70. 80., immo centum grossos procuderent, illa tamen relicto jam passim marcæ pondere, ac prope sexagenarum compellatione, ac supputatione, in chartis suis uteretur, sic ex supra dictis constat marcam sub Joanne Rege admensuratam fuisse 64 grossis Pragensibus, attamen in littera membranacea archivi Zderasiensis de anno 1342, quibus Senatus civitatis Pragensis monetario Zderasiensi locat macellum, *ferto sexagenæ*, dicitur 15 sexagenarum. Verba sunt: *Quindecim grossos pro quolibet fertone sexagenæ computando.* Sub Carolo IV. Predborius Abbas Brzewnoviensis in litteris suis, quibus vendit Zderasiensibus quandam silvam de anno 1348. *Medium sexagenam grossorum denariorum Pragensium videlicet XXX grossos.* Item de anno 1362. recognitio monasterii Zderasiensis super una sexagena grossorum data a Domino Benedicto de Bor, *unam sexagenam vel sexaginta grossos Pragenses denariorum perpetui census.* Item anno 1377 litteræ Richardi civis Pragensis *unam sexagenam grossorum Pragensium denariorum, ejus medietas videlicet* 30. *gross.*

Anno Christi 1420.

„ solvere promittimus bona fide, vel hujusmodi bona, aut alia consimilia, & ejus-
„ dem valoris sibi, & suis successoribus, in eadem obligare. Si autem hoc fa-
„ cere non curaremus, aut neglexerimus, ex tunc ad omnia damna, quæ ex in-
„ completione promissorum nostrorum & votorum in præsenti littera expressorum,
„ prædictus Dominus Wladislaus rex, successores, Prælati, & Barones, ac re-
„ gnum ipsius perceperint, non una cum Prælatis, & Baronibus resarcienda, &
„ refundenda promittimus, pro quibus regni nostri homines cujuscunque conditio-
„ nis, dignitatis & præeminentiæ fuerint, & bona ipsorum arrestare, captivare,
„ terrasque nostras invadere, & spoliare libere idem Dominus Wladislaus rex,
„ successores, Prælati, & Barones, ac regnum ipsius valeant absque omni re-
„ si-

30. *gross.* Sub Wenceslao filio Caroli, cujus sub Imperio, ut superius dictum, marca gravis ad numerum 30. immo 200 grossorum redacta fuit, litteræ Judicii Iuliensis, quibus unam sexagenam annui census vendit Joanni de Tepla de anno 1389. *Unam sexagenam grossorum denariorum Pragensium census annui, ejus medietas pro 30. gross.* Sub Sigismundo Wenceslai fratre, litteræ Flaskonis de anno 1429. *In sex sexagenis, quamlibet per LX grossos computatam.*

Ex quibus oppido testatum fit sexagenam passim per 60. grossos computatam fuisse, quamquam ratio marcæ gravis per reges nostros, & tempore mire variaverit. At novi non deesse plures, præsertim posteriorum seculorum scriptores, qui vel his ipsis temporibus marcam gravem cum sexagena confuderint, atque unum idemque esse æstimaverint, quos inter u præcipui sunt, qui in Stranskium commentati, omnia ea, quæ is de marcis explicuit, ad ipsas sexagenas traduxerunt, inducti in hunc errorem meo qualem arbitrio, partim quod postea sexagenam Misnicam, nec numero 60. grossorum Pragensium, nec numero Cruciferorum respondere compererunt, partim quod in quibusdam diplomatibus, in quibus rerum pretia per sexagenas exprimuntur, subdolusmina *Ferto* 16. grossorum affertur. At pluribus hujusmodi probe discussis diplomatibus deprehendi *Fertonem* esse non respicere sexagenam, sed marcam eo tempore usitatam, quæ non obstante invecto usu sexagenæ, in præstationibus tamen regnis vigorem suum habuit, ut passim 64. grossis admetiretur. Eum in errorem prolapsus est compilator ac archivi Cuilhanensis, qui Diplomatarium Bohemo Silesiacum a Sommersbergio Tom. I. editum concinnavit. Nam non raro is promiscue Sexagenæ, & marcæ nomine utitur, atque cum diploma de sexagena loquitur, eam ille in epitome sua cuique diplomati præmissa per marcam explicat, quod nominatim liquet ex diplomate Ruperti Palatini apud eundem Sommersberg pag. 995. Certum itaque est sexagenam grossorum Pragensium, non numero marcæ gravis, sed marcæ communis a Wenceslao invectæ etiam posterius respondisse, ad ea usque scilicet tempora, dum sub Georgio rege sexagenæ Misnicæ usus invaluisset. Quo jam stabilito tandem valorem sexagenæ expendere par est.

VI Sed fatendum omnino, hoc unum omnium maxime laboriosum, & difficillimum videri argumentum, ut accurate, & ad nostram æstimationem sexagena illa vetus calculetur, atque ex hodiernæ monetæ valore æstimetur. Nam neminem latet, et hodie, ut olim pretium & valorem argenti variasse, ipsasque monetas pro temporum vicissitudine non nunquam majus, alias minus quoque pretium indeptas. Atque si vel hodie res non minimæ difficultatis est, monetas exteras ad nostræ valorem exacte reducere, tum profecto nemo dubitabit ad tam vetustarum monetarum æstimationem eruendam multo plus inesse difficultatis. Si superessent grossi Pragenses novæ monetæ a Sigismundo excusæ omni parte integræ, nulla parte truncatæ, aut longinquitate temporis attritæ, seu corrosæ, tum vero ex hodierna argenti æstimatione certum intrinsecum pretium liceret statuere. Sed nec sic tamen sexagenæ illius veteris certum pretium habituri simus, quandoquidem nos adhuc lateret quæstus, quem reges tum ex cudenda moneta haurerent, lateret nos, quos sumptus in figuraturas, & stipendia ministrorum domus monetariæ expenderunt, quæ pretia profecto monetis omni tempore inhæsere. Verum cum rem ipsam seu tangere non liceat, conabimur proxime accedere, & quod verisimillimum est, hic persequi.

Certum est, quod ad pretium intrinsecum grossorum Pragensium attinet, quod grossus Wenceslai II. a quo norma ceterorum desumenda, si sit integer, maimequetruncatus, aut arrosus, valore hodierni argenti æstimandus sit 22 cruciferis, cum enim argentum contineat XV sextuncialæ, seu ut vulgo fünfzehen löthig id vero hodie 22 florenis æstimetur, calculo inito sequitur, quamodi grossum Wenceslai II. æquivalere hodiernis 22 cruciferis: hunc pretium

si

Annus Christi 1412.

„ sistentia, & contradictione nostra, & nostrorum, quousque sibi, successoribus, Prælatis, & Baronibus, ac regno suo per nos, aut nostros successores, Prælatos, Barones, omnibus in præmissis fuerit integre satisfactum. Dum autem prædictas terras civitates, oppida, & villas ab eodem Domino Wladislao rege Poloniæ, successoribus, Prælatis, & Baronibus ipsius redimere, & liberare voluerimus, ex tunc literam nostram sub ipsius sigillo Majestatis nostræ pendenti ad eundem Dominum Wladislaum regem Poloniæ, vel ejus successores, Prælatos, & Barones regni ejus scriptam demus per notabiles duos consules, unum videlicet de Lewczew, & alium de Cassovia, ipsis in Lublaw dirigere, & eam sibi facere præsentari ad significandum intimare, quod ipsas terras, castra, & civitates, oppida & villas infra duos menses continuos volumus de eodem Domino Wladislao rege, vel ejus successoribus, Prælatis, & Baronibus liberare; si autem nos decedere contingeret, tunc duo Prælati, & totidem Barones Majores regni nostri Hungariæ sigillis eorum pendentibus „ in

Hh 2

intrinsecum rudis marcæ, seu sexagenæ a Wenceslao II. procusæ hodierna æstimatione facit 22 florenos. At quia grossi hi passim truncati, atrosque vix unquam eorum porte integri reperiuntur, igitur non semel æstimari eos, redemque vidisse argentariis nostris 19, non unquam, sed rarius, 20. cruciferis. In Sigismundi post suam reformationem procusis grossis, non est, nisi argentum XIII. semunciale, seu dreyzehen löthig ideoque ejusmodi grossi intrinsecum valor æquivalet 19. hodiernis cruciferis. E quibus colligere licet, Sigismundum monetam reformasse ad legem patris sui Caroli IV an. 1378 datam, adeoque passim 70, seu summum 72 grossos Pragenses uni marcæ respondisse. Jam itaque intrinsecum pretium quarundam sexagenæ a Sigismundo procusæ efficit hodierna æstimatione 19. florenos, ut si jam summa XXXII. millium sexagenarum grossorum Pragensium, pro quibus Sigismundus Scepusium Wladislao Poloniæ regi oppignoravit, per 19 multiplicetur, habeatur verisimillimum intrinsecum pretium 703000 seu septingentorum trium millium florenorum. Sed cum certum sit, ut supra innui, reges nostros hunc pretio intrinseco admensurasse fours quæstum, sumtus in signaturas, & stipendia domus monetariæ, hinc haud indubie conjicio, ejusmodi grossum æquivaluisse hodiernis 20. cruciferis, aut quid paulo amplius. Rem confirmare videtur diploma Ruperti Palatini a Sommersberg Tom. I. pag. 995 relatum, in quo comparatione ad auream monetam valorem sexagenæ sub Carolo IV his verbis expressum invenio: und die obgenanten zweiff tausend Schock grosser Pfennige Prager Müntze, oder zwo sechzig tausend Pfund Floren, oder Rhinisher, oder Hungarischen Gulden. Nemo autem dubitaturus est, hic per verba Rhinische, oder Hungarische Gulden intelligi Florentiae, reliquæque Italiæ, ac cum primis Hungariæ aureos nummos, hodie vulgo *Ducatos* appellatos, quum in rem aliquot centena diplomata cumulare liceret, quibus præter tum floreni Hungarici, Gottgulden, item Hungarische Gulden von Gold, und gutem Gewicht, appellantur, qui jam tum pæne eodem pondere, ut hodie cudebantur, quod ex superstitibus utramentis ejusmodi aureis Hungaricis hujus ævi aureis, seu Ducatis palam est. Constat præterea ejusmodi aureum nummum jam tum passim æquivaluisse hodiernis 4. florenis. Nam pleraque rei monetariæ periti asseverant, ad ejus valorem procusos esse postea duos Sigismundi Archiducis Austriæ, & Comitis Tyrolis argenteos *Thaleros*, seu nostros dos Joachimo-Vallenses. Cum igitur calculo nito ex Ruperti Palatini verbis enatur, sexagenam nostram respondisse quinque Hungaricis aureis, sive ducatis, aut hodiernis 20 florenis, plane valor idem producitur, testaturque sit, quod procusæ a Sigismundo novæ monetæ sexagena æstimata fuerit 20. florenis hodiernis, paulo quid plus, aut minus. Quare tutissimam tot viam ingrediens autumo, si summa sexagenarum grossorum Pragensium, quam Sigismundus ab Wladislao Poloniæ rege pro Scepusio, & XIII. oppidis accepit, per 20. multiplicata fuerit, ut ita, si que spes relutionis superest, pendenda verisimiliter sint, septingenta, quadraginta millia hodiernorum florenorum.

Hactenus eruditissimus vir, qui id argumentum omnium credo primus tractavit, & mecum pro sua in me humanitate communicatum voluit. Quibus nihil porsus habeo, quod addam; quam exstare ejusmodi grossos plane illius ævi apud doctos nostros populares, ex quibus precium anni no confici possit, siquid forte a Cl. viro minus exactum, aut minus recte, quod in tam obscuro argumento minime mirum videri debet, subductum fuisset.

Anno Christi 1412

„ in hoc casu facere debebunt, & tunc a die insinuationis, & assignationis litterarum hujusmodi triginta septem millia sexagenarum latorum grossorum boni, & justi ponderis in auro puro, & argento infra eosdem duos menses ad castrum Dunawecz duci debebunt, & ibidem per hominem dicti Wladislai regis Poloniæ, successorum, Prælatorum, & Baronum - - in castrum Czorsztin importari, & adduci, interim autem in castro Dunawecz prædicto quatuor potiores Poloniæ de terra Cracoviensi, & Sandecensi, vel alteri eorum, quos, vel quem rex Hungariæ, vel Barones ipsius regni tunc nominaverint, vel delegerint, videlicet die insinuationis pro persolvendis pecuniis, & redemtione pignoris prædictorum facienda permaneant, sive persistant, ita tamen, quod præsentes eligantur in regno Poloniæ ubique existentes, non impediti tali infirmitate, quod non venire possent, qua impedita illo non obstante, alii loco impeditorum transmittantur, & per ipsum Wladislaum, successores, Prælatos, & Barones prædictos in obstagium eodem in castro Dunawecz reponatur, nec ab inde recedere debeant, donec castrum prædictum Lublaw, nec non aliæ civitates, & oppida prædicta nobis, & successoribus nostris, sive Prælatis, & Baronibus integre fuerint restituta, nulla etiam deceptione, excusatione, contradictione, vel occasione obsistente, harum, quibus nostrum, & Prælatorum nostrorum sigilla sunt appensa, testimonio litterarum mediante.

„ Et nos Joannes Archiepiscopus Strigoniensis, Joannes Episcopus Jaurinensis, Nicolaus de Gara regni Hungariæ Palatinus, Simon Comes de Rozgon Judex curiæ regiæ, Joannes de Pelsöcz Magister Tavernicorum regalium, Ladislaus de Vilak Banus Machoviensis, Joannes Banus de Maroth, Petrus de Peryn Comes Vivariensis, Emericus de Peryn Secretarius, & Cancellarius regiæ Majestatis, Joannes de Rozgon Thesaurarius regiæ Majestatis, Mathias Pallocz Comes Borsodiensis, Ladislaus de Pelsöcz filius quondam Emerici Waivodæ, Joannes de Boczeua, Benedictus Zudsi de Makovicz, Prælati, & Barones Regni Hungariæ promittimus bona fide pro nobis, & nostris successoribus omnia prædicta per Dominum nostrum regem de voluntate, & beneplacito nostro facta, & disposita, ac promissa inviolabiliter servare. In quorum omnium fidem, & testimonium una cum sigillo Domini nostri regis sigilla sunt appensa. Datum Zagrabiæ octava die omnium Sanctorum, anno Domini MCCCCXII. regnorum autem nostrorum Hungariæ XXIV. Romanorum vero III. „

Quo magis miror a Cromero sexagenas ad octoginta millia adduci, cum de numero exregiis litteris diserte constet. (28)

Res varia fortuna a nostris in Italia gestæ.

Ita occupato in Croatia Sigismundo, rem apud Italos feliciter ab Hungaris geri crebris nuntiis allatum est. Pippus cum XIV. equitum millibus in Forum Julii delatus, ad Liquentiam amnem Venetorum copias obviam habuit, quem ubi simulato recta in hostem assultu, alibi reperto vado, trajecisset, ex improviso ignaros a tergo incumbens partim in flumen, partim in fugam impulit. Dissipatis hostium turmis Sacilum, Campam, & Pulcinicum nullo negotio in nostrorum potestatem venere. Abhinc prona ad conficiendum bellum omnia erant, si Pippus sine mora in Venetum agrum profectus, tempore usi fuisset, quod isti ad defensionem imparati vires aliorsum, ubi incassum postea adhæserant, traduxissent. Sed is in terram Serravallis, soli ubertate, & divitiis nobilem, copias infundens magis prædas, quam bellum agebat, feruntque ex spoliorum, quæ milites intra paucos dies coegerant, decumis, sexaginta sex aureorum nummum millia adeptum esse. Percursa Serravalle, urbes Belunum, Feltrum, Motham, Portum Buffoledi, Crudignanum, Opitergium, & Castrum Collæ Valmarenæ deditione accepit. Tum Tarvisio, sed sero admodum copiæ admotæ, quod Veneti interea, dum Pippus latissime spolia agebat, urbem egregie ad defensionem comparassent. Et appropinquabat subsidio cum auxiliaribus Carolus Malatesta de Arimino, quæ res in causa fuit, cur nostri obsidionem aut inchoare nollent, aut re infecta desererent. Malatesta brevi Pulcinicum, & Motham, captis, qui istuc præsidio relicti erant, Hungaris

(28) Rerum Polon. Lib. XVIII.

garum recepit, ibique castris, quo hostis evasurus esset, præstolatur. Sed dum rem negligentius, quam par fuit, administrat, *quadam mane* (ut scribit Chronicon Tarvisinum (29) *ex composito veniunt septem mille in octo mille Hungari equites, & totum exercitum aggrediuntur - - & per eum discurrentes unumquemque regentium vadunt usque ad Caroli tentoria. Clamor fit grandis, omnes ad arma concurrunt, sed jam Hungari prædatores erant, & Carolum Capitaneum capere contendunt plurimi, qui cum aliquibus intra tentoria se defendunt. Exercitus Venetorum plurimi conductores fugiunt per pontem ultra Liquentiam factum super barchis - - quos cum Aloysius de Companea aufugientes vidisset, cucurrit ad dictum pontem, & illum solvit, atque destruit. Ad quem cum Rugerius de Perusio conductor equitum sexcentorum accessisset pro arripienda fuga, & illum videns confractum, superfedit, & ibi multi fugientes sub illius standardo collecti sunt, - - - & videns, quod adhuc intra tentoria se defenderet (Malatesta) cum multis, ex composito cunctos ordinans sub standardo suo fortiter bellum vocantes contra dictos Hungaros - - - aggrediuntur, - - - quod dicti Hungari coacti sunt a tentoriis recedere. Tunc Carolus egressus tentoria fortissimum ostendit, & hostes insequitur, magnam in illos stragem faciens usque Sacilum, ex illis multis captis, & plus, quam mille interfectis.*

Ita nostri intempestiva prædarum cupiditate victoriam e manibus amisere, at paullum post rursus cum Venetis congressi memorabili cæde hostem profligarunt. Interea Sigismundus cum quadraginta millibus Istriam tenens Pippo suppetias, & mandata misit, ut Tarvisanas urbes in feudum Imperii reciperet. Is nulla mora interposita Paduam magnis itineribus properabat, nam istic Pandulfus Venetarum copiarum Dux cum sex equitum, totidemque peditum millibus in omnem belli eventum excubarat. Sed Pippus seu hostem veritus, sive spe potiundæ urbis iter Bassanum deflexit, ratus, ut clam conventum erat, sine admota vi urbem deditum iri. Sero fraude Italorum se sensit circumduci: itaque trajecto Brenta amne ad Marosticam in Vicentino agro castra locat, tentatisque variis incassum oppidis Bassanum inglorius redit: inde in Forojulium, ac deinde ad Sigismundum in Istriam concessit, retulitque, bellum non recte ex sententia casurum, quod Veneti arctas plerumque montium fauces peterent, neque in campum, quo equitatus Hungarus valet, unquam prodirent. Re tamen vera Pippus bellum perfide magis traxit, quam gessit, quod Veneto auro corruptus istis spatium respirandi, & molitiones corrumpendi tempus prudens, volensque præberet. (30)

Hæc cum in anni exitu, neque satis ex sententia gesta essent, & Ecclesia ob nefarium schisma trium de suprema in sacras res potestate contendentium, ambitu falsisque concitamina in partes distraheretur, commutata sententia pacem bello prætabuit. Cum enim protegendi Concilii partes ab omnibus sibi oblatæ fuissent, facile persuaderi se passus est, ut consilia ad tractandam pacem admoveret. Itaque positis armis induciæ in quinquennium sancitæ sunt. His cum Sigismundo Mantuæ Marchio & Patriarcha Aquilejensis inclusi: cum Venetis contra Ferrariæ idem Marchio, Malatesta Arimini Dominus, & Tristanus Savorgnanus. (31) His pactis, quo minus ab studio, quo in pacandam Ecclesiam magnopere ferebatur, intempestive averti posset, res domesticas in ordinem redigere placuit, ut ne quid absente se detrimenti paterentur. Regni cura Barbaræ Conjugi (32) & Joanni Archiepiscopo Strigoniensi (33) non item, ut Timon (34) vult,

Anno Christi 1412.

1413 *Itaque quinquennales induciæ sunt.*

(29) Apud Cl. MURATOR. Tom. XIX. Scriptor. rer. Ital.

(30) Chron. TARVISIN. loco laudato.

(31) WINDECKIUS Cap. XXVII. ad annum præsentem.

(32) *Absente enim marito donationes fecisse in instrumentis legitur. Titulo fere hoc utebatur: Nos Barbara Romanorum, ac Hungariæ &c. regina.* In clausulis hæc plerumque exceptio adjecta: *Ad felicem reditum ejusdem Domini regis consortis nostri confirmationem in regnum suum Hungariæ post harum exhibitionem faciendam.*

(33) Legitur enim his temporibus hoc Titulo usus: *Joannes Arch-Episcopus Strigoniensis, aulæ regis Romanorum summus Cancellarius, in regno Hungariæ, Croatiæ Vicarius Generalis.*

(34) In Epit. ad hunc an.

Annus Christi 1413.

vult, Wladislao Polono commissa, Hervoyam, qui novas in Croatia, Sclavonia res moliebatur, Ducatu Spalatensi privavit, veritusque, ne quia hominem dis se pessime meritum re, aut consilio deinceps adjutum iret. Dolerat, cum Pulsani moraretur, propterea ad suos litteras publicas, quibus, quas illi hactenus indulserat prærogativas, funditus omnino convellit. (35)

Hervoya publicus hostis perfidus declaratur

„ Nos Sigismundus Dei gratia Romanorum rex, semper Augustus, ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. rex, memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes quibus expedit universis, quod fideles nostri universi, & singuli Nobiles, Cives, & tota Communitas nostræ civitatis Spalati proxima prætenta disturbiorum tempora prudenter remuniscentes, per quosdam videlicet Prælatos, Barones, Nobiles, & alios quosdam nostros regnicolas in regnis nostris, quibus Majestate nostra in regno Behemiæ, apud serenissimum Principem Dominum Wenceslaum ejusdem regni Behemiæ &c. regem, fratrem nostrum carissimum, pro magnis, & ingentibus ipsius D. Wenceslai fratris nostri, & nostris propriis factis, & negotiis expediendis, nec non Reipublicæ, & totius Christianitatis incremento, & commodo constituta eiusdem Prælati, Barones, Nobiles, & alii suprascripti præmemorum beneficiorum, per Majestatem nostram ipsis regia liberalitate uberius impensorum immemores, Dei timore penitus relegato in crimen læsæ Majestatis incidere non veriti, quendam Ladislaum de Duracio assertum Apuliæ regem in regna nostra Dalmatiæ, & Croatiæ duxerant, imo verius in ipsorum propriam perditionem eundem in regem Hungariæ &c. coronando. Nos de dictis regnis nostris per prædictum Ladislai inductionem prætendentes alienare, quo inducto, idem usurpata sibi quadam prætensa auctoritate inter ceteras nostras civitates, quas in præmissis nostris Dalmatiæ, & Croatiæ regnis occupaverat, nostram civitatem Spalati præfatam occupando, eandem Hervoyæ pro tunc nostri culminis notorio rebelli, & infideli adhærenti dederat, & donaverat, & ipsum Hervoyam ejusdem nostræ civitatis Spalati creaverat in Ducem, demum nobis a prænominato D. Wenceslao fratre nostro carissimo expeditis, & consummatis prædictis negotiis, & factis feliciter in antedicta regna nostra redeuntibus, auxilio Altissimi Dei antedicto Ladislao de Duracio de regnis nostris excluso, & profugato, post plurimorum temporum cursus, dum supradictus Hervoye super suis excessibus, rebellionibus, infidelitatibus, & crimine læsæ Majestatis contra culmen nostræ celsitudinis nequiter perpetratis, a nostra clementi benignitate gratiam, & misericordiam obtinuisset, attento permaxime, quod idem Hervoye mole senectutis, & ætatis decrepitæ - - - - - ac infecundus existeret, diebus suis labentibus ad occasum, quorum consideratione ea, quæ sibi per Majestatem nostram donari contingeret, brevis temporis curriculo ad nos, & sacram nostram coronam revolvere posse agnovimus, & pro eo, quod idem Hervoye se ad nostri culminis servitia prompte, & fideliter serviturum perpetuis temporibus offerebat, sibi sæpedictam civitatem nostram Spalatensem ipsi Hervoye Ducalis dignitatis titulo ejusdem Civitatis Mag. insigniendo de nostræ regiæ plenitudine potestatis, ac quam plurima castra, & possessiones nostras, ac in signum sinceræ dilectionis ipsum in Compatrem nostrum assumendo sibi pro singulari honore, quoddam Clenodium, scilicet signum Draconis, quod nos una cum serenissima Principe Domina Barbara Regina Hungariæ &c. Conthorali nostra carissima, & quam pluribus mundi Principibus, nostrorumque regnorum Baronibus, & nobilibus Præfectis in signum indissolubilis societatis gestare solemne duxeramus, conferendum, quia tum pridem Magnificus Zandalius regni nostri Bozinæ Wayvoda fidelis noster dilectus, una cum aliis ejusdem regni nostri Bozinæ, & aliorum regnorum nostrorum fidelibus in regno Rasciæ, apud illustrem Principem Despotum dictæ Rasciæ, fidelem nostrum, contra sævissimos Turcas, & aliarum barbaricarum sævarum nationum gentes Crucis Christi persecutores, & blasphematores, qui partes dictæ Rasciæ hostiliter „ intra-

(35) Lucius Lib. V Cap. V.

„ intraverat, in nostris servitiis fuisset constitutus, idem Hervoye congregatis
„ sibi certis complicibus, & armorum gentibus dicti Zandalu, namque castra,
„ & quam plures possessiones contra edictum, & prohibitionem nostræ Majesta-
„ tis hostiliter invadendo expugnavit, castrorum eorundem homines, divino, &
„ humano postposito timore, necando crudeliter, & insuper malum malo accu-
„ mulare volendo, per certos familiares suos cum suis literis, quæ per quos-
„ dam fideles nostros apud eosdem repertæ fuere, Turcas, & alias barbarorum
„ nationis gentes, ut in subsidium suæ malitiæ in dictum regnum nostrum Bohe-
„ mæ properarent, tanquam nostri culminis, & sacræ nostræ Coronæ notorius
„ rebellis, & infidelis manifestus venire invitaverat, fermentum suæ veteris ini-
„ quitatis, & malitiæ, quo pluribus præteritis temporibus inter fideles regnorum
„ nostrorum prædictorum consuevit procurare guerras, & discordias renovare,
„ omnium & singulorum honorum, donorum, & beneficiorum, ut puta compa-
„ ternitatis, societatis, & plurimorum donorum prædictorum, quibus ipse præ ce-
„ teris nostris regnicolis per Majestatem nostram clementi benignitate extiterat
„ redimitus, & honoratus, immemor, & oblitus, nos una cum Prælatis, Baro-
„ nibus, & regnorum nostrorum Proceribus maturo præhabito super inde tracta-
„ tu, & consilio eundem Hervoye tanquam nostri culminis, & sacræ nostræ Co-
„ ronæ notorium rebellem, & infidelem manifestum omnibus, & singulis suis
„ Castris, possessionibus, ac quibuslibet suis honoribus præsertim titulo Ducalis
„ dignitatis prænominatæ civitatis Spalati, quo titulo usque modo fretus extitit,
„ atque functus, decrevimus fore privandum, destituendum, degradandum; imo
„ privamus, destituimus, degradamus, universas, & singulas litteras super
„ quibuscunque castris, possessionibus, villis, teloneis, & eorum pertinentiis &
„ honoribus quibuscunque nominibus vocitentur, & præsertim Titulo, & Hono-
„ re prædictæ Ducalis dignitatis per nostram Majestatem, vel prædecessores Re-
„ ges nostros, aut quoscunque alios eidem Hervoye datas, & concessas, revo-
„ cantes eas, & annullantes vigore præsentium mediante, committimusque quam
„ pluribus fidelibus nostris Prælatis, Baronibus, & Nobilibus, ut ipsi cum vali-
„ da eorum potentia insurgendo contra sæpe nominatum Hervoye nostri culmi-
„ nis notorium rebellem, & infidelem manifestum, ac universos & singulos suos
„ complices, adhærentes, & sibi subjectos, atque subditos, tam nobiles, quam
„ ignobiles, qui a prænominato Hervoye avertere, & a servitiis & obedientia
„ sua retrahere, ipsumque Hervoye deserere, & relinquere, & ad sinum no-
„ stræ Majestatis veluti ad Dominum ipsorum naturalem redire non curarent,
„ vel recusarent procedere, & eosdem etiam in ore gladii, si necesse foret, ad
„ præstandam debitæ fidelitatis obedientiam compellere, universaque castra, pos-
„ sessiones, resque & bona apud manus ejusdem Hervoye suorum adhærentium
„ complicum, subjectorum & subditorum, proditorum nostrorum rebellium infi-
„ delitatem occupare, & auferre, & eidem nostræ Majestati unificare debeant,
„ & teneantur. Idcirco prænominati Nobiles, Cives, & tota Communitas Spa-
„ lati sæpe dictæ, præmissam rebellionem, & infidelitatem sæpe dicti Hervoye
„ prudenter, & soleriter animadvertentur, præmissorum quoque nostrorum decre-
„ torum, & edictorum, mandata merito formidanda agnoscentes, qui conside-
„ rantes etiam ut ipsi semper & ab antiquo nostris, & olim serenissimis Princi-
„ pibus Domino Ludovico regi beatæ recordationis, patris, & Soceri nostri ca-
„ rissimi, ac etiam aliorum Dominorum regum nostrorum prædecessorum tempo-
„ ribus fidele, & incorruptum membrum sacræ Coronæ Regni Hungariæ invio-
„ labili fidelitate constantia, absque ullius infidelitatis reprehensione extiterunt,
„ potius ad sinum nostræ Majestatis convolare, & debitam, prout tenentur no-
„ bis, & sacræ nostræ Coronæ præstare obedientiam, volentes quam alicujus re-
„ bellionis contaminari menda, aut infidelitatis nota qualibet denigrari, idem
„ Nobiles, Cives, & tota Communitas, se, & dictam nostram civitatem Spala-
„ ti nostri culminis, & sacri nostri Diadematis ditioni, tanquam eorum naturali
„ Domino, prout de Jure debebant, & tenebantur, subjecerunt in perpetuæ fi-

„ deli-

Annus Christi 1413.

„ delitatis constantia apud nos, & nostram sacri regni Hungariæ Coronam jugiter permansuri. Ut autem sæpe nominata civitas Spalati Nobiles, Cives, & tota Communitas pro hujusmodi suis fidelitate, & obedientia, quibus Edictis, & Mandatis nostræ Majestatis, absque cujusvis retentatæ rebellione, parendo ad gremium nostræ Majestatis, & sacræ nostræ Coronæ redire, & reverti sollicit, & prompti fuerunt, se sentiant aliqualem remunerationem nostræ regiæ libertatis reportare, ipsos Nobiles, Cives, & totam Communitatem, & civitatem nostram Spalati in universis, & singulis suis pertinentiis nobis, & sacræ nostri regni Hungariæ Coronæ, nostrisque legitimis successoribus regni Hungariæ prædicti regibus tanquam fidele, & principale membrum reassumimus, restauramus, & approbamus, & de novo incorporamus; Titulum vero Ducalis Dignitatis, quem prænominatus Hervoye, vel quicunque alter ad suam laudem, & singularis honoris Titulum a culmine nostro, vel a præfato Ladislao de Duracio, seu a quocunque rege alio, vel Principe impetrasse, & acquisivisse dignoscitur, & ab eadem civitate Spalati removemus, delemus, & sopimus, eidem Hervoye, & suis hæredibus, & posteris universis, & singulis, & quibuscunque aliis, sæpe dictam Civitatem Spalatum impetere volentibus perpetuum silentium vigore præsentium imponentes, nihilominus committentes severissime, quod nullus prædictorum Nobilium, Civium, aut quorumcunque aliorum nostrorum fidelium sæpe fatum Hervoye, aut suos hæredes amplius, & de cetero Ducem prænominatæ nostræ civitatis Spalati ab indignatione Majestatis nostræ gravissima, quam contrarium facientem eo facto volumus incurrere, audeat nominare, aut præsumat quomodolibet appellare; quam quidem civitatem nostram Spalati cum universis & singulis suis pertinentiis prædictis apud nos, & sacram nostri regni Hungariæ Coronam volumus permanere, animo affirmamus, promittentes, quod eandem nulli mundi hominum pro aliquo servitio, amicitia, pecunia, vel thesauro etiam quantumcunque magno vel pretioso a nobis, & a dicta nostri regni Corona quousque nobis vita concessa fuerit, volumus alienare, statuentes, & decernentes, hoc præsenti nostro regio Decreto, ut quicunque nostrorum successorum regum præfatam nostram civitatem Spalati a prædicta regni Hungariæ sacra Corona pro aliqua mundi pecunia, vel thesauro, aut pro alicujus hominis amicitia, seu servitio aliquo a futuro tempore alienare præsumpserit, vel alienare attentaverit, anathemati se subjectus, & insuper Omnipotentis Dei, & gloriosissimæ Virginis Genitricis suæ, nec non Beatorum Ladislai, & Stephani regum indignationem eo facto se noverit incursurum. Datum in Pulsano in festo B. Petri ad vincula, anno Domini MCCCCXIII. „

Ad futurum Constantiæ Concilium universos omnes invitat.

Tum ingenti animo, curaque futuri Concilii rationes complexus, habita cum Legatis sedis Apostolicæ consultatione de loco sacri conventus tractatum est. Placuit Constantiam deligi, quæ urbs consentibus & situ commodissima, & adversus factiosorum vim tuta præ cæteris videbatur. His constitutis epistolam ad omnes Europæ provincias vulgavit, qua & tempus Conventui præstituit, & iis, quos concilio interesse oporteret, potestatem veniendi facit, fideque interposita pollicetur, tuto omnes affuturos, neque metu, aut quavis alia re libertatem arctatum iri. (36)

„ Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex, universis & singulis præsentes litteras inspecturis notum facimus, qualiter Reverendissimi Patres in Christo Domini Antonius tituli sanctæ Ceciliæ Presbyter, & Franciscus Cosmæ & Damiani Diaconus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Apostolicæ sedis Legati, ac Nobilis Manuel, Miles Constantinopolitanus, habentes a sanctissimo Domino nostro Papa Joanne XXIII. simul cum suo sacro Collegio Dominorum Cardinalium plenam ad infra scripta potestatem, prout litteris Apostolicis constat, habitis nobiscum multis super infra scripta deliberationibus, & consiliis, tandem pro loco generalis Concilii,

(36) Von der Hardt. Magn. Oecum. Concil. Constant. Tom. VI. Part. I. pag. 5.

Annus Christi 1413.

lii, Deo favente, celebrandi, elegerunt cum consilio & assensu nostro civitatem Constantiæ provinciæ Moguntinensis. Quem locum nos eisdem nominavimus tanquam idoneum, commodum, tutum, & communem omnibus nationibus ad ipsum Concilium venturis. Et in quo poterimus secundum nostrum Imperiale officium tueri omnes & singulos, cujuscunque status ad Concilium venturos in plena libertate. Quem etiam locum nos cum prædictis Dominis Cardinalibus pro Concilio elegimus. Sit insuper ipsi nobiscum, & nos secum assignavimus ad initiandum præfatum Concilium tempus unius anni, incipiendo die prima mensis Novembris nunc instantis. Quamobrem vos universos & singulos in Domino exhortamur, ut illi ex vobis ad quos pertinet ad Concilium venire, deposito omni timore, curetis ad locum præmissum tempore præscripto vos conferre. Ubi etiam nos, Deo favente, curabimus interesse, ac omni nostro posse facere, ut omnes & singuli in Concilio existentes plena securitate, atque libertate, tam in accessu, quam stans & recessu, potiantur. Et quod idem Dominus noster Papa, cum Dominis Cardinalibus, & sua Curia, ac cum omnibus Prælatis, & Clericis in Concilio existentibus gaudeant plena Ecclesiastica immunitate, ita etiam quod ipse Dominus noster Papa ibi libere possit omnem suam Apostolicam auctoritatem, jurisdictionem, & potestatem exercere. Et similiter Domini Cardinales, & Prælati, & Principes, omnesque aliæ tam Ecclesiasticæ, quam seculares personæ in concilio existentes, possint libere loqui, & tractare, & expedire omnia quæ sibi videbuntur opportuna. Præsentium sub nostræ Majestatis sigilli testimonio literarum. Datum in Ecclesia sancti Stephani Protomartyris in Villa vocata Viglud, in vulgari Vegiu, Cuman. Dioeceseos, Anno a nativitate Domini MCCCCXIII. die lunæ, penultima mensis Octobris regnorum nostrorum anno Hungariæ &c. XXVII. Romanorum vero IV. "

Et in primis Carolum regem Franciæ,

Quia autem magna Concilio ab Carolo VI. Franciæ regis præsentia auctoritas conciliari posse videbatur, scripsit ad hunc quoque singulatim literis orabat, ut pro eo, quo in Ecclesiam esset studio, Constantiam venire ne gravaretur. (37)

„ Sigismundus serenissimo Principi Carolo Franciæ regi &c. rex pacificus pia miseratione dispositus, ne homo, creaturarum dignissima, quem de limo terræ formatum ad imaginem, & similitudinem suam fecit, per abusum liberi arbitrii laberetur, & labendo a cognitione sui recederet Creatoris, dum par in parem imperium non haberet, Præsides suo operi superesse voluit, quorum ducatu vita cujuslibet regeretur, ac ipsorum monitionibus, & præceptis inferiores ceteri obedirent. Sicque statuit duo luminaria super terram, majus videlicet atque minus, ut in ipsis universalis Ecclesiæ consisteret firmamentum, in quibus Pontificalis auctoritas, & regalis potentia designantur. Una videlicet, qua spiritualia, & altera, qua corporalia regerentur.

„ Ad subsistentiam igitur machinæ spiritualis, Beatum Petrum Apostolorum Principem, & in Beato Petro Pontifices successores, summus Pontifex in æternum Unigenitus Dei Filius Jesus Christus, qui doctrinam humano tribuit generi salutarem, Magistros esse voluit & Pastores. Ad corporalis vero compaginis firmamentum, cujus facilis est profecto distinctio, Reges & Principes Rex regum, & Dominus dominantium idem ipse præesse voluit Jesus Christus. Ut illi quidem in executione Pontificalis officii spiritualibus vacando negotiis proficerent ad salutem, & hi salubriter in excellentia regiæ dignitatis corporalia gubernando maliuis hominum obviarent, sicque machina fieret utriusque subjecti stabilior, dum haberet quodlibet proprium servatorem.

„ Debitum perfectæ charitatis, quæ non, quæ sua sunt, quærit, nimirum exposcit, ut non solum is, qui contemplationis speculam ascendit, sed opportunitate suadente actionis onera supportans, magis necessarius inveniatur. Quia licet ille sit securior, hic tamen est utilior, sibi & aliis commodum afferens & profectum. Licet enim Mariæ sedentis secus pedes Domini otium Marthæ ministerio præ-

I i

(37) Idem Tomo eodem pag. 7.

Anno Christi 1413.

„ præferatur, & quod sit status ille tutior, utpote a seculari strepitu segregatus: activus tamen potest utilior judicari esse, quod sibi prodest & aliis, tribulationes sustinens, & pressuras, per quas virtutes suscipiunt incrementum. Quoniam sicut ait Apostolus, tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit. Et plerumque contingit, quod virtus in infirmitate perficitur.

„ Sed quia diebus istis novissimis, in quibus super excrescente malitia in immensum, refrigescit charitas, in plerisque proprius appetitus, qui non semper in vetitum consuevit, adeo debacchatur in homine, ut quodam dato quasi libello repudii, libertas arbitrii, qua bonum malumque discernitur, exulet extra terminos honestatis: cultum oneris multorumque sollicitudinis nobis incumbit, ut animarum corporumque periculis caveatur. Nisi enim malitiis hominum congruis obstaculis obvietur, descensus est profecto labilis ad excessus. Et dum per lubricum iter discurrimus abusive descenditur, facilis (proh dolor!) relevatio vix habetur.

„ Inter profecto curas varias nostris processibus inhærentes sollicitudo quotidiana nos excitat, qualiter generali bono statui totius populi Christiani multifarie, multisque modis nostris temporibus proficere valeamus. Ut, cum in die illa novissima, die scilicet districti & tremendi Judicis, discussio venerit, plenam possimus ipsius Dei super favente Clementia, de commissis nobis talentis, duplicata Domino importando, reddere rationem.

„ Maximo etenim desiderio jam dudum tenebamur, ut diebus nostris videre possemus unicam Christi sponsam, Catholicam Ecclesiam feliciter reformatam. Postea vero cum ad Imperialia gubernacula fuissemus assumpti, id, quod erat nobis in desiderio, transivit in præceptum: cum teneamur sanctam Matrem Ecclesiam per Imperiale officium tueri, cujus etiam Canones sanctorum Patrum nos appellant Advocatum, & Defensorem.

„ Considerantes verumtamen, qualiter & quomodo salubriter id peragere valeamus; cum Principibus Ecclesiasticis & secularibus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, & Proceribus, aliis quoque prudentibus, & peritis nostris & Imperii sacri fidelibus, prout tantæ rei instantia exigebat, accurato, & frequenti tractatu prehabito: interea contigit nos intellexisse, quomodo sanctissimus Dominus noster, Dominus Joannes Papa XXIII. venerabile concilium indixisset. Summo itaque studio curavimus, ne quid negligentiæ posset in hoc nobis apud Deum, & homines imputari. Et ob hanc rem per literas & nuncios instituimus apud eundem Dominum nostrum Papam pro convocatione generalis Concilii, loco habili, & tempore congruo deputandis. Qui nostris votis annuens, misit ad nos reverendissimos in Christo Patres, Dominos Antonium tituli sanctæ Cæciliæ Presbyterum, & Franciscum tituli sanctorum Cosmæ & Damiani Diaconum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Apostolicæ sedis Legatos, & Nobilem Manuelem Chrysoloram, tradita eisdem in prædictis plena potestate. Ipsis vero ad nos pervenientibus, post multa nobiscum habita super his consilia, tandem nos cum eisdem pro loco Concilii elegimus civitatem Constantiæ, Provinciæ Moguntinensis. Quem locum nos eadem nominavimus tanquam idoneum, tutum, & communem omnibus nationibus ad concilium venturis. Et in quo, Deo favente, curabimus personaliter interesse, & omni modo secundum nostrum posse Imperiale officium tueri omnes cujuscunque status ad Concilium venire, ibi stare, & recedere pro sua voluntate. Et insuper nos cum prædictis Legatis & Nuntio ad inchoandum præfatum Concilium assignavimus tempus unius anni, incipiendo prima mensis Novembris nunc instantis.

„ Expedit quippe, & universi & singuli sollicitudine non pigri, fervente spiritu Domino servientes in vinea Domini Sabaoth, in qua ex denario divino & labore convenimus, infragibiliter operemur exstirpandis vitiorum spinis, & peccatorum tribulis, quæ superficiem ejus obumbrasse videntur, nec non plantandis virtutum germinibus, in quibus Dominus delectatur, totis affectibus intendendo illustrare.

„ Illa-

„ Illustrem itaque serenitatem vestram ex Imperiali officio ad tam suave & dulcissimum convivium fraterne, & curative invitamus, & requirimus. Et hortamur in Domino, ut pro Religione Catholica, quam Deo debetis, ad cujus Divinæ Religionis exaltationem, & statum institutum est præmissum Concilium, velitis in præfato Concilio tempore præscripto, si commode potestis, per vos, vel si commoditas personalis non patietur, saltem per vestros solemnes Ambassiatores interesse, atque cum effectu disponere, & curare, ut Prælati, Doctores, & Magistri, & viri Ecclesiastici, Religiosi, & seculares, qui sunt in vestro regno, & territorio, veniant ad hujusmodi Concilium tempore constituto.

Annus Christi 1413.

„ Ubi dum tantorum regum, Præsulum, & Principum, quos unitas fidei orthodoxæ connectit, fuerit honorabili congregatione Concilium ipsum ex omni va suffultum, ut in ejus nomine, cujus spiritus, ubi vult, spirat, collecta Ecclesia, post reparationem, ordinationem, reformationem, & stabilitatem sacrosanctæ Matris & universalis Ecclesiæ, ac pacem & quietem populi Christiani, sicut cœlesti consilii Seminator Altissimus infusionem suæ gratiæ administrabit: agetur communi consilio etiam de sedando vetustissimo, antiqua & antiquata peste dissidio, quo universalis Ecclesiæ unitatem Orientalis seu Græcorum dissensio damnabiliter secuit. Ut in domum Domini individuam sponsa unica, in unitate orthodoxæ collectionis, & intemeratæ fidei puritate (utinam nostris temporibus cœlitus infundatur hæc gratia!) per provisam redintegrationem reducatur & lucis cœlestis illuminatione, quæ det lumen in revelationem gentium, inveniatur provisio, & ejusdem approbatione Concilii roboretur.

„ Per cujus salutiferam executionem virtus Altissimi, fugatis erroribus, roborata fide, ad tramitem veritatis reductis errantibus, redintegrata ejusdem fidei unitate, extirpatis vitiis, virtutibusque plantatis, correctis excessibus, moribus reformatis, repressis oppressionibus, libertate solida stabilitate munita, recuperatis deperditis, & ejusdem Ecclesiæ statu prospero recuperato, occupata restituat, vastata restauret, & restaurata conservet. Viamque reperiat idem ipse qui novit, & facultatem tribuat, ipse qui potest, ut sic in præmissis juxta intensum animi nostri desiderium subministretur salubriter, ut idem verus ejusdem universalis sponsus Ecclesiæ ipsam dilectam suam, purgatam maculis, ornatam virtutum monilibus; ac speciosam unam semper habeat cum unico sponso vero & formosum, quam in dilecta tabernacula sua virtutum bonus Pastor, qui animam suam pro suis posuit ovibus, non habentem maculam, neque rugam, in vestitu deaurato, circumdatam veritate introducat, ac sui nominis laudem & gloriam, animarum profectum, robur fidei, sanctæ Matris & universalis Ecclesiæ exaltationem, ac pacem plebis Christianæ &c. „

In eandem fere sententiam ad eum, qui Gregorii XII. nomen sibi usurparat, scripsit, obtestatus magnopere, ne committeret, ut sua tergiversatione spem revehendæ in Ecclesiam pacis tam alieno tempore interciperet. (38)

Tum Gregorium XII.

„ Sigismundus &c. maximo desiderio jam dudum tenebamur, ut diem messis videre possemus unicam Christi sponsam Ecclesiam Catholicam debite reformatam. Postea vero cum ad Imperialia gubernacula fuissemus assumpti, id quod erat nobis in desiderio, transivit in præceptum: cum teneamur Ecclesiam per Imperiale officium tueri, cujus etiam Canones sanctorum Patrum nos appellant Advocatum & Defensorem. Itaque summo studio curavimus, ne quid negligentiæ in re hac possit nobis apud Deum, vel homines imputari. Et ob hanc rem per litteras & nuntios instituimus apud sanctissimum Dominum nostrum Papam Joannem XXIII. pro convocatione generalis Concilii loco habili & tempore congruo facienda. Quæ nostris votis annuens, misit ad nos Reverendissimos in Christo Patres, Antonium tituli sanctæ Cæciliæ Presbyterum, & Franciscum sanctorum Cosmæ & Damiani Diaconum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & Nobilem virum Manuelem Chrysoloram, Militem Constantinopolitanum, tradita eisdem

(38) Idem Ibidem.

Anno Christi 1413

„ in prædictis plena potestate. Ipsis vero ad nos pervenientibus post multa nobis cum habita super his consilia, tandem nos cum eisdem pro loco Concilii eleguimus civitatem Constantiæ Provinciæ Moguntinensis. Quem locum nos eisdem nominavimus tanquam idoneum, tutum & communem omnibus nationibus ad Concilium venturis, & in quo poterimus secundum nostrum Imperiale officium tueri omnes cujuscunque status ad Concilium venturos in plena libertate. Et insuper nos cum prædictis Legatis & Nuntiis ad initiandum præfatum Concilium assignavimus tempus unius anni, incipiendo die prima mensis Novembris nunc instantis.

„ Si ergo facere vultis, quantum in vobis est, ut Ecclesia Dei possit esse debite reformata, modum habetis, in veniendo ad præmissum locum tempore constituto cum vestris de vestra obedientia. Ubi si facere volueritis vestrum debitum Deo, mundo, vestræque conscientiæ atque nobis plurimum satisfacietis. Ad quem etiam adventum vos pro nostro Imperiali officio exhortamur, requirimus, monemus. Et super his nostras litteras vobis transmittimus, ne postea dicere, vel allegare ullam ignorantiam valeatis. Nosetiam, ut pleniorem causam veniendi habeatis, per præsentes damus vobis, & vestris plenum salvum conductum, & securitatem. Datum Laudæ &c ut supra.

1414. *Regnum tis periculum feliciter evadit.*

Hæc conantem Sigismundum capitale vitæ periculum exceperat. Bavarus origine, cujus nomen ad posterorum memoriam transmittere ob sceleris infamiam nihil attinet, ab regiis satellitibus plane tum, cum virus Sigismundo propinandum apparat, in turpissima molitione magno regis, & rei Christianæ commodo deprehensus, ac tentus est. In quæstionem vocatus, ac ut auctorem consilii tam nefarii proderet rogatus, ab Venetis se trecentorum aureorum nummum pretio emtum asseverabat, ut regi mortem machinaretur. Suomet indicio victus in carcerem retruditur, ut esset deinceps, cujus testimonio causa illustrari possit. Hæc Windeckius (39), qui tum quidem Sigismundo, quacunque iter fecerat, constanter adfuit, sed cui momento innixus id scribat, prorsus non intelligo, quando nihil omnino rationis est, cur Veneti pactis in quinquennium cum rege inductis, tam turpi machinatione infesti vitæ illius essent. Crediderim scelestissimum hominem, quo sibi attentati facinoris impunitatem, aut pœnæ diminutionem conficeret, omnem criminis invidiam in Venetos detorsisse; ex quo suspicionem obortam, & male litteris a Windeckio consignatam probabile est, quem ceteroquin, tametsi Sigismundi rebus coævus fuerit, sæpiuscule exerrasse constat.

Quo dis cessu Tridentum profectus foedera cum Legatis Franciæ init. Ea que conditiones erant.

Discusso periculi metu Tridentum profectus, oratores ab Carolo Franciæ rege missos obviam habuit. A quibus postquam honoris causa salutatum fuisset, vetera cum Carolo amicitiæ, pactaque fœdera innovavit spe ductus fore, eadem opera Anglum, cui cum Gallo acre bellum intercesserat, conciliatum iri, quæ res futuro Concilio non modo utilis, sed pernecessaria quoque fuit. Ut illa res ceciderit, postea referemus. Pacis tabulæ, quam cum Francis inierat, in has conditiones confectæ sunt. (40)

„ Sigismundus Dei gratia Romanorum rex semper Augustus, ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c Rex notum facimus universis præsentibus, atque futuris, quod nos ad memoriam reducentes Uniones, colligationes, & fœdera per serenissimos Principes Dominum Carolum quartum divæ memoriæ Romanorum Imperatorem semper Augustum, & Bohemiæ regem, genitorem nostrum carissimum pro se, hæredibus, ac successoribus Bohemiæ regibus, cum deinde per Dominum Wenceslaum tunc Romanorum, & Bohemiæ regem fratrem nostrum charissimum, pro se ac pro nobis, & Illustri Joanne quondam Duce Lusaciensi fratre nostro charissimo, nostrisque hæredibus, & successoribus Bohemiæ regibus, cum serenissimo Principe Domino Carolo quondam Francorum rege inclytissimo, cujus animam possideat Paradisus, pro se & filiis suis Carolo primogenito, tunc Delphino Viennensi, & Ludovico Comite Valesii, nec non Ludovico Andegavensi, Joanne Bituricensi, & quondam Philippo tunc Burgundiæ Ducibus Germanis suis, hæredibusque & successoribus eorum

„ fæ

(39) Hist. vitæ Sigismundi cap. XXX (40) Leibnitzii cod. diplom. pag. 307

factas, notas & juratas, eademque Uniones, alligationes, & fœdera cum serenissimo Principe Domino Carolo nunc Francorum rege inclytissimo, renovasse, & confirmasse; menti pariter non immerito reducentes, quantis favore, zelo & amore, nexibus etiam sanguinis & fœderis ad hoc ipsum impellentibus, ipse consanguineus noster Dominus Carolus quondam Francorum rex inclytissimorum progenitorum suorum vestigiis inhærendo, nos & nostram domum Bohemiæ fuerit continuo prosecutus, & præfatus Dominus Carolus nunc Francorum rex de die in diem prosequi non desistit, compellimur, tam divinæ legis institutione quam sanguinis proximitate; & præmiorum vicissitudine vicem rependere.

Anno Christi 1414.

2 Quas ob res cum eodem serenissimo Principe Domino Carolo Francorum rege consanguineo nostro carissimo, suisque hæredibus & in eodem Francorum regno successoribus, in Dei Salvatoris nomine, totius quoque Trinitatis, pro consolatione ac stabilitate regnorum, ac grata salute, nostris, suisque dominibus fidelium & subjectorum uniones, fœdera, colligationes, & promissiones, hactenus cum eo, & aliis, ut supra factæ, salva & excepta exclusione infra scripta, perpetuis roboris firmitate vigere volentes, ipsos & ipsa, sicut inter præfatum Dominum Carolum quartum, & postmodum Dominum Wenceslaum pro se, ac nobis, & charissimo fratre nostro Joanne olim Duce Lusacensi, ac hæredibus, & successoribus nostris, ac antedictum Dominum Carolum Francorum regem, & pro se, & suis hæredibus factæ, seu facta fuerunt, & in litteris desuper confectis liquidius sunt expressæ, & expressa, cum jam dicto Domino Carolo nunc Francorum rege, Ludovico primogenito Duce Aquitaniæ, & Delphino Viennensi, Joanne Turoniæ Comite, & de Portluno, ejusdem Domini Caroli Francorum regis filiis, serenissimo Principe Ludovico Hierusalem, & Siciliæ rege, Andegavensi Duce, Joanne Duce Bituricensi, Carolo Duce Aurelianensi, Philippo, & Joanne ejus fratribus, Joanne Duce Borbonii, Joanne Comite Alenconii, & Eduardo Duce Barrensi consanguineis nostris carissimis, ipsorumque hæredibus, & successoribus pro nobis ac serenissimo Principe Domino Wenceslao Bohemiæ rege Fratre nostro charissimo, nostrisque hæredibus & tam in Romanorum, quam Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ & Bohemiæ prædictis regnis, & eorum quolibet successoribus, de novo facimus, renovamus, ratificamus, & approbamus, ac etiam confirmamus.

3 Et ad horum majorem firmitatem promittimus bona fide, & sub virtute juramenti per nos ad sancta Dei Evangelia præstiti, pro nobis & hæredibus, ac successoribus nostris prædictis quod a modo in antea, & in perpetuum erimus boni, legales, atque perfecti amici ipsius Domini Caroli Francorum regis, filiorum, nepotum, & aliorum prænominatorum consanguineorum suorum, & nostrorum & quod honorem, uberem statum, commodum, & profectum eorum semper procurabimus, viis, modis, & ingeniis quibuscunque realiter & cum effectu ac universum damnum, quod ipsis vel eorum hæredibus, & successoribus in personis, honore vel rebus, seu regno Franciæ antedicto, ac etiam juribus suis per quempiam irrogari posset, quomodocunque & qualitercunque, dum ad nostri notitiam devenerit, fideliter vitabimus. Ipsosque quoque hæredes & successores suos prædictos adversus quoscunque, qui contra statum, jura, ac conditiones eorum moliti sunt hactenus, aut quomodolibet molirentur, tam in adipiscendis, quam in recuperandis, & retinendis adjuvabimus, & restaurari curabimus, ac fortificabimus totis nostra potentia, consilio, auxilio & favore, ac alio quoque modo, & realiter effectiveque nos opponemus omnibus, & singulis regibus, communitatibus, & aliis quibuscunque tam Ecclesiasticis, quam secularibus, cujuscunque status, dignitatis, aut eminentiæ existant, qui ipsorum dispendium, jacturam, ac verecundiam modo aliquo procurassent, sive deinceps procurarent; ac honorem, profectum, & statum eorum custodiemus, manutenebimus, exaltari, & recuperari procurabimus legaliter toto posse nostro.

Anno Christi 1414.

4. Et ne post hujusmodi uniones, & amoris gratam concordiam aliquæ dubietates inter nos, seu nostros utrobique, quacunque ratione, seu occasione consurgant, & ut futuris scandalis via, seu materia præcludatur, promittimus, ut supra, quod ipsos Dominum Carolum Francorum regem inclytissimum, ac cæteros prænominatos, hæredesque & successores suos præfatos in regno Francorum prædicto, ac quibuscunque ejusdem regni Principatibus, Ecclesiasticis, & secularibus, Comitatibus, Terris, Castris, Dominiis, Civitatibus, Dominiis, Prærogativis, Honoribus, Præeminentiis, ac quibuscunque Juribus, & Pertinentiis ad eundem Francorum regem, & ejusdem regni coronam, aut hæreditario, seu quocumque alio Jure spectantibus non impediemus, molestabimus, impedirique aut invadi consentiemus publice vel occulte; imo verius ad recuperandum, restituendum, manutenendum & possidendum, atque observandum prædicta, consilio, auxilio, favore, & modis omnibus contra omnes, & quoscunque, ac etiam contra Joannem nominatum Ducem Burgundiæ, ejusque coadjutores, & adhærentes præsentes, & futuros, quem, & quos in præsentibus unione, confœderatione, & colligatione, ac etiam in præmissis renovatione, & confirmatione, non obstante, quod dictus Philippus olim Dux Burgundiæ, & sui hæredes in eisdem comprehensi fuissent, & expresse nominati, exclusum, & exclusos esse, & pro excluso, & exclusis penitus haberi volumus, ope, consilio, & auxilio, postquam ad notitiam nostram pervenerit, juvabimus sine fraude. Quodque, si per inadvertentiam, vel aliter, in dictarum promissionum, obligationum, & confœderationum præjudicium, & contra ipsarum tenores factum, sive promissum quovis modo existeret, nostrorum subditorum quorumcunque, seu officiariorum ex parte, fiatque seu attentetur quandocunque in posterum; illud & illa quam primum de ipsis erimus informati, reparare, ac reparari, redintegrari, recuperari, & restaurari facere debere, & cum effectu, sub virtute prædicti juramenti per nos præstiti, promittimus, dictas quoque confœderationes, uniones, & colligationes modo & forma præmissis inviolabiliter observare.

5. Et ut hæc omnia robore & valetudine perpetuis valideatur, & confirmentur, has præsentes litteras nostras fecimus Majestatis nostræ sigilli nostri appensione muniri, nostro, & Imperii sacri Coronarum Hungariæ &c. Bohemiæ &c. in reliquis, ac alieno in omnibus Juribus semper salvis. Datum Tridenti anno Domini millesimo quadringentesimo decimo quarto, vigesima quinta die mensis Junii, Regnorum nostrorum anno Hungariæ vigesimo octavo, Romanorum vero quarto.

Ex Tridento Aquisgranum ad coronationem pergit,

Tridento in Germaniam delatus, Electores, ut præsto Aquisgrani essent, per litteras orabat, neque etiam adhuc, quam continuum Procerum instigatione Romanorum rex creatus est, Imperii corona redimitus erat. Spiræ aliquamdiu moras trahens curas futuri Concilii resumsit. Erat multorum sententia Joannem Hussum, qui id temporis novum in Bohemia virus sparserat, de heretica doctrina postulari, ac, ut infaniæ suæ rationes redderet, malumque in ortu præfocaretur, ad Concilium quoque accersi oportere. Quem cum non venturum ob pœnæ formidinem plerique suspicarentur, Sigismundus, quo nihil ad sanandum hominem prætermitteret, scriptis ad Imperii ordines litteris imperavit, ut data publica fide cum suis, quos Constantiam adducturus esset, eum impune omnino venire fuererit. (41)

Joanni Hussi fidem publicam præstari jubet, si is ad Concilium venerit.

Sigismundus Dei gratia Romanorum rex semper Augustus, & Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c rex, universis & singulis Principibus Ecclesiasticis, & secularibus, Ducibus, & Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Proceribus militaribus, militibus, clientibus, Capitaneis, Potestatibus, Præsidibus, Publicanis, Officialibus quibuscunque civitatum, oppidorum, villarum, & locorum communitatibus, ac Rectoribus eorundem, ceterisque nostris, & sacri Imperii subditis, & fidelibus, ad quos præsentes litteræ perve-

ne-

(41) Tom. MS. Hevenesiano sub lit. D. pag. 403.

„ nerint gratiam regiam, & omne bonum. Venerabiles, Illustres, Nobiles, & „ fideles dilecti. Honorabilem Magistrum Joannem Huss sacræ Theologiæ Baccalaureum, & artium Magistrum, præsentium ostensorem de regno Bohemiæ „ ad Concilium generale in Civitate Constantiensi celebrandum, in proximo transeuntem, quem etiam in nostram, & sacri Imperii protectionem recepimus, & „ tutelam vobis omnibus, & vestrum cuilibet pleno recommendamus affectu, desiderantes, quatenus ipsum, cum ad vos pervenerit, grate suscipere, favorabiliter tractare, atque in his, quæ ad celeritatem, & securitatem itineris ipsius „ pertinent, tam per terram, quam per aquam, promotivam sibi velitis, & „ debeatis ostendere voluntatem, nec non ipsum cum famulis, & equis, & aliis „ rebus suis singulis, per quoscunque passus, portus, pontes, terras, Dominia, „ jurisdictiones, civitates, oppida, castra, villas, & quælibet alia loca vestra sine ullo impedimento remoto transire, stare, morari, & redire libere permittatis, sibique, & suis, cum opus fuerit, de securo & salvo velitis, & debeatis providere conductu, ad honorem, & reverentiam nostræ Majestatis. Datum Spiræ anno Domini MCCCCXIV. die Octobris XVIII.

Anno Christi 1414.

Quæ virulenti hominis adversus fidem molitio, quis exitus fuerit, non attinet hoc loco referre. Sigismundus, quoniam tempus Concilio præstitutum mense Novembri imminebat, ne quid sui causa morarum interjici oporteret, Aquisgranum contendit. Comitabatur regem Dux Geldriæ cum quatuor equitum millibus, quod rumor in vulgus editus esset, Ducem Brabantiæ omnia moliri, ne coronatio ex more perageretur, sive ipse dignitati huic inhiabat, seu aliud in causa fuit, cur eam alteri invideret. Frustra tamen hominis conatus fuere. Sigismundus confluentibus maxima frequentia omnibus Imperii Principibus, ac ordinibus solenni ritu, & festiva Hungariæ Procerum acclamatione, qui & ipsi frequentes inaugurationi intererant, corona insignitus est (42) sexto idus Novembres, ut ipse in diplomate, quo Electori Palatino dignitatem confirmat, diserte fatetur. Visum est, tametsi ad Hungariæ res per sese non attinet, tamen quod non pauca, quæ alii prætenerant, de electione aliquot abhinc annis facta complectitur, ad annalibus inserere. (43)

Romanorum rex coronatur.

„ Sigismundus Dei gratia Romanorum rex semper Augustus, ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. rex ad perpetuam rei memoriam. Quamquam „ sublimitas regiæ dignitatis, in qua conditor orbis nos suæ pietatis clementia feliciter collocavit, jugiter mentem nostram sollicitet, ut cura pervigili, & laborum studiis accuratis nostrorum, & Imperii sacri fidelium amputemus incommoda, eisque desideratæ pacis amoenitatem salubriter procuremus, ferventiori „ tamen affectu cor nostrum accenditur penes eos, quæ sacri decus Imperii & Illustres ipsius Principes Electores, quadam singularitate, concernunt eos præcipue, quos generis nobilitas, multiplicesque virtutum insignia, & præclara fidei devotio laudabilius recommendat.

Electori Palatino dignitatem confirmat.

„ Sane alias per literas omnium Principum Electorum, & nominatim serenissimi Principis & Domini, Domini Caroli quarti Romanorum Imperatoris „ & Bohemiæ regis, velut regis Bohemiæ Venerabilium Gerlaci Moguntinensis „ per Alemaniam, Bemondi Trevirensis per Galliam, & regnum Arelatense, „ & Wilhelmi Coloniensis per Italiam, sacri Imperii Archicancellarii Archiepiscoporum Rudolfi Ducis Saxoniæ sacri Imperii Archimareschalli, & Ludovici „ dicti Romer quondam Imperatoris Ludovici filii, Marchionis Brandeburgensis „ sacri Imperii Archicamerarii; ac etiam a Principibus, Proceribus, ac multis „ aliis nostris & Imperii sacri fidelibus, informationem certissimam, & luce testimonii clariora nostra suscepit regia celsitudo, qualiter felicis memoriæ Illustris Rupertus prædecessor quondam Comes Palatinus Rheni, sacri Romani Impe-

(42) Patet id ex multis Diplomatibus, in quibus diserte eorum meminit, qui se in Imperium, Galliam, & Angliam comitati erant.

(43) Rymer Fœdera, conventiones &c. Tom. IX. pag. 173

Anno Christi 1414.

perii Archidapifer, & Bavariæ Dux, Patruus Illustris Ludovici moderni Comitis Palatini Reni, sacri Romani Imperii Archidapiferi, Principes Electores, nec non Bavariæ Ducis avunculi nostri carissimi, &, post prædictum Rupertum præseniorem, Rupertus tunc senior, avus jam dicti avunculi nostri Ludovici, sic successive, tanquam Archidapiferi ejusdem Imperii, & veri Principes Electores, ab omnibus aliis eorum Coelectoribus semper habiti, & reputati fuerunt, ac etiam voluntate, consensu, & votis aliorum suorum Coelectorum Principum, unanimiter accedentibus, claræ memoriæ, serenissimos quondam Romanorum reges, prædecessores nostros, temporibus suis, rite & rationabiliter, juxta debitam sacri Romani Imperii observantiam, in Romanorum reges elegerunt, ad Imperatoriam Celsitudinem promovendos, ac subsequenter idem modernus Ludovicus, cum aliis Coelectoribus suis modernis, retro actis temporibus, nos in Romanorum regem elegit, qui disponente eo, a quo bona cuncta procedunt, Rege Regum, & Domino Dominantium, die datæ præsentium Aquisgrani Corona regia sumus coronati; quodque præfati, Rupertus præsenior Patruus, & Rupertus senior Avus, ac Rupertus Pater dicti Ludovici quondam comites Palatini Reni, diuturna temporum præscriptione, inconcusse habuerunt, & possederunt legitime, prout etiam ipse Ludovicus in præfeuturum, ad instar illorum, ex successione paterna & hæreditaria dignoscitur justo titulo possidere, Jus, vocem, dignitatem, & potestatem eligendi Romanorum regem, in Imperatorem promovendum, sane, tam Ecclesiasticorum, quam secularium Principum, sacri Romani Imperii Electorum, consilio & consensu accedente, non improvide nec per errorem, sed animo deliberato, aliorum etiam Principum plurimorum Ecclesiasticorum & secularium, Baronum, Nobilium, & Procerum nostrorum, ac Imperii sacri fidelium, maturo communicato consilio, cupientes, auctore Domino futuris obviare periculis, & materiam omnium succidere dubitationum, de certa nostra scientia, & de plenitudine regiæ potestatis, in his scriptis pronuntiamus, decernimus, statuimus, declaramus, & etiam hoc regio perpetue valituro, sancimus edicto quod Jus, vox, dignitas, & potestas eligendi Romanorum regem in Imperatorem promovendum, eidem Ludovico Comiti Palatino Reni, tanquam Imperii sacri Archidapifero, ac Principi Electori, hæredibus & successoribus suis legitimis (Laicis duntaxat) ab eo descendentibus, quoties casus hujusmodi electionis emerserit, in perpetuum debeat competere, sicut & rite sibi, tanquam Comiti Palatino Reni, ac sacri Romani Imperii Archidapifero competit manifeste, ac ipse velut Comes Palatinus Reni, ejusdem Romani Imperii Archidapifer verus & legitimus Princeps Elector, & post obitum ejus, hæredes & successores sui legitimi, modo & forma submissis, Comitatum, & Principatum Palatinum, ac Archidapiferiam dicti Imperii sacri, de quibus ipsum die supradicta, in Aquisgrani solemniter infeudavimus, & investivimus, ac tenore præsentium, infeodamus & investimus, cum omnibus & singulis eorum terris, dominiis, proprietatibus, vassallagiis, libertatibus, honoribus & pertinentiis, in quibuscunque rebus consistant, & quibuscunque specialibus possint vocabulis designari, nec non Jus, vocem, dignitatem, & potestatem eligendi Romanorum regem in Imperatorem promovendum, sine impedimento quolibet debeant obtinere. Et ne inter hæredes, & successores ipsius, eo defuncto, super jure hujusmodi, futuris temporibus dubitationum, quæstionum, seu litium quævis materia oriatur, decernimus, statuimus & præsenti regio sancimus Edicto, in perpetuum valituro, prout hoc idem, per præfatum Dominum Carolum quartum Romanorum Imperatorem, genitorem nostrum carissimum, omnium & singulorum Principum Electorum, ac multorum sacri Romani Imperii Principum, Comitum, Nobilium, & fidelium consilio, & unanimi consensu accedente, lege & edicto Imperiali, in Aurea Bulla publice sancitum esse dignoscitur, quod, post obitum dicti Ludovici Comitis Palatini Reni & Bavariæ Ducis, primogenitus ejus filius, & post primogeniti obitum, ejusdem primogeniti senior filius ex ordine geniturae, & sic deinceps a seniore filio descendente ex ordine

„ ge-

Anno Christi 1414.

geniture, semper senior: si vero primogenitus præfati Ludovici decesserit, masculini sexus (laycis duntaxat) legitimis hæredibus non relictis, extunc secundogenitus filius Ludovici Ducis prædicti. Et, post obitum secundogeniti, filius senior laycus. Et, si secundogenitus sine hæredibus legitimis masculini sexus (laycis duntaxat) decesserit, tertiogenitus dicti Ludovici, & senior ejus filius laycus post mortem ipsius. Et deinceps, per talem modum directa linea geniture descendentes ab eo, layci duntaxat, jus, vocem, dignitatem, & potestatem eligendi Romanorum regem, promovendum in Imperatorem, & officium Archidapiferie, cum omnibus & singulis Dominiis, honoribus, juribus, privilegiis, dignitatibus, & pertinentiis, in perpetuis temporibus, obtinebunt, per successionem hæreditariam, & paternalem, ut præmittitur, ex ordine geniture. Si vero præfatum Ludovicum, modernum Comitem Palatinum Reni & Bavariæ Ducem, sine legitimis masculi sexus hæredibus laycis directa linea geniture ab eo descendentibus mori contigerit, extunc Principatus & Comitatus Palatinus Reni, nec non Archidapiferia sacri Imperii, & jus, vox, dignitas, & potestas eligendi Romanorum regem, in Imperatorem promovendum, ad seniorem fratrem præfati Ludovici, per verum paternalem lineam descendentem, & ad legitimos ejus hæredes masculini sexus (laycis duntaxat) devolvantur. Ita (videlicet) quod post obitum ejusdem fratris senioris, primogenitus ejus filius, & post primogeniti obitum, ejusdem primogeniti senior filius, ex ordine geniture, & sic deinceps ex seniore filio descendendo, ordine geniture, semper senior. Si vero primogenitus senioris fratris, ut præfertur, decesserit, masculini sexus, (laycis duntaxat) hæredibus non relictis, extunc secundogenitus prædicti fratris senioris & post obitum ejus, secundogeniti filius senior laycus. & si secundogenitus sine hæredibus legitimis masculini sexus laycis, decesserit, tertiogenitus dicti fratris senioris. & senior ejus filius laycus, post mortem ipsius: & deinceps per talem modum, directa linea geniture descendentes ab eo layci duntaxat, jus, vocem, dignitatem, & potestatem eligendi Romanorum regem, promovendum in Imperatorem, & officium Archidapiferie, cum omnibus & singulis dominiis, honoribus, juribus, privilegiis, dignitatibus, & pertinentiis, perpetuis temporibus obtinebunt, per successionem hæreditariam & paternalem, ut præmittitur, ex ordine geniture; quibus omnibus non extantibus ad proximiorem hæredem, secundum lineam paternalem (duntaxat laycum) seniorem Comitem Palatinum Reni pro tempore, ac ejus hæredes, secundum eundem modum superius expressatum, in perpetuum, legitime devolventur in futurum. Et talis successio & devolutio, ne in his committantur errores futuris temporibus, debet, ut præmittitur, in omnibus præscriptis, & singulis sine innovatione, perpetue, inviolabiliter observari; taliter (videlicet) quod, si aliquem ex eis, modo præmisso, ab hac luce migrare contigerit, qui masculini sexus hæredes legitimos laycos post se relinquet, debite pubertatis status defectum, extunc senior frater, nepos, aut consanguineus proximior in linea geniture, si frater non extiterit, ejusdem defuncti (laycus duntaxat) dicti pupilli & juvenis, ad quem præscripta devolventur, de jure tutor esse debeat & curator tam diu, donec debitam pertingat ætatem: cui etiam juveni, quam cito ad ætatem debitam pertigerit, jus, vocem, dignitatem, & potestatem prædictæ Electionis, ac omnia & singula ab eis dependentia, idem tutor sine difficultate & renitentia qualibet, tenebitur, & debebit protinus assignare: ætatem autem debitam in hoc casu eligendi, videlicet Romanorum regem, in Imperatorem promovendum, decem & octo annorum censeri volumus & haberi; in Principatibus autem, Ducatibus, & Dominiis aliis temporalibus gubernandis, ætatem observandam decernimus, prout a divis Romanorum Imperatoribus, & Regibus nostris prædecessoribus est sancitum. Porro ne super jure, voce, dignitate & potestate Electionis hujusmodi, nec non Principatibus & officio Archidapiferiæ, & aliis prædictis ullo unquam tempore, contingat scandala suscitari, vel altercationem

K k

Anno Christi 1414

» prius valeant novitates, de regiae plenitudine potestatis, & de certa nostra scientia, omnia, & singula praemissa, prout in suis clausulis, membris, articulis, atque punctis superius designatur, auctorizamus, nec non omnia & singula privilegia, donationes, ac concessiones quaslibet, per divos Romanos Imperatores & reges praedecessores nostros, & nos, dicti Ludovici progenitoribus Comitibus Palatinis Reni, & sibi quomodolibet factas, datas, & concessas auctorizamus, approbamus, ratificamus, & tenore praesentium de certa nostra scientia confirmamus, supplentes de praefatae regiae plenitudine potestatis, omnem defectum, si quis in praemissis, aut eorum aliquo, ex verborum defectu, sententiarum obscuritate, solemnitatis ommissione, seu alio quovis modo nunc & in antea, repertetur admissus.

Nulli ergo penitus hominum liceat hanc nostrae pronunciationis, decreti, statuti, declarationis, sanctionis, infeudationis, & investiturae, auctorizationis, approbationis, ratificationis, confirmationis, & defectuum suppletionis paginam infringere, aut ausu temerario quomodolibet contraire, sub poena mille marcarum auri purissimi, quas ab eo, qui contra fecerit, toties quoties contra factum fuerit, irremissibiliter exigi volumus, & earum medietatem regalis nostrae Camerae fisco, residuam vero partem injuriarum passorum usibus applicari. Testes hujus rei sunt, Venerabiles, Wernherus Trevirensis sacri Imperii per Galliam, & regnum Arelatense, Theodoricus Coloniensis sacri Imperii per Italiam, Archicancellarii, Archiepiscopi: Illustres Rudolfus Dux Saxoniae, & Luxemburgensis sacri Imperii Archimarscallus, Reynaldus Dux Juliacensis & Geldriae, Fridericus Burggravius Nuremburgensis, Georgius Pataviensis, Joannes Herbipolensis, & Rabanus Spirensis, Episcopi: Adolphus de Clivis, Emicho de Lyningen, Fridericus de Veldenz, Joannes de Kazenelnbogen, Joannes de Wertheim, & Thomas de Ryneck Comites, & alii quam plures nostri & Imperii sacri Principes, Nobiles, & fideles praesentium sub nostrae Majestatis sigilli testimonio litterarum. Datum Aquisgrani, anno Domini millesimo, quadringentesimo decimo quarto, ipsa die coronationis nostrae, quae fuit octava Novembris, Regnorum nostrorum anno Hungariae &c. vicesimo octavo, Romanorum vero electionis quinto. »

Regis conjux corona ... demissa ... gitur.

Eadem opera, si Windeckius rem rite consignavit Barbara, Sigismundi conjux, ex Hungaria Aquisgranum cum splendidissimo Optimatum Comitatu accita, Romanorum Regina imposito diademate salutata est. (44)

1415. Turbae a Friderico Austriaco obortae.

Peracto inaugurationis ritu Constantiam cum plerisque Proceribus, qui solemnitati intererant, accelerato per Moguntiam, & Norimbergam itinere ad Concilium rediit: cui cum in exitu prioris anni VII calendas Decembris interesse satis pacate datum fuisset, repente in principio sequentis tam atroces turbae exortae sunt, ut a rebus sacris, quarum causa conventus indictus erat, paene omnium curae ad bellum traducerentur. Joannes, quem post Gregorii, & Benedicti exauctorationem Roma cum Italia, & pleraque Germania sectabatur, a Friderico Austriaco Constantiam adductus, ex improviso, cum sibi a Concilii Patribus male metueret, ejusdem opera tenui lembo per lacum Brigantinum Schafhusam evasit. Ut intempestiva hominis fuga cognita est, fremere omnes, ac queri, quod negotium tam arduum, & reipublicae Christianae necessarium, cujus initia tam feliciter se dedissent, fuga sua perturbaret. In Fridericum, quod fugae auctor habebatur, irae omnium, praecipue Sigismundi reciderant. Itaque dies illi dictus, ad quem si coram Synodo, & Caesare non compareret, publicatis bonis Ecclesiae, & Imperii hostis haberetur: paullumque post, cum morem non gereret, obmoto a plerisque Imperii Principibus bello, ditionibus in Suevia, & Helvetia exutus. Imparatus ad hostes propulsandos, & quod Joannis potius, quam suo arbitrio peccasset, Constantiam ad Sigismundum rediit, faciliique Ludovici Palatini, & Friderici Norimbergensis Burggravii opera, veniam ea conditione obtinuit, ut adducto Constantiam Joanne, se, suaque Caesaris potestati permitteret.

(44) Hist. vitae Sigismundi cap. XXXI.

rex. Joannem haud multo post Ratolficellam adduxit, se vero, ac ditiones suas in Sigismundi arbitrio futuras litteris in hunc modum testatus est. (45)

Anno Christi 1415

Mutua conventione sopiuntur

Nos Fridericus &c. recognoscimus &c. quod cum serenissimi Principis indignationem incideremus, venimus in propria nostra persona ad conspectum dicti Domini nostri regis Constantiam. Et nos, personam nostram, territoria, homines, civitates, fortalitia, & quidquid habemus, & tenemus, nihil excepto, ad suam regalem gratiam dedimus, & ponimus vigore praesentium taliter, quod ipse nobiscum, & cum eis facere, & ordinare possit pro suae regalis libito voluntatis. Quidquid etiam quaelibet persona, vel personae Ecclesiasticae, vel Seculares, Nobiles, vel Ignobiles, in quacunque dignitate, vel statu constitutae, nemine excepto, contra nos habet occasionem pro quacunque causa, nulla excepta, hoc totaliter ponimus & dedimus in arbitrium dicti Domini nostri regis, sic & taliter, quod, quidquid ipse Dominus noster rex jusserit, vel hujusmodi ordinaverit, & dictaverit, pro sua voluntate per nos erga quemlibet faciendum quod illud facere, & adimplere, & finire debeamus absque omni dilatione & contradictione. Debemus etiam, & volumus facere, & procurare Papam Joannem ad Constantiam, seu alibi, quo Dominus noster rex voluerit, praesentare, aut facere praesentari ad manus, & potestatem dicti Domini regis, & sacri Concilii, quod praesentialiter Constantiae celebratur. Sperantes, quod juxta verbum regium desuper nobis factum, quod dictus Papa Joannes, & omnes secum venturi Constantiam, aut alium locum deputandum, suarum vitae, & rerum ad eos pertinentium, quas secum ad hujusmodi locum duxerint, sint securi. Et si dictus Papa Joannes de Papatu depositus fuerit, vel cesserit, tunc in voluntate praefati Concilii stabit, quomodo eidem de statu suo provideatur. Nos etiam volumus, & debemus in Hostagio Constantiae manere, quousque Papa Joannes Constantiam, aut alibi, quo praefatus Dominus rex deputaverit, pervenerit, ut supra dictum est. Et quousque omnes, & singuli Officiales, Cives, & Incolae Munitionum, Civitatum, & Territoriorum in Suevia, Alsatia, partibus Brisgoviae, Comitatu Tyrolis, circa Athesim, & Valle dicta Inthal, praefato Domino nostro regi, & Imperio sacro fidelitatem promiserint, & juraverint in sancta Dei Evangelia ipsum respicere, & sibi obedire, donec omnia, & singula per nos totaliter, & effectualiter facta fuerint, & adimpleta. In quo & praefati Domini nostri regis simplicibus verbis, litteris vel intimationibus absque probatione alia debent contentari, aut quousque idem Dominus noster rex eosdem fidelitatum, promissionum, & juramentorum hujusmodi per se, vel suas litteras nuntiaverit absolutos. Et in casu, quo praemissa in toto, vel in parte non faceremus, & impleremus, seu quomodolibet contraveniremus (quod Deus avertat) ex tunc praefatae Civitates, Munitiones, Territoria, & homines nostri praefato Domino nostro regi, & sacro Imperio totaliter devolvantur, & demum eidem tanquam justo, ordinario, & naturali Domino suo subjiciantur, & obediant, nostra, & cujuslibet alterius contradictione non obstante omnibus fraude, dolo, & nequitia totaliter cessantibus in praemissis. Et istud ad omnem firmitatem promisimus nostra Principatus fiducia, & ad sancta Dei Evangelia juravimus virtute hujus litterae totum id, quod supra scriptum est, faciendum, & adimplendum totaliter, & cum effectu. Et in testimonium istius sigillum nostrum ad Litteram cum matura nostra deliberatione apposuimus. Et quia nos etiam istud praescriptum totum de nostra propria, & libera voluntate fecimus, propterea rogavimus illustres Principes, Ducem Ludovicum Comitem Palatinum Rheni, Ducem Bavariae, & Gristinum de Morcy nostrum dilectum avunculum, & Burggravium de Nuremberg nostrum dilectum Sororium, quod quilibet eorum, suum sigillum ad testimonium omnium, & singulorum praemissorum ad praesentem litteram apposuit, eosdem indemnes tenendo. Datum Constantiae . . anno Domini MCCCCXV.

(45) Philippi Labbe S. J. Collect. Regia Concil. Tom. XII pag. 51 Et Windeckius cap. XXXV.

Anno Christi 1415

Domus Brandeburgicæ origo.

Ceterum Fridericus Nornbergæ Burggravius, cujus opera Austriæ Duce Sigismundo conciliatus est, ex Hoherzollerorum Comitum prosapia fuit, eodemque anno Electoris dignitate, & Archi-Camerarii prærogativa ornatus Marchiam Brandeburgensem dono ab Hungariæ rege accepit. Inde initium potentiæ, ad quam domus Brandeburgica magnis deinceps incrementis, sensimque ad regiam, qua hodie floret, dignitatem assurrexit.

Affertur regi Hungari clades accepta a Turcis primum,

Redintegrata cum Friderico Austriæ Duce amicitia, tristissimus regi ex Hungaria de gemina suorum clade nuntius affertur. Hervoya, quem a Sigismundo patre, quam in Germaniam abiisset, Spalatensi Ducatu privatum narravimus, acceptæ, ut interpretabatur, injuriæ parum patiens, Turcorum accola ex Thracia evocarat, ut dominationem, cui usu ipso insueverat, contra regis voluntatem tueretur. Major illorum copia fuit, quam ut stipendia Barbarorum avaritiæ sufficerent: itaque ne quid turbarum oboriretur, in Bosnium Hungariæ subjectam rapacissimos mortalium crebro emittebat, ut partim spoliis datam facilius parerent, partim ne occupatis cum hoste, seditionis, ut metus erat, concitandæ otium olim superesset. Fuerque illis ea res aliquamdiu impune, quoad Hungari, collecto exercitu, in Bosnium profecti hostem a latrocinandi studio ad conferenda arma reflexissent. Copiarum Ductores Joannem de Gara, Joannem de Maroth, & Paulum Csupor de Monoszló fuisse comperio, qui, ut primum in Bosnium ventum est, pugnæ copiam sponte hosti fecere. Concursum est prælio acerrimo, quod non solum a vincendi gloria, sed veteri etiam odio inflammatis signa utrinque conferrentur. Nostri, ut numero, ita virtute in principio quoque prævalebant, neque, nisi Hervoyæ dolo, victoriam, quam prope certam tenebant, amisere. Cum enim maxime pugna callebat, bonam militum partem vicinos collis petere imperat, ibique elata voce Hungaros, conclamata rebus fugere, vociferari jussos, in eud... præsidio latus impetum facere, spe fretus, aut commento illo hostem turbatum, languidius dimicaturum, aut, si improvisa in latus aggressio feliciter cederet, in fugam vertendum iri. Neque consilium optato eventu caruit: nostri in maximo dimicationis ardore partem suorum in fugam conjectos esse rati, ne a victore concluderentur, pedem retulere. Hoc errore cæteri, qui pugnam strenue protrahebant, auxilio destituti pene omnes cæduntur; pauci capti, inter quos ipsi Duces, Gara, & Marothius ingentem auri summam pacti, in libertatem deinceps ab suis vindicati sunt. Csuporius culeo insutus, ac in flumen præceps actus, pœnam temeritatis dedit, quod Hervoyam olim, cum in aula Sigismundi versaretur, ob agrestes hominis mores, simulata bovis voce, cum forte fortuna obvius illi factus est, salutaret. (47)

Tum a Valachis

Hanc alteram eodem anno cladem in Valachia Transalpina excepit. Parebat Vallachorum gens duobus Principibus, ut sanguinis necessitudine conjunctis, ita animo ob dominandi libidinem, qua alter alterum ex fastigio dejectum volebat, separatis, ac plane infensis. Uni Daano, alteri Marke nomen erat. hic ab illo Turcorum, quos in suppetias advocarat, auxilio victus, ac ditionibus exutus, ad Hungaros confugit, se in eorum potestate futurum pollicitus, si regis ope in provincias restitueretur. Sigismundus quamquam insignem hominis perfidiam jam multo ante perspectam habuisset, tamen ne Turcis porro grassandi causam obtulisse videretur, Stephano Losonczio in mandatis dedit, ut conflatis summa celeritate copiis, in Valachiam profectus dissidentes conciliaret, aut, si nullus redintegrandæ amicitiæ locus esset, controversia armis diremta Wayvodam in pristinam dignitatem reponeret. Sed optimum regis consilium infelix plane exitus destruit. Losonczius tentatis frustra Valachorum animis, rem prælio committens tam parum auspicata fortuna dimicavit, ut dissipato magnam partem exercitu, captoque, ipse cæsorum numero pars nobilissima accederet. (48)

1416 Hic Sigismundus versus Hyspaniam iter arripit

Perculit quidem Sigismundum utriusque cladis nuntius, a cura tamen, qua ad complanandas Ecclesiæ dissensiones ferebatur, revocare non potuit. Neque tamen

(47) Thwrocz Part. IV Cap. XVI.
(48) Idem ibid. Cap. XVI

Anno Christi 1415.

tamen, quemadmodum optarat, res isthic se se dabant, quod Petrus de Luna, qui Benedicti XIII. nomen usurparat, spreta Concilii auctoritate, in Catalaunia resisteret, neque dignitate, quod ad sopiendas factiones maxime necessarium erat, se abdicare vellet. Sigismundus, ut hominis pervicaciam precibus molliret, aut minis frangeret, rogatis prius patribus, ne quid propterea demitterent animos, sed res sacras, quarum causa convissent, diligenter tractarent, in Hispaniam ire constituit, ut collato cum Arragoniae, & Castiliae regibus consilio, quies Ecclesiae redderetur. Facto per Basileam, & Genevam itinere in Occitaniam delatus, summa honoris significatione ab Narbonensi Episcopo acceptus est, & quod Sigismundo ante omnia id temporis opportunissimum fuit, sex aureorum nummum millibus, quos coronatos dicunt, exceptus. Hic accepto publicae fidei ab Hispanis vadimonio, Perpinianum, principem Ruscinonensis provinciae urbem, tenuit, in qua ab Arragoniae, & Castiliae regibus honorificentissime salutatus, Oratores Franciae, quos Carolus VI. isthuc miserat, reperit. Nihil tamen ad tranquillitatem publicam, cujus causa regum conventus in primis spectabat, profectum est, quod Legati Franciae Petrum de Luna clandestina machinatione in proposito confirmare non obscuris indiciis viderentur. (49)

Hic commorantem regem Legati a Friderico Austrio Wilhelmus Conringius, & Ulricus cum duobus Vallonibus, itineris socii, conveniunt, oratum, ut ditiones, quas anno priore in fidem receperat, restituere ne gravaretur. Non erat Sigismundus magnopere invitus, praesertim, quod Fridericus Joannem, quemadmodum se facturum pollicitus est, Constantiam reduxisset, jamque ad Imperii ordines mandata eam ob causam daturus erat, cum ab Duce Heidelbergensi per literas admonetur, a Vallonibus, quos Legati secum adduxissent, ut sibi etiam, atque etiam caveret, perditissimos homines pro induciis, & amicitia, quam peterent, nocentissimum virus afferre: rem illam, a quo emissent, judicio Constantiae proditam, neque Legatos turpissimi facinoris, quod molirentur, prorsus ignaros videri. Itaque, si sibi consultum vellet, Oratores ne admissos quidem quantocyus facessere juberet. Sive id re ipsa fuit, seu alii, multos enim Fridericus adversarios ex Imperii Principibus habuit, de industria fabulam commenti sunt, Sigismundum Legatos gravi oratione acceptos, si vitam servatam vellent, intra praestitutum tempus, non modo ex urbe, sed ditionibus quoque, quae illius imperio parebant, re infecta abire jussit. (50)

Diffidentia quae igitur adversa, utraque pericula,

Sub haec de concilando inter Anglos, & Gallos foedere diligenter actum est, neque inviti oratores erant, si conditionibus, quae Carolo regi probrosae non essent, confieri posset. Angli enim magnam in Francia ditionum partem armis occuparant, quas Galli pacis titulo recuperare, Angli contra jure belli in provinciam redigere optabant. Ac tum plane, cum de ineundis foederibus Perpiniani agerent, nova supplementa, classemque in Franciam traduxere, & in mediterraneas urbes pleno victoriae cursu grassabantur. Ea res, quanquam coeptum negotium penitus diseussit, Sigismundo tamen spes haud levis oborta est, Anglum, si legatione conveniretur, mitigari, ac foederum tractationem resumi posse. Itaque ex familiaribus suis Nicolaum de Rybaycz, & Hartungum Cluxium, quorum ille Hungarus, hic Germanus, uterque autem Anglorum linguae peritissimus erat, in Franciam mittit, qui tentatis utrinque animis periculum facerent, num pactis inter dissidentes induciis, quoad ipse adventu suo controversiam componeret, armorum cessationem impetraturi essent. Et apud Anglos, quod foeda lues promiscue in homines, ac jumenta grassaretur, faciles aures nacti, rem propemodum ex sententia confecerant, nisi Galli, intellecto Anglorum copias tabe pestifera laborare, in spem victoriae erecti, aliquanto, quam sperarant, legatos illiberalius habitos rejecissent. Itaque res utrinque ad arma rursus spectare. Galli in primis tempore utendum rati, conflato exercitu Anglis castra

Pacem inter Anglos, & Gallos conciliare nititur.

Eam ob causam Legatos in Franciam praemittit.

(49) WINDECKIUS cap. XXXVII. Et rex in Diplomate, quo pacem cum Henrico Angliae rege sancit, satis aperte arguit.

(50) WINDECKIUS cap. XXXVIII.

Annus Christi 1416.

His ipse mox consequitur

castra opponere, sic tamen, ut pugnæ copiam negarent, quod fame, famaque confectos deditionem facere oporteret. Sed Anglus cognito, quo hostis ea cunctatione evaderet, spem omnem in celeritate sitam videns, ægrus, qui castra interim tuerentur, relictis, integros in aciem educit, factoque in Gallos impetu magnos animis prælium auspicatur. Pertinax, & sanguinaria in principio pugna fuit quod Galli & numero, & locorum positu prævalerent: ad extremum incredibili Anglorum virtute loco moti, ac in fugam magna suorum cæde conjecti, castra cum impedimentis, & quod præcipuum fuit, spem obtinendæ ab irato victore pacis intempestive gloriæ studio amisere. (51)

Victoriæ nuntius Perpinianum allatus, consilium Sigismundo conveniendi Franciæ regis suppeditarat, quem ex infelicis prælii eventu, ac recordatione molliorem ad tractanda fœdera futurum sperabat. Fuere ac in primis Comes Sabaudiæ, paullum post Ducis honore ab Sigismundo exornatus, tum Rhodiorum militum Magister, quibus id vehementer improbaretur: neque enim, nisi publicam prius fidem a Francis accepisset, tutum satis iter apparebat, neque consultum satis videri: si Anglos a victoriæ fructu alieno tempore ingratus revocaret, facileque suspicionem præbiturum esse, ut, tanquam in alterutram partem factior, non solum diffidentes non conciliare, sed majori factionum studio implicare videretur. Sed Sigismundo, qui, si res in Gallia parum ex sententia evenirent, in Angliam trajicere constitutum habebat, frustra hæc obmovebantur. Comparatis ad iter rebus, & præmissis, qui se venturum Carolo nunciarent, Avinionem profectus est. Hic tres hebdomadas commoratus, Eberhardum Windeckium, ex quo res hujus temporis fere depromsimus, Genevam misit, ut eam summam, quæ tam longinquæ viæ sata esset, data fide, suoque nomine ab urbis illius civibus mutuam acciperet: tum singulari honoris significatione ab Avinionensibus dimissus, paucos post dies Lugdunum tenuit. Qua in urbe cum aliquot dierum moram traheret, adsunt a Carolo Legati, cum honoris causa, tum propterea quoque missi, ut Sigismundum ad conciliandam cum Anglo pacem, &, si modo id per curas illi liceret, Parisios venire ne gravaretur, regis nomine exorarent. Annuit postulatis Sigismundus, iterque accelerans, haud procul Lutetia ad fanctū Dionysii magna Galliæ Principum concursatione ab Carolo acceptus est. Extractis inter mutua salutationis officia diebus aliquot de fœderum rationibus consultationes habitæ, & conditionibus, quas Sigismundus in medium propesuerat, a plerisque subscriptum. Fuere tamen, qui Carolo auctores erant, ut, quas judicio suo ratas habuisset, tanquam auctoritate sua, regnique juribus utiquas irritaret.

Persuasque rege in Angliam trajecit.

Sigismundus, ne paucorum protervia suscepti hactenus labores frustranei essent, communicata cum rege sententia Lutetiam relinquens, Caletum discessit, ut illinc in Angliam profectus pacis tractationem penitus absolveret. Inde secunda usus venti paucarum horarum spatio, cum mille & quadringentis Hungaris equitibus fretum Britannicum trajecit, & ad litus feliciter appellens, ab Henrico & duobus regis fratribus numerosa Procerum corona stipatus, exquisita prorsus pompa, & populi certatim affluentis lætitia acceptus est. Londinum deductus Westmonasterium, regum id temporis domicilium, Tamesi fluvio additum, honoris causa incoluit. (52)

Hic ab Gallorum levitate pacis tractatio adhæret

Fuere in comitatu regis, qui Oratorum numero fungerentur, Dux Baruensis, & Rhemensis Episcopus, partim ut, qui nuperno prælio in Anglorum potestatem venere, Gallos in libertatem assererent, partim ut fœderum conditiones, quas Sigismundus cum Anglis pacturus erat, Caroli nomine ratas haberent. Jamque difficillimi negotii tractatio ad finem vergebat, cum ex improviso nuntius Parisiis advolat, qui regem pacis conditiones, quas se servaturum prius Sigismundo receperat, omnino infectas velle significarat, vetuitque, ne porro fœderum causa quidquam cum Anglis tractaretur. Ea Gallorum levitas ingentes Sigismundo curas

(51) WINDECKIUS cap. XXXIX. & XL.

(52) Idem cap. XLI. qui hanc narrationem ad annum 1417 refert: multo tamen diplomati, quod infra proferam, quam huic fidem habeat.

Anno Christi 1416.

curas confstvit, quod Angli haud fatis bona fide fecum agi exiftimarent, & de auctore fimulati fœderis vindictam fumturi non obfcure viderentur. Edoctus de re Sigifmundus, clam nuntios ad Wilhelmum Hollandiæ Ducem abire jubet, in quo periculo verfetur, explicat, orat, ne fe pro veteri neceffitudine deftitutum velit, difcrimen, quod fibi immineret, ad univerfum Imperium pertinere, ex quo fi dilos opera emergat, fervati regis laudem penes fe integram prorfus manfuram. Wilhelmus ut Sigifmundi periculum comperit, continuo cum viginti, ac quatuor triremium claffe folvens haud procul Tamefis oftio appellit, regemque Weftmonafterii conveniens, pollicitus eft, fe eum ex Anglia educturum, fi tempus navigationi opportunum inutili mora non corrumperet. Sed nefcio, qui factum fit, ut Hollandus parum eorum, quæ promiferat, memor fecundam auram nactus, foluta repente ex portu claffe, regem deftituerit nifi forte, quod fimile vero eft, Anglorum five minis, feu præmiis etiam, territum, corruptumque fuiffe fufpicemur. Certe abitus fimilis fugæ fuit. (53)

Itaque se fœdere cum Anglis junxit.

Sigifmundus fibi uni relictus, ad hæc haud fatis pro dignitate, quemadmodum prius fidem dederat, a Carolo habitus, ut fe periculo, nulla honoris jactura, expediret, facile in eam fententiam adductus eft, ut fœdus cum Henrico Anglo adverfum Gallos fanciret. Fœderis tabulas his pactis definire placuit. (a)

Fœderis tabulæ & ipsius conditiones.

„ Sigifmundus Dei gratia Romanorum rex femper Auguftus, ac Hunga-
„ riæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galiciæ, Lodomeriæ, Comaniæ,
„ Bulgariæque rex, ac Marchio Brandeburgenfis, nec non Bohemiæ & Lucem-
„ burgenfis hæres ad perpetuam rei memoriam. Debito charitatis, quæ non fua
„ funt quærit, fummaque rei Ecclefiafticæ, ac libertatis publicæ neceffitate cogen-
„ te, quæ fine univerfali periculo negligi non poterat, nec poftponi, excitati ab
„ intimis, & ftudiofæ follicitudinis inftantia propulfati, ut negotium unionis fanctæ
„ Matris, & univerfalis Ecclefiæ profperum, divina favente clementia, fortire-
„ tur effectum, in quo tanto tempore fuerit, & labore fudatum, & ut ipfius fa-
„ crofanctæ Matris Ecclefiæ illibata unitas reformaretur, nulla recidivæ tempe-
„ ftatis naufragia deinceps incurfura, fed rediret ad Ecclefiam ipfam fua confulta
„ libertas, populufque Chriftianus fub unico fummo Pontifice in amplitudine gau-
„ diorum refpiraret, qui ex divifione Ecclefiæ anguftis moleftiis, & moleftis an-
„ guftiis diutius fufpiravit, & ne Ecclefiafticæ pacis tranquillitas aliqua turbaretur
„ tempeftate bellorum, ad inquietudines, & differentias inter Franciæ, & Angliæ
„ regna refurgentes mitigandas, Karolum regem Francorum multa diligentia pal-
„ favimus, ut ad pacem folidæ reformationem cum fereniffimo Principe Henrico,
„ Dei gratia Angliæ, & Franciæ rege, ac Domino Hiberniæ fratre noftro præ-
„ chariffimo, intendæ animum flecteret, vel faltem treugas iniret congruentes, &
„ poft multa præambula ad pacis tractatum facientia, concepti, prælocuti, appun-
„ ctuati fuere, & concordati nonnulli articuli, quosdam probabiliter inductivi,
„ & fub noftro, nec non illuftris Guilhelmi Ducis Bavariæ, Comitifque Hano-
„ niæ &c. confanguinei, & fidelis noftri dilecti, fignetis eidem Francorum regi
„ directi, fuper quibus capta deliberatione, per fua fcripta idem Karolus rex
„ nobis fcripfit, quod articulos ipfos matura confilii tam fuæ regalis profapiæ,
„ quam aliorum de fuo magno concilio deliberatione præhabita, ex parte fui,
„ prout in dicta cedula continebantur, adimpleri decrevit, fed facti experientia
„ aliud terminis advenientibus manifefte demonftravit, ymmo fumta occafione,
„ tanquam difcordiæ amator, & fchifmatis antiqui alumnus, detrectavit pacem
„ acceptare, quam inquirere fe afferebat, ut machinatione peftifera pacificum
„ ftatum, & coadunationem Ecclefiafticam difturbaret, ficut recolitur fuiffe per
„ ipfum retroactis temporibus Schifma in Ecclefia Dei factum, & nutritum, fed
„ & noviffime nos in multis, præcipue Perpiniani in regno Aragonum, in unio-
„ ne Ecclefiæ fanctæ Dei deductis tractatibus, & parliamentis, per occultas fuo-
„ rum Ambaffiatorum practicas, ad difturbandum coadunationem Ecclefiafticam,
„ perperam attemperatas, facta experientia docuit, & palpatæ veritatis eviden-
„ tia

(53) Idem cap. XLII. XLIII. & XLIV. (a) Rymer Fœdera, convent. &c. Tom. IX. pag. 377.

Annus Christi 1416.

ita instruxit: quid plura? Idem ipse rex Francorum, & ceteri Principes prosapiæ, ambitiosos, & cupiditatis oculos, & manus rapaces in messem alienam mittentes, plurima bona, & terras, ac jura ad nos, & sacrum Romanum Imperium de jure pertinentes, & pertinentia, propria auctoritate pro se a dudum usurparunt, & detinent occupata, nec illas, & illa curaverunt hactenus a nobis, & Sacro Imperio, prout merito debuissent, & deberent, recognoscere: sed & præfatus frater noster Henricus, Angliæ, & Franciæ rex, ac Dominus Hiberniæ nobis, vicibus frequentatis dedit intelligere, quod & sibi in occupatione plurium jurium suorum, & terrarum occupatione violenta multipliciter injuriati fuissent, sicut & nos jam in pluribus desuper experti notorie docent occulta certitudo, & clare liquet cuilibet rationabiliter, & recte considerantis, pacem expetitam per ipsum regem Francorum, pro qua inter ipsum, & prædictum Angliæ, & Franciæ regem, fratrem nostrum carissimum reformanda, labores a tanto tempore, circa videlicet fere per decursum dimidii anni, pro parte sua invitati, & excitati, & studia adhibuimus sollicitudine indefessa, sed minime proficere potuimus, sed magis diludria experti, & delusiones nos volentes contra talia machinamenta, potissimum pro conservatione, & reformatione pacis Ecclesiæ sanctæ, recuperatione nihilominus jurium utriusque nostrum unita virtute, in nomine Domini exercituum nos mutuo firmare, & in tempore dolis, fraudibusque obviare; his, & aliis considerationibus moti, cum præfato serenissimo Principe, rege Angliæ, & Franciæ, ac Domino Hiberniæ, amicitias, alligantias, & confœderationes bonas, firmas, reales, & perpetuas, promisimus, inivimus, & concordavimus, qui etiam una nobiscum promisit, iniit, & concordavit in vim, formam, & effectum, quæ sequuntur.

In primis, quod nos Sigismundus Dei gratia Romanorum rex semper Augustus, ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. rex ante dictus, & successores nostri, Reges Romanorum, qui pro tempore fuerint, & idem serenissimus Princeps Henricus, Angliæ, & Franciæ rex, ac Dominus Hiberniæ, hæredes sui, ab ipso legitime procreandi, & descendentes, &, si hæredum solatio, & propagatione præfatum præcarissimum fratrem nostrum Henricum regem destitui, divino nutu, in quo vivimus, movemur, & sumus, orbari, ac decedere contingeret, per consequens etiam Illustres Principes, Thomas Clarenciæ, Joannes Bedford, & Humfridus Glocestriæ Duces, consanguinei nostri amantissimi, fratres videlicet Germani præfati amantissimi fratris nostri Henrici regis, hæredes ipsorum, directeque, & naturali ordine, & jure sibi invicem succedentes; immo femine prosapiæ ipsorum, quod absit, prorsus deficiente, etiam successores ipsorum in regno Angliæ, qui pro tempore fuerint, invicem boni, firmi, & stabiles in perpetuum erimus, & erunt amici, alligati, & confœderati, pro nobis, & successoribus nostris, Romanorum Regibus, & Imperatoribus, Imperio, regnis, terris, & dominiis, subditis & vasallis nostris quibuscunque, contra omnes homines, cujuscunque gradus, status, dignitatis, aut conditionis existant, & contra omnes homines, qui vivere, aut mori possint, excepta sacrosancta Ecclesia Romana, & Romano Pontifice, qui pro tempore fuerit. Item, quod nullus nostrorum successorum, aut hæredum nostrorum quorumcumque, dignitatis, seu regalis coronæ, honoris, seu status, quidquam amittat, aut damnum in persona, imperio, regnis terris, rebus, aut dominiis pati possit; vel injuriam, & si quod damnum, præjudicium, vim, vel fraudem alter alteri inferri, aut procurari viderit, aut concipere possit, ipsa, & ipsorum quodlibet pro posse impediet: & si hoc impedire nequiverit, quam citius alter alteri revelabit. Item, quod tam nos, quam etiam hæredes, & successores nostri prædicti, commodum, & honorem cujuscunque nostrum, Imperii, regnorum, terrarum, & dominiorum nostrorum, cessantibus dolo, & fraude quibuscunque, procurabimus bona fide, & vasallos, ac subditos nostros, præsentes, & futuros procurare faciemus, pro locis, & temporibus opportunis. Item, quod neuter nostrum, nec aliquis successorum, vel hæredum nostrorum prædictorum, qui pro tempore fuerint, vasallos, aut subditos nostros, aut suos,

per

per se, aut cum aliis, arma contra aliquem, successores, vel hæredes nostros, aut suos levare, vel guerram facere permittet, sed ipsos, si arma levaverint, aut levari vellent, impediet juxta vires & in casu, quo alter nostrum, aut aliquis successorum, vel hæredum nostrorum prædictorum hoc facere non posset, hoc quilibet nostrum successorum, & hæredum nostrorum alteri revelabit, & nostra, & eorum communi potentia, & unitis viribus talia attentantes reprememus, aut reprimi faciemus. Item quod nos reges antedicti, successores, & hæredes, subditi, & vasalli nostri, & successorum, & hæredum nostrorum in, & ad Romanum Imperium, regna, terras, Dominia, civitates, villas, oppida, & castra alterius nostrum successorum, & hæredum nostrorum salvo, secure, libere, & absque impedimento, quocunque venire, per ea transire, & in eis exspectare, & mercandizare, ac de eis exire, nec non & ad lares proprios redire possimus & possint, tam per terram, quam per mare, & aquas, solvendo custumas, gabella, & deveria, pro tempore debita, & consueta, observando semper leges, & consuetudines regnorum, terrarum, & partium, ad quas nos, aut ipsos applicare, aut in quibus conversari contigerit. Item, quod nullus nostrum successorum, vel hæredum nostrorum, quorumcunque rebelles, bannitos, aut proditores alterius infra Imperium, regna, terras, & Dominia alterius scienter receptabit, aut ipsos receptari sinet, sed quam citius de rebellione, banno, aut proditione hujusmodi alicui nostrum constare poterit, ab Imperio, regnis, terris, & dominiis suis removebit, proviso semper, quod mercatores quicunque, qui ad Imperium, regna, terras, & dominia nostra applicare voluerint, in mercandizando liberi, & quieti existant, prout Imperio, regnis, terris, & dominiis hujusmodi hactenus fuerat consultum.

Item quod nullus nostrum, successorum, aut hæredum nostrorum prædictorum contra regem, vel Principem, regna, terras, aut dominia quæcunque, quæ tempore præsentium alligantiarum cum altero nostrum in guerra non existant, guerram incipiet absque alterius nostrum, successorum, vel hæredum nostrorum quorumcunque consilio, avisamento, & consensu, nisi forte in defensionem juris nostri, successorum, aut hæredum nostrorum, aut ad propulsandas injurias eorum, qui aliquem nostrorum, successorum, vel hæredum nostrorum, Imperium, regna, terras, aut dominia ipsorum, vel nostrorum invadere, aut quicquam mali inferre voluerint. Item, quod non obstantibus alligantiis prædictis, bene liceat nobis, & successoribus nostris, pro terris, juribus, & possessionibus imperialibus recuperandis, quotiens, & quando nobis, aut eis expedire videbitur, contra regem Francorum pro tempore existentem, & ceteros quoscunque Principes, & Magnates de sanguine, domo, & familia Regalæ Franciæ, præsentes, & futuros arma levare, prosequi, & procedere, prout nobis, aut eis melius videbitur expedire, absque tamen præjudicio inferendo terris, aut dominiis, ad præfatum regem Angliæ, hæredes, & successores suos spectantibus. Et consimiliter bene licebit regi Angliæ prædicto, hæredibus, & successoribus regibus Angliæ pro recuperatione, & acquisitione regni sui Franciæ, & aliarum hæreditatum, & jurium suorum quorumcunque, cum appendiciis eorundem, contra adversarium suum de Francia, præsentem, vel futurum, & quoscunque alios, quoties, & quando sibi, hæredibus, aut successoribus suis placuerit arma levare, & quibuscunque contra dictum adversarium suum, præsentem, vel futurum, & quoscunque alios, aut suos arma levantibus succursum dare, & per alias vias accommodas pro præmissis prosequi, & procedere, prout sibi melius videbitur expedire, absque tamen præjudicio inferendo terris, ad nos Romanorum regem & Sacrum Romanum Imperium spectantibus. Item, quod dictus Rex Angliæ, hæredes, & successores sui, Reges Angliæ, nobis, & successoribus nostris in recuperatione, & acquisitione jurium, terrarum, & dominiorum, ad Sacrum Romanum Imperium pertinentium, & per prædictum regem Francorum, nec non Principes, ac Magnates prælibatos occupatorum, vel detentorum, assistentiam dabit, auxilium, & favorem.

Anno Christi 1416.

rent: & nos confimiliter vice versa, & successores, ac hæredes nostri prælibati, sibi, hæredibus, & successoribus suis regibus Angliæ, in recuperatione, & acquisitione coronæ, & regni sui Franciæ, ac aliorum jurium, & hæreditatum, suorum, per prædictum adversarium suum, & suos occupatorum, vel detentorum assistemus, & assistent, ac dabimus, & dabunt auxilium, & favorem, Item in casum, & eventum, quo pax diu desiderata inter duo regna Angliæ, & Franciæ, pro qua procuranda diligentiam adhibuimus, & labores, ad finem optatum perduci possit, & aliquæ terræ, aut dominia per ipsam pacem dicto regi Angliæ restituta fuerint, & realiter liberata, nos, & successores, & hæredes nostri prædicti, in possessione, & retentione dictorum jurium, terrarum, & dominiorum, eidem regi Angliæ, hæredibus, & successoribus suis, regibus Angliæ assistemus, & assistent, ac dabimus, & dabunt auxilium, & favorem si vero ipsa pax hac vice stabiliri nequiverit, quod absit, aut aliquo casu interveniente, ex post facto, rupta, aut dissoluta extiterit, prædictæ alligantiæ, quo ad acquisitionem, & recuperationem coronæ, & regni sui Franciæ, ac aliorum jurium, & hæreditatum suorum firmæ, & stabiles in omnibus suis articulis perseverent: & pari modo, si per aliquam concordiam inter nos, & dictos regem Francorum, Principes, & Magnates Domus Franciæ mendam, aliqua jura, terræ, aut dominia, ad nos, & præfatum Romanorum Imperatorem de jure spectantia, nobis restituta fuerint, & realiter liberata, memoratus rex Angliæ, hæredes, & successores sui, in possessione, & retentione ipsorum jurium, terrarum, & dominiorum, sic ad nos, & Romanum Imperium pertinentium, nobis, & successoribus nostris, Romanorum regibus, dabit, & dabunt auxilium, & favorem & si aliquo casu emergente, ipsa concordia non facta, vel postea rupta, aut dissoluta fuerit, præfatæ alligantiæ, quoad recuperationem jurium, terrarum, & dominiorum, ad dictum Imperium pertinentium, & per eundem regem, Principes, & Magnates Franciæ occupatorum, vel detentorum, firmæ, & stabiles in singulis suis articulis perseverent.

Item, quod in singulis alligantiis, sive confœderationibus, inter nos, & successores nostros, Romanorum reges ex parte una, & personam, seu personas, aliam vel alias, cujuscunque dignitatis, Imperialis, vel regalis, status, gradus, aut conditionis existant, ex altera parte de cetero fiendis, Henricum Dei gratia regem Angliæ, & Franciæ, & Dominum Hiberniæ præfatum, Hæredes, fratres, & successores ipsorum supradictos nominatim, & in specie excipere teneamur, & successores, & hæredes nostri quicunque in perpetuum excipere teneantur idemque rex Angliæ serenissimus, hæredes, fratres, & successores ipsorum quicunque modo simili nos, successores, & hæredes nostros Romanorum reges, in suis alligantiis, amicitiis, & confœderationibus, in antea faciendis, tenebuntur excipere vice versa, ita, quod a modo in antea, nos, & successores nostri in Imperio, & Imperium ipsum cum præfato serenissimo fratre nostro, Henrico rege, suisque hæredibus legitimis, ac fratribus prænominatis, ipsorumque hæredibus, & successoribus in regno Angliæ, & cum toto regno Angliæ intelligamur, & simus & vice reciproca idem carissimus frater noster Henricus, Angliæ, & Franciæ rex, hæredesque sui, & consequenter fratres sui germani prælibati, ipsorumque hæredes, & tandem successores, ut prælibatur, intelligantur, & sint semper, & in perpetuum mutua vicissitudine alligati, & confœderati, bonique reales, & legales amici, & juxta contenta, & superius appunctuata capitula, seu articulos concordatos, ad invicem teneamur succurrere, & patrocinati consiliis, auxiliis, & favoribus opportunis. Et si in uberiores hujus modi alligantiarum roboris fulcimentum idem rex Angliæ in Parliamento suo alligantias ipsas juxta vim, & formam, & effectum earundem, pro se, suisque hæredibus prædictis, vita comite, postquam vero, sicut Domino placuerit, ipseque sine hæredibus superstitibus de hoc mundo migraverit, consequenterque æque bene, & cum eisdem modis, formis, & efficacia pro prædictis illustribus Principibus, Thoma, Joanne, & Humfrido, Ducibus, fratribus suis germanis, jure, & ordine

natu

Anno Christi 1416.

„ naturali, directe, & legitime sibi invicem succedentibus, ipsorumque hæredi-
„ bus, & tandem modo præmisso, pro successoribus suis in regno Angliæ, rati-
„ ficaverit, confirmaverit, & approbaverit, & reales, ac perpetuas fieri fece-
„ rit, cum effectu, & taliter ratificatas, confirmatas, & approbatas, ac reales,
„ & perpetuas effectas, nobis liberaverit, & nos per electores Imperii omnes, &
„ singulos easdem alligantias pari forma ratificari, confirmari, & approbari, ac
„ reales, ac perpetuas fieri procuraverimus, & fecerimus cum effectu, taliter ra-
„ tificatas, confirmatas, & approbatas, ac reales, & perpetuas effectas, præ-
„ dicto regi Angliæ liberaverimus, tunc prædictæ alligantiæ in suo perpetuo ro-
„ bore permaneant, & effectu alioquin nostra, & dicti regis Angliæ vita duran-
„ te duntaxat permaneant, & subsistant. Promittentes verbo regio, ymmo jure
„ jurando ad sancta Dei Evangelia, nostra manu dextera corporaliter tacta, nos
„ propensius obligamus, & juramus omnia, & singula supra scripta in suis clau-
„ sulis, punctis, articulis, & sententiis, cum modo, formis, & modificationibus,
„ ut supra specificatis, & expressatis, inconcusse attendere, firmiter tenere, & in-
„ violabiliter observare, præsentium sub nostræ Majestatis sigilli appensione te-
„ stimonio litterarum. Datum in civitate Cantuariæ in Anglia Anno Domini
„ MCCCCXVI. die quintadecima mensis Augusti, regnorum nostrorum anno
„ Hungariæ &c. tricesimo, Romanorum vero sexto „

1417 Ex Anglia Constantiam revertitur

Confecto fœdere aliquamdiu apud Anglos commoratus, sequente anno summa pompa ad classem ab Henrico deductus, in Belgium trajecit ex quo Aquisgranum profectus, compositis inter Coloniensem Electorem, & Ducem Bergensem dissidiis, Constantiam post sesqui alterum annum salvus, ac incolumis tenuit. Hic, postquam Joannes, & Gregorius se in Patrum arbitrio futuros, liberamque permissuros suffragationem polliciti fuissent, Odo Columna Cardinalis, omnium consensu III. idus Novembres Papa creatus, Martini V nomen sumsit. In rogata Patrum sententia, nec invito Cæsare, quamquam primum repugnare visus sit, Joannem Huss, quod palinodiam canere nollet, igni cremandum addixit, quæ res quantam regi apud Bohemos invidiam conflarit, postea memorandi locus erit. Ceterum Sigismundum ita res aliorum tractasse, ut Hungariæ curas non in postremis haberet, illorum temporum Scriptores diserte perhibent. Quo loco illud annalium memoria dignissimum, quod, etsi gravissimis apud exteros laboribus implicaretur, Budam urbem, quam præ ceteris colebat, ita insignis substructionibus ornaret, ut ædes regiæ non elegantia solum, & arte, verum magnificentia quoque, pretio, & augusta specie, omnes, quas Europa tum habuit, regum aulas plerorumque judicio antecellerent. (b) Id ne affectationis loco exteri accipiant, viri, & magnæ, ut videtur, apud Sigismundum auctoritatis, & qui comminus singula explorarit, litteras in medium proferam.

Absens res domesticas curat.

Ex primis Budam superbissimis ædificiis exornat.

„ Ambrosius Camaldulensis - - - Sigismundo semper Augusto fidelitatem,
„ & subjectionem. Habeo gratias ingentes Majestati tuæ, clementissime Princeps,
„ quod prius, quam Pannonia discederem, pulcherrimi, & magnificentissimi omnium,
„ um, quod unquam viderim, spectaculi me esse participem voluisti. Inspexi-
„ mus summa cum admiratione, præcipuoque stupore ædificatum abs te Palatium,
„ tantaque occurrunt singulariter miranda, ut quod magis mirari, quod primum
„ prædicare debemus, non occurreret. Tam multa ad se trahebant, atque in se
„ rapiebant obtutum, affectumque nostrum. Denique structuræ moles tam vasta
„ est, ut nullam toto orbe majorem reperiri posse arbitremur. Ejus omnia

L l 2 „ mem-

(b) WINDECK cap. LXX. *Also zog der König gein Ofen in Hungern - - und richt da sein hawe zu, wenne er einen kostliches hawe tet machen, wenne ich meyne, das ye ein menschenbilde gesehen einen solchen zierlichen, nutlichen, kostlichen hawe.* Fuit autem hic autor cum rege in Anglia, Gallia, Hispania, Imperio, Italia, Bohemia, Polonia, & Belgio, ut ex variis capitibus historiæ, quam de vita Sigismundi conscripsit, perspicuum est.

Annal. Reg. Hung. Pars III.

Anno Christi 1417

„ membra adeo magnifice, tam decenter instructa sunt, ut ad gratiam nihil pos„ sit accedere, singulæque, ut dictum est, partes secum de pulchritudine, & „ magnificentia certare videntur, ut, quod primum admiremur, non occurrat, „ nisi quod simul omnia inspecta excedunt omnem admirationem, vixque arbitre„ mur, Persis illam famosissimam regiam, de qua tam multa prædicantur, huc „ rite conferendam. Transimus ad contuendum perparum illum spatiosissimum, pro„ spectum omnino mirabilem, plenumque voluptatis. Neque his contenti pisci„ nas quoque, & hortos circuire, plena occurrebant oculis. Pauca de multis, „ quæ me movent, in unum congressi, execratione digna, tamque serenitatis ocu„ lis legenda subjecta. Equidem consideratis scandalis, qui in dies ex hujus per„ petuatione Concilii prodeunt, hujus sententiæ sum, ut pro firmo, & rato ha„ beam, nihil a tua pietate posse fieri vel Deo gratius, vel acceptius, seculo, „ vel Ecclesiæ Matri utilius, quam hujus enervationem abominationis pro viri„ bus moliaris. Et oro, ne tua me pietas temeritatis arguat, ita sentientem. Nam „ si ex abundantia cordis os loquatur, ego istam sententiam ex alto cordis eructo. „ Deus autem noster omnipotens serenitati tuæ, quæ ad pacem sunt, inspirare „ dignetur, annosque tuos benedicere religiosissime Princeps, & Auguste pussime. „ Ex Vienna anno MCCCC XVII. „ (c)

Quin ferunt, qua parte hodie Pestum urbs visitur, superbissimum opus, cum quo arx Budensis perpetuo ponte jungeretur, molitum esse, ut & Danubius septingentorum passuum alveo in latum diductus commeantibus citra incommodum pateret, & urbs utraque ornamento, cui par nusquam esset, illustraretur (d) quem conatum si mors non intercepisset, nemini dubium fuit, quin Trajani pons, de quo plus famæ, quam rei apud veteres erat, infra operis hujus molitionem, laudemque futurus fuisset. Sed de his hactenus.

LIBER

(c) Apud Æneam Sylvium Epistol. CCCLIII. Refert annum MCCCCLVIII. sed ad hoc tempus certum est, Sigismundum vitam non adduxisse. Neque satis, ut puto, congruit epistola Concilio Basileensi, ut titulus istic prædicat, quorum credibile non est, regem, qui ab anno 1420. usque ad vitæ fere exitum diuturno, & sumtuosissimo bello cum Bohemis implicitus erat, tantorum impendiorum molem struxisse. Itaque subsistendum putavi annum MCCCCXVII partim, quod scandala, quorum epistola meminit, magis Constantiensi Concilio, ob tres de Pontificatu certantes, quam Basileensi congruant, partim, quod Windeckius molitionis hujus mentionem injiciat ab Sigismundi ex Constantiensi synodo reditu non quasi tum cœperit, alioquin, ut dibere fuerat, operis primum cœpti elegantiam omnibus numeris absolutam non laudasset, sed quod molem dudum cœptam ad exitum adduceret. Et universim epistolas Sylvii nec annorum, nec ordinis rationem rite referre in comperto est.

(d) Bonfin Dec. III. Lib. III.

Annus Christi 1418

LIBER V.

In Hungariam ipse quinquennis obsessione revertitur.

Soluto Concilio in Hungariam tanto magis properandum Sigismundo fuit, quanto crebrius nuntii secundas res isthinc afferebantur. Veneti enim absentia regis usi, latius dominationem in dies apud Dalmatas porrigebant, & Tragurium, cui ob portus commoditatem alias quoque inhiabant, plane tum obsedere, cum regem ex Imperio appropinquare nunciatum esset. Itaque obsidionem adventantis fama perculsi solvunt, & Legatos cum muneribus regi obviam mittunt, qui factum attenuent, pristinaque foedera innovare nitantur. Passavii ad Sigismundum admissi, cum de conditionibus convenire utrinque non posset, rejecti sunt, tametsi sex aureorum nummum millia donum offerrent. Cum reditum apparant, ab Ernesto Austriae Duce, incertum quam ob caussam, iter porro vetiti pertendere, honesta custodia in castro Villaco detinentur. Quod ubi ab Sigismundo cognitum est, ne publicam fidem temerasse videri posset, scriptis ad Ernestum literis, ut liberos ac indemnes dimitteret, imperavit. Inde Viennam deflectens instaurato foedere, quo Albertum sibi generum olim adsciverat, Budam in anni exitu pervenit. (1)

1419. Conjugem in exilium mittit.

Ab regis adventu gravis in Barbaram reginam concita calamitas est, quam Sigismundus ne in conspectum quidem admissam, una cum filia Elisabetha Varadinum deportari in exilium jussit. Quid caussae fuerit, ut eam praeter dignitatem tam illiberaliter haberet, a nemine, quod sciam, proditum est. Si ex iis, quae postea exponemus, conjecturam licet capere, verisimile mihi fit, Barbaram, cum Sigismundus peregre abesset, publici decoris oblitam, haud satis pudice, neque ut oportebat, pro dignitate vitam traduxisse. Illud constat, Elisabetham, quae decimum aetatis annum haud ita pridem exegerat, innocenter prorsus eadem cum matre calamitate involutam esse. (2)

Tum negotium illi cum Polonis Cruciferorum caussa obortum.

Secundum haec, ne fidem Pontifici datam non servaret, qua se operam daturum pollicitus est, ut lites inter Polonos, Cruciferos dudum caussa obortae componerentur, nuntium ad Wladislaum misit, scriptisque literis orabat, ut Lubloviam in Scepusium venire ne gravetur, adfuturos isthic a Martino Papa Legatos, qui diuturnam controversiam, quae obmotis saepe armis dirimi non poterat, sua auctoritate ad finem adducturi essent: neque oportere eum id judicium refugere, quod & faventem rebus suis Pontificem hactenus habuisset, & Legatos sententiam citra dubium pro Polonia pronunciaturos, spes propemodum certa videretur: se, modo id per rem publicam liceat, conventui eidem interfuturum. Facile consilium amici regis amplexus est Wladislaus, ac Lubloviam veniens, Spoletano, & Lucensi Episcopis Pontificiis Legatis, caussae cognitionem, & hujus judicium permisit, spe ductus, si minus a se starent, quod Sigismundus pollicitus erat, certe aequitatis rationem ita habituros esse, ut nullum juribus suis praejudicium conficerent. Sed illi post crebras de re consultationes rejectis, quae Poloni in medium afferebant, momentum sententiam pro Cruciferis tulere. Grave id fuit Wladislao, & per literas apud Papam de judicii iniquitate questus, non obscuris indiciis caussam in Sigismundum rejecit. Sive partem re ipsa Sigismundus in ea sententia habuit, seu habuisse ex veteri cum Cruciferis amicitia, suspicio duntaxat fuit, ad refellendam, quae de se maligne sparsa fuisset, famam, Oratorem in Poloniam expedierat, qui non modo suspiciones exterius obortas Wladislao eximere, sed regem quoque, ut Cassoviam ad instauranda secum foedera venire vellet, persuadere niteretur. Polonus tametsi Sigismundo non maxime fidebat, spe tamen dirimendae aliquando litis magnopere incitatus, Cassoviam ire constituit, accinctusque itineri V. Idus Maji urbem tenuit. Adfuere Legati quoque ex Prussia ab ordinis Magistro missi, qui, ne sententia ab Pontificiis legatis nuper constituta contrario judicio enervaretur, operam diligenter navarent. Hos paullum post Sigismundus cum praecipuis Hungariae Princi-

Ex Cassovia fugit.

(1) Windeckius Cap. LXIII. sunt tamen, qui id ad sequentem annum consignent. (2) Idem Cap. LXXXVI.

Annus Christi 1419.

pibus consequutus, facile Wladislaum illo adduxit, ut caussæ arbitrium suo judicio permitteret. Sed Cruciferorum Legati vehementer invati erant, non de nihilo veriti, ne caussa Lubloviæ a Papæ nuntiis ad liquidum diremta novo judicio penitus affligeretur, disertoque negabant, se regis sententiæ staturos, nisi nova prius mandata ab ordinis Magistro accepissent. Ea re Sigismundus vehementer exacerbatus, clam fœdus cum Wladislao in hanc conditionem init: se Polonis, cum primum in Cruciferos bellum moverint, auxilio affuturum, daturumque operam, ut Pomerania, cum Chelmensi & Michaloviensi provinciis, ad Wladislai jura redeat. Prussiæ contra ratio sic haberetur, ut quam quis partem sibi armis asseruerit, ea in solidum potiatur. (3)

Sed, cum majores in conficiendo hoc fœdere partes ira, quam ratio habuisset, & Cruciferos præterea imperii, cui Sigismundus præerat, juribus gaudere constaret, paulum post facti pœnitens in hunc modum pacta conventa mollire decrevit: Wladislaus ad diem Margaritæ Virgini sacrum ab armis abstineret. si intra id tempus Cruciferi regis judicium detrectarent, fas Wladislao esset, Cruciferos bello appetere, cui Sigismundus vires quoque suas, ut prius conventum erat, sacraret. Ita constitutis rebus in Poloniam Wladislaus, Varadinum Sigismundus rex caussa profecti sunt. (4)

Varadinum profectus, Legatos a Turcis accipit

Huc prius, quam salutato ultimum Poloniæ rege venisset, nuntios præmiserat, qui reginam, quoad ipse Varadini moraretur, Budam deducerent: neque enim abhinc quam Constantia redux conjugem in exilium relegarat, videre eam, aut alios, qui illius caussa intercesserant, audire sustinuit. Miserrima reginæ conditio fuit: quod vitam, si scriptori coævo fides sit, in extrema rerum omnium penuria, & vulgaribus fere sordibus integrum pæne annum traducere ingratus cogeretur. Parum liberale facinus plerique in Sigismundo carpebant, quod conjugem ob contaminatæ pudicitiæ suspicionem, tam indignis modis haberet, cui ipse liberrima cum alienis mulieribus consuetudine viam præmonstrasset. Ceterum Varadini commorantem Legati ab Turcorum regulo convenerunt, cum quibus sancitas quinquaginta annorum inducias synchronus vitæ illius scriptor memorat, sed in quas conditiones utrinque conventum fuerit, non item perhibet. Inde Budam moturus rursum ex Proceribus quosdam præire jussit, qui reginam alio, quam is facturus esset, via in locum exilii reportarent. Sed illa parum mariti imperio obaudiens, jussa facere detrectabat, virumque præstolata, quid de eo tam male commeruisset, velle se coram intelligere affirmabat. Miserti mulieris conditioni ad regem Proceres redeunt, quid illa ad mandata respondisset, explicant, orantque, ut, si minus reginæ calamitatem miserari velit, suæ dignitatis saltem, honorisque, qui ea re haud leve apud exteros detrimentum patiatur, rationem haberet. Frustra tamen hi conatus fuere: neque Barbara, nisi serius postea, regi conciliata est. (5)

Polonos cum Cruciferis rursum conciliat.

Sub hæc tempus induciarum Polonos inter & Cruciferos ad finem vergebat, neque isti per Legatos, ut conventum erat, arbitrium Sigismundo offerebant. Itaque Wladislaus resessis pactis, & Alexandro fratre, Lithuanorum Duce in suppetias evocato, bellum in Cruciferos apparabat, certus animi, non prius ab armis desistere, quam provincias, quorum caussa lites tamdiu traherentur, suo juri asseruisset. Id prius in apertum quam erumperet, Georgius Comes ab Hohenloe, Episcopus Passaviensis, & Gubernator Strigoniensis Ecclesiæ, auctor regi fuit, ut missa legatione Polonos mitigaret, ac periculum ab Cruciferis amoliretur, ne, si

secu-

(3) DLUGOSS. Hist. Pol. Lib. XI.
(4) Idem ibidem.
(5) WINDECKIUS Cap. LXXXVI. „Do „muste die Koenigine enweg gein Wardein, und hatte auf die harde — und „nuo hatte sie gar ermlich, sie, und ir „Tochter, und alle ir Junkfrauen, das „sie alle kranck wurden, wenne es geschach manigmale, das sie zu Tische „sassen, das sie weder yeot, noch wsas „auf dem Tische hatten, und musten es „allererst kauffen, und sie gen iren Kleydern, das sie lusig und warmet warent. „Das werte bey drey virtails jaren —„ Consignat hæc quidem ad an. 1421. Sed corrigendus est ex eodem Cap. Nam tres quadrantes anni ab reditu Constantia, & congressum cum Wladislao, quorum ille meminit, certum est congruere anno 1419.

[Anno Christi 1419.]

secundum pacta conventa suppetias Wladislao ferre eum oporteret, aut invidiam sibi in Imperio conflaret, aut Turcis, qui exstincto factionum studio magnos militum delectus faciebant, causam ad invadendas Hungariæ ditiones præbuisse videretur. Mandatæ sunt legationis partes ipsi Georgio, qui in Poloniam celeri itinere profectus, cum parum apud Wladislaum promoveret, Bartholomæo Mediolanensi Archiepiscopo, cui Sigismundus conficiendi negotii provinciam, ac potestatem commiserat, locum facere coactus est. Is rem ex italico ingenio per diverticula aggressus, Alexandrum Lithuaniæ Ducem adit, pacta conventa, quæ Cassoviæ utraque pars nuper inisset, in memoriam revocat, Cruciferos, postquam belli curam Duci mandatam esse comperissent, illius virtute territos, causæ judicium Sigismundo obtulisse refert, itaque rem ad eum locum jam rediisse, ut, si modo velit, litis diremtionem suo arbitratu ad optatum finem nullo negotio possit adducere, quæ res non solum cum ingenti Polonorum commodo, sed immortali Ducis gloria, ac laude copulata esset. Hoc fuco captus Alexander, Wladislao fratri diserte enunciat, se, quas adduxisset copias, in Lithuaniam, ne quid illhic se absente turbaretur, reducturum, neque anni tempus, quod prope finem vergeret, ad gerendum bellum satis accommodum videri, quod majore fructu, & laborum quoque compendio in sequentem differri posset, nisi inducias forte malit, quæ præ incerto belli exitu non optandæ solum, sed quærendæ etiam essent. Hæc ut stomachum Wladislao moverant, ita facilem Mediolanensi Archiepiscopo apud regem aditum fecere, cujus consilio induciæ in biennium cum Cruciferis ita conclusæ sunt, ut rex Hungariæ, quo primum posset tempore controversiam arbitrio suo, dirimeret. (6)

[Defuncto Wenceslao fratre coronam Bohemiæ induit]

Pacatis hunc in modum Polonis, literæ ex Bohemia ab Ulrico de Rosis ad Sigismundum afferuntur, quibus mortem Wenceslai, quam XVII. Calendas Septembris ex immodico iræ impetu obiit, significarat, adjecit, seditioni proxima omnia esse, cives novæ Pragæ, Hussitica labe infectos, urbis Magistratum partim crudeliter enecuisse, partim egisse in fugam, aut abstraxisse in vincula, et insanire sacra profanis, & rapinis, latrociniisque omnia infesta reddere, caput, auctoremque Joannem Zizkam habere, virum strenuum, & ferocem, qui, ut hæresi recens natæ perditissime addictus esset, ita factis sensim incrementis ad tyrannidem grassaturus sit. Malum, nisi in ortu opprimatur, latius in dies propagatum iri: itaque quo primum posset tempore, in Bohemiam venire ne tardaret, capesseret regnum, quod jure a fratris obitu suum esset, sedaretque celeritate factionum studia, quæ, si tempore invalescant, molestissimum illi in adeunda, & conservanda Bohemia negotium, ac tædium confectura essent. Sigismundus, postquam, quo loco res in Bohemia versentur, cognovisset, scriptis ad Bohemiæ, & Moraviæ Proceres literis, conventum Brunam indixit, cui omnes, nisi perfidiæ nota infames videri mallent, ad diem, Christo nascenti sacrum, interesse voluit: se ad præstitutum Comitiis tempus affuturum, &, quæ a fratris obitu fieri cœpta, coram declaraturum. In eandem sententiam ad regem Poloniæ, Ducem Austriæ, Saxoniæ, & Bavariæ, Fridericum Marchionem Brandeburgensem, ac Silesiæ Principes scripsit, quos multis de causis, ut Brunam itidem venire ne gravarentur, orabat: neque diu post uxori conciliatus, facto ingenti delectu, nobilissima Præsulum, ac Procerum Hungariæ corona stipatus, in Moraviam contendens, Brunam, ad designatum Comitiis diem, pervenit. (7)

[Hic Legatos Bohemorum illiberaliter habet]

Hic postquam a Sophia Wenceslai vidua, & plerisque Bohemiæ Optimatibus salutatus esset, indulta paucorum dierum quiete, reipublicæ curam accitis in consilium Principibus, ordiri placuit; sed in ipso vestibulo haud obscure cognitum fuit, quam gravis, molestusque ad Bohemiæ possessionem aditus sibi futurus esset. Oratores, qui Praga adfuere, ut erant ex Hussitico malo, & licentia ferociores, ita importunius, quam decori ratio postularit, Senatum sibi apud Sigismundum ante alios dari flagitabant. Admissi tertio ab adventu die, ut copiam sermonis nacti sunt,

(6) Dlugoss. Hist. Pol. Lib. XI.
(7) Windeck. Cap. LXX & LXXXVI. Hagecius annal. Bohem. ad an. 1419. Balbin. Miscell. Dec. I. Lib. VII. Cap. IV. Æneas Sylvius comment. in dicta & facta Alfonsi regis Lib. III.

Annus Christi 1419.

sent, salutato rege majorem in modum orabant, ut ex ritu priscorum regum Pragam adire, & rem publicam capessere vellet, magnam omnium esse exspectationem, eorum cum primis, qui Hussi doctrinam sectarentur. Atque hinc captato tempore in hominis laudes prolixe excurrere, & ut impudentia fere cum temeritate conjuncta est, virulentum impostorem Divo etiam Petro præferre, ac, quam rem omnium maxime perurgebant, calicis usum non tam rogare, quam postulare. Intercepit molestum sermonem Sigismundus, & risum inter, itaque medius conventum regni Principibus, non Concilium Episcopis, ab se indictum, istorum Constantiæ olim locum fuisse, nunc de rebus profanis, & quæ ad Bohemiam attinerent, se tractaturum advenisse respondit. Redirent Pragam, se illuc propediem affuturum nunciarent, regnique possessionem aditurum. Catenas, & repagula, quibus urbis plateas obsepsissent, continuo auferrent, tum convellerent funditus opera, quæ adversum arcem Pragensem ab Wenceslai obitu congessissent, arma ad arcem S. Viti, & Wisselradum comportarent, mœnia ad XXX. ulnas demolirentur, temperarent sibi a rapinis, loca sacra, &, qui hæc incolerent, viros, dicatasque Deo Virgines, sine maleficio res suas habere sinerent: hæc si facerent, eorum, quæ contra fas facta ante patrassent, veniam consequuturos, sin renuerent, gravissime, & pro merito plectendos esse. Perculit loquentis gravitas oratores, spemque inter, ac metum dubii ad suos redere. Fuit multorum opinio, Sigismundum, si aut mitius in principio cum Pragensibus egisset, aut continuo, ut erat copiis egregie instructus, Legatos consecutus esset, urbem ac regnum citra turbas obtenturum fuisse: sed is cum alia omnia, quam quæ tum oportuerat, ageret, impeditissimam sibi deinceps provinciam prudens volensque confecit. (8)

Quæ res illi diuturnas molestias afferet.

1420. Brunæ Wratislaviam profectus sententiam pro Cruciferis contra Polonos pronunciat.

In principio enim sequentis anni contra omnium exspectationem Bruna Wratislaviam iter deflectens, spacium, tempusque Pragensibus præbuit, ut non modo, conciliatis inter se communi fœdere animis, adversus regem se obfirmarent, sed apparatus etiam sive ad propulsandum, sive inferendum bellum, quam maximos facerent. Concitarat paulum post majore in se odio Bohemorum animos, cum civem Pragensem, *Krasam* nomine, qui, ut disseminato Hussi veneno seditionem conciret, Wratislaviam venerat, equis per urbem distrahi, & vivum igni exuri jussisset. Ad hæc tres, ac viginti cives, qui biennio ab hinc urbis consules per seditionem necassent, capite truncari imperavit. Intempestivo hoc pœnæ genere plerosque Proceres ex Bohemis, quod eodem malo fere omnes correpti essent, ab se alienavit, quorum haud pauci, detrectata aperte obedientia, militem cogebant, alii vulgus in seditione confirmantium, ope, & consiliis clam adjuvabant. (9) Sigismundus tamen, quasi nihil ejus modi intus periculi inesset, curas omnes in Polonorum, & Cruciferorum litem converterat, in qua dirimenda dum istorum benevolentiam captare nititur, gravissimas Wladislai & Polonorum iras sibi conflavit. Re enim vera oblatas arbitri partes præter æquitatem multis administrasse visus est, cum sententiam publicis litteris in Cruciferorum magis, quam Wladislai gratiam pronunciasset. Eorum ne controversiæ, cujus toties a nobis mentio injecta est, ortum, causasque ignoremus, hæc præcipua fere capita sunt. *Ut subditi partium juxta antiquas metas libere perambulent, & merces suas ducant. Item confirmavit pacem perpetuam ante Thorun initam, etiam, si fuerit per utramque partem rupta, & violata. Item laudavit, quod confinia, terminis, & terræ Pomeraniæ, Culmensis & Michaloviensis, ac castrum Nyeschow cum omnibus suis pertinentiis remaneant circa Ordinem, juxta concordiam Caroli Hungariæ & Joannis Bohemiæ regum, & per donationem Casimiri regis Poloniæ, & suorum Prædecessorum, & per concordiam factam ante Thorun, & sententiam ejusdem Sigismundi, Budæ latam. Item pronunciavit, quod Magister, & ordo Cruciferorum teneantur regi Poloniæ pro recuperatione castri Zlotoria solvere viginti quinque millia florenorum intra duos annos proxime futuros, in festo videlicet S. Georgii*

Præcipua sententiæ capita.

pro

(8) HAGECIUS ibid.
(9) Idem ibid. Et ROSZEZIUS in Chron. ad hunc annum.

proxime venturo, unam medietatem, & aliam medietatem in festo praedicto anni subsequentis. Item pronunciavit, quod Magister, & ordo teneantur destruere, & demoliri facere castrum Lubicz . . intra sex menses. Item laudavit, quod limites & confinia inter Ducatum Masoviae, & dominium ordinis Pruthenorum remaneant secundum litteras Rudolphi Kunik, tunc Magistri ordinis, quam ratificavit juxta, ac si esset sigillo authentico sigillata. Item decrevit, quod omnes captivi hinc inde fiant liberi, & relaxentur, restituaturque pristinae libertati intra tres menses. Item decrevit, quod de terris Prussiae & Samogithiae dispositio concordiae, ante Thorum factae, debeat remanere in suo robore, hoc modo videlicet, quod ordo inter flumen Memel, & indagines Samogitharum debeat possidere, a flumine Rodaw descendendo usque ad castrum Memel inclusive, & mare. Dux autem Withawdus, seu Alexander, debet possidere totam terram Samogitharum, etiam cum illa, quae est inter indagines & flumen Memel incipiendo ab indaginibus usque ad caput fluminis Rodaw, procedendo recto tramite, sicut intrat idem flumen in Memel, per transversum flumine similiter recto tramite ad quinque milliaria in latitudinem per terram vocatam Suderlank . . & in longitudinem usque ad Lithvaniam, includendo utramque ripam dicti fluvii Memel, usque ad vitam regis Poloniae, & ducis Withawdi. Item decrevit, quod neutra partium debeat aedificare in terris praedictis aliquod aedificium in vita regis, & Ducis. Item laudavit, quod partes praedictae inter se sint, & remaneant boni, & veri amici. Item remisit omnes injurias, offensiones, atque damna hinc inde quomodolibet commissa, & illata. Item reservavit sibi declarationem, & interpretationem, si quae dubia in posterum ex hujusmodi sententia orirentur. Item decrevit, quod omnia praedicta & singula, ac quaelibet praemissorum, partes sibi invicem observare, manutenere, & attendere teneantur, sub poena decem millium marcarum argenti puri, quam incurret quaelibet pars in cujuslibet articuli violatione . . . Datum Wratislaviae anno Domini MCCCCXX. die VI. Januarii. Praesentibus reverendis in Christo Dominis, Jacobo Spoletanensi, Ferdinando Lucensi Episcopis, sanctissimi Domini nostri summi Pontificis, Martini V. Papae Nuncii; Domino Bartholomaeo Archi Episcopo Mediolanensi, Georgio Pataviensi, Imperialis Cancellario, Conrado Wratislaviensi, Joanne Brandeburgensi Episcopis, & Georgio Magistro, Joanne Stokes, Legum Doctore, Serenissimi Principis, Domini Henrici Franciae, Angliaeque regis Legato, ac Illustribus Principibus, Alberto, Duce Saxoniae, Sacri Rom. Imperii Archi Mareschalco, & Friderico Marchione Brandeburgensi, ejusdem Sacri Rom. Imperii Archi Camerario, & Burgravio Nurembergensi Principibus Electoribus, nec non Henrico Comite Palatino Rheni, & Duce Bavariae, Joanne de Ratibor, Premislao de Troppaw, Ludovico de Brega, & Legnicz, Joanne de Munsterberg, Rumpoldo de Glogovia majori, Conrado Catiner de Olesnica, & Ruberto, ac Wenceslao de Luben, Ducibus Slesiae, Ludovico comite de Gilmone, & aliis pluribus fide dignis. (10) Legati Poloniae, ubi sententia in vulgus manasset, Wladislaum continuo per celeres nuntios de re edocent, graviterque de judicii iniquitate questi, tum conjecta in Papae Nuntios, ac Principes Germaniae causa, insalutato rege Wratislavia discessere. Confirmarat Legatos in opinione id praecipue, quod nemo Hungarorum, tametsi ex sacro, & profano ordine frequentissimi Sigismundo aderant, sententiam nomine suo confirmasset, sed foederum, quae cum Polonis olim inierant, memores, regi eatenus consentire omnino abnuissent. Quae abhinc regi cum Wladislao dissensiones propterea obortae, & quem in modum complanatae sint, alias memorabitur.

Inde dissensiones inter regem, & Polonos obortae.

Interea crebris ex Bohemia nuntiis rex edoctus, cives, Pragenses, (cum Taboritis, erat id haereticorum quoque genus, a monte confinalis nominis dictum, quive imperio Ziscae parebant,) conclusa armorum societate, juramento se obstrinxisse, Sigismundum non recepturos, neque habituros pro rege, & finitimas urbes in foederum communionem receptas esse, animum, curasque ad refrenandam factiosorum audaciam acriter intendit, coactoque ex Hungaris, Moravis, ac Silesiis exercitu in Bohemiam movit. Erant copiae ex octoginta facile millibus

Infestas fert Bohemos motus.

Annus Christi 1420.

M m

(10) DLUGOSS Hist. Pol. Lib. XI. videturque verbo ex Tabulis publicis deprompta.

Anno Christi 1420.

bus conflatæ, & ad retundendos hostium conatus non impares, si maturius rebellibus objectæ fuissent. Primis castris Cutembergam ventum est, urbem præ ceteris fidam, tum Regino Hradecium, ac Litomericium. Hic, postquam sacros viros, quorum studiosissimus erat, indignus prorsus modis, & crudelissime a factiosis accipi comperisset, vicissim viginti, ac quatuor ex Hussi affectis in Albim præcipites agi jussit, pœna tempori forte non satis accommodata. Inde temperato de industria itinere profectus, ut suppetias a Germaniæ Principibus ad præstitutum tempus commodius acciperet, veterem Boleslaviam tenuit. Quo in loco aliquot dierum moram trahens, ubi auxiliarios appropinquare nunciatum est,

Pragam obsidet,

dato profectionis signo, copias cum fœderatis conjunxit, Pragamque contendens, urbis obsidionem V. Idus Julias circumdedit. Montem album ipse cum Hungaris, & Silesiis, occuparat: qua Moldava fluvius, urbem interluens, in septentrionem fertur, Bavariæ Duces cum Comite Palatino Rheni, & Misniacis triginta equitum millia eruptioni objecere, Alberto Austriæ Duci, qui & ipse gravem equitatum non temnendo numero ductabat, periculi plenissima statio ad meridiem obtigit, quod Ziscam cum præcipua facinorosorum turba lateri suo incubantem haberet. Lenta admodum obsidio fuit, quod rex fame magis, quam vi urbem ad faciendam deditionem cogere meditaretur: quod cum permolestum plerisque Principibus accideret, & miles præterea mallet prælio rem experiri, quam inutili otio frustra adhærere, Sigismundus contracto peditum robore Vitconis montem, quem Ziska cum Taboritis insederat, oppugnare decrevit. Itaque dato

Et confectum Ziscæ prælio inferior excedit.

militi signo magna hostium cæde in supremum fastigium eluctatus est, spesque fuit victoriæ omnino consequendæ, nisi cives Pragenses, adductis novis Taboritarum ex urbe supplementis, laboranti Ziskæ summa celeritate subvenissent. Tum vero prælii facies penitus commutata est. Ziska recentibus copiis fultus novam ex superiori loco in obnitentes aggressionem facit, loceque primum movet, tum, circumlato per sacrificium Eucharistico pane, ingenti fremitu, & desperatione in regios illatus uno impetu ex monte proturbat, campoque, & victoria potitur. Adhuc mons a victore nomen accepit. Sigismundus collectis ex fuga militibus

Procerum consensu rex inauguratur.

castra ad Letnam pagum metatur: quæ cum haud multo post supposito per insidias igne conflagrassent, & non nulli ex Bohemiæ Proceribus ad Sigismundum venissent, polliciti, se operam daturos, ut urbs in ejus potestatem sponte concedat, obsidionem ex principum, quos secum habuerat, consensu solvit, arcemque sancti Viti, frequentissimo Austriæ ac Bavariæ Ducum, tum Silesiæ Principum, Procerumque Hungariæ, ac Nobilium Germaniæ, & Moraviæ comitatu ingressus, ab Conrado urbis Archi-Episcopo III. Calendas Augusti rex coronatus est. (11)

Ablata quaedam pirum thesauris,

Ab inauguratione regios thesauros, quos pater magna industria collegerat, ex arce Caristeum, ærario suo invehit; tum templum sancti Viti plerisque cimeliis, ac Divorum sepulcra aureis, argenteisque laminis contecta privat, & argentarias, quo stipendia militi suppeterent, oppignorat, sacrasque Imperii reliquias Normbergensibus pro certa auri summa servandas tradit. Quæ cum tot alendis copiis haud quaquam satis essent, fundos Ecclesiarum partim dono, partim in pignoris loco aliis tribuit. Quod pecuniæ genus nihil Sigismundo profuisse, eventu ipso compertum est. Sive Deus, quæ sua erant, in alienos usus traduci impatienter tulit, seu non rite in usum regem probabile fit. Sed in hoc argumento difficile est, ne scriptores in utramvis partem vehementiores sint, quod, quæ Dei sunt, Dei eadem causa a Principibus impune aliquando usurpari exemplo non careat. Sigismundus impositis arci S. Viti & Wissehrado præsidiis, Cutembergam copias reduxit, tum missis Pragam Legatis factiosos ad obedientiam revocare conatus est, quem conatum dum frustra videret, credito Legatis exercitu, in Hungariam revertit. (12)

In

(11) WINDECHIUS cap. LXXI. HAGECIUS, & BALBIN. loc. cit. (12) Idem ibid.

Annus Christi 1420. In Hungariam revertitur.

Intempestivi ex Bohemia discessus causam a Venetis datam scriptores memorant, qui absentia regis in suum commodum usi, Tragurium, Scardonam, Sibenicum, Tinium, ceteraque Dalmatiæ urbes, quæ in fide Hungarorum hactenus perstiterant, partim deditione, partim initis fœderibus in suam potestatem redegere. Hunc in modum armis undique implicitus Sigismundus nec Bohemiam recepit, & Dalmatiam præterea, ut multorum opinio fuit, desidia sua amisit. Spalatum tamen, & Ragusium, tum Corbaviam cum Segnia in obsequio constantes fuisse, contra quam aliqui memoriæ prodiderunt, diploma altero abhinc anno consignatum perspicue docet; in quo urbium, quarum paulo ante meminimus, Antistites suis subscripti nominibus, reliquæ contra, quod aliorum juribus jam obnoxiæ essent, vacare disertim perhibentur (13).

Bohemi scripti supplementum Wartenbergium repete.

Itaque cum frustra Dalmatiæ causa rex Hungariam petiisset constitutis in Croatia rebus, ne quid periculi huic quoque regno se absente crearetur, in Bohemiam magnis itineribus, ductoque secum novo ex Hungaria supplemento revertit. Atque hic quidem res suas difficillimo loco versari ex Præfectorum, quos utraque Pragensi arci dederat, litteris comperit. Cives enim postquam omnem reundæ apud Sigismundum gratiæ viam volentes sibi obstruxissent, conciliatis totius fere Bohemiæ urbibus, arcem sancti Viti, quod hostem collo suo illam incubare permoleste ferrent, obsidere decreverant. Præerat arci Wartembergius, militiæ laude quidem inclutus, sed cum se ad tolerandam obsidionem male comparatum, & milite annonaque destitutum videret, astu defensionem aggressus, dediturum se arcem pollicetur, si cives Præfecturam sibi confirmarent. Id homines, belli non maxime scientes, in lucro esse rati, si loco sine sanguine potirentur, data fide promittunt, & quid quid ex templorum rapina thesauri congesserant, in arcem, velut tutissimum locum convexere. Wartenbergius, quid fieri vellet edocto per litteras Sigismundo, Plavenum, quem rex cum milite & commeatu in suppetias miserat, clam recipit, expilatisque Pragensium thesauris, Præfecturam Plaveno tradit, ac spoliis ditissimus in castrum Pictinum, natura, & arte munitissimum se subduxit. Pragenses deprehensa sero fraude, & jacturæ, quam fecerant, dolore, & pudoris æstu in furorem acti, conclamatis armis impetum in Plavenum faciunt; sed ab hoc semel, atque iterum cum ingenti strage rejecti, iram in Wilsehradum, quod male ad defensionem comparatum esset, subito convertunt, ductisque operibus, quamquam autumnus ob intemperiem minime faveret, novam obsidionem moliuntur. Defendebat arcem Joannes Boskovicius, vir equestris ordinis, cui ad frustrandos hostium conatus, nihil præter annonam deerat. Hac cum paucos post dies obsidionis vehementer laboraret, missis ad Sigismundum litteris orabat, ut sibi in suppetias venire ne moraretur: extracturum se aliquot hebdomadas defensionem, quibus elapsis si deditionem omnibus destitutus facere cogeretur, id ne sibi fraudi dare velit, etiam atque etiam petebat. Magnum ad obtinendam Bohemiam in eo loco momentum versari, quo superato, prona omnia hostibus futura; conservato, nihil adversum regem molituros esse. Simul modum, rationemque qua la-

Wilsehradum ab Hussitis obsessum.

M m 2 bo-

(13) Hist. Eccles. Zagrab. pag. 162 Periode ad an. 1416. & 27 eadem parte Nationum subscriptorum series est: *Per manus Joannis Episc. Zagrab. regis, & Regnæ suum Cancellarii. Hermanno Cilie Sclavonie tenente, Nicolao Veglie, & Modrussæ Comite Dalm. & Croat. Bano Georgio Strigoniensi, Joanne Colocensi, Doymo Spalatensi, Andrea Ragusiensi, Jadrensi vacante Arch. Episcopis Rozgon Agriensi, Henrico quoque Ecclesiensi Clemente Jaurin. Joanne Vesprim. Ladislao de Marcal Chanad. Nicolao Vacien, Hiccone Nitriense Petro Corban. Jacobo Thoma Segniensi Bosiensi Traguriensi Scardon. Sibenicensi Noniensi Tiniensi Macarensi Pharensi sedibus vacantibus*. Ex quibus liu, quæ scriptores Archi Ep. Strigon. exercent, facile de Georgio dimmitur. Cum enim in Dipl. an. 1422 Nurimbergæ dato, leratur Pataviensis, anno autem 1423. Strigoniensis, liquet eum, defuncto Joanne de Kanysa, administratorem solum Strigoniensis fedis, anno autem 1423 re ipsa ad dictam sedem traductum fuisse. Itaque male apud Timonem in Epitome legitur Georgius an. 1424. defunctus esse.

Annus Christi 1420. laborantibus citra incommodum subvenire posset, edocet, modo tempore utatur; quod si inutiliter elabi sineret, non nisi conserto prælio arcem liberatum iri. Sigismundus, qui tum Berauntæ castra habebat, cognito suorum periculo, nuntium celeriter remittit, præfectum magno animo esse jubet, se ante calendas Novembres affuturum, interea factiosos aut virtute aut pactis ad speciem inducias sustineret. Simul dato profectionis signo Melnicum, Limburgum, Cutembergam, & Czaslaviam profectus, magna ad exercitum supplementa fecit, comportatoque ingenti commeatu, Pragam versus contendit. Placuit ante omnia periculum capere, utrum commeatus pars laborantibus clam hoste suppeditari posset. Eam ob rem onerarias naves supra urbem magno numero imperat, quæ annona refertæ, secundo flumine Wisschradum applicarent. Sed cum Pragenses aditus omnes diligentissime obsepsissent, naves ad frustram ripam devectæ, & commeatus, ne aut hostium telis corrumperetur, aut interceptus illis usui foret, in arcem S. Wenceslai deportatus est. Abhinc ad vim, & prælium curæ conversæ. Præfecto arcis per litteras significatum, ut, quos prælio idoneos reperiret, in promtu haberet, affuturum postridie regem, quem ubi in colle opposito gladium vibrare conspexerit, id eum aggressionis signum fore, eruptionem in hostem moliatur, regem ea parte assultum facturos, qua domus, quæ a Saxonibus nomen habet, promiores aditus præbet. Hæ futuri prælii rationes erant: verum litteræ a Taboritis interceptæ illis modum propulsandi periculi suppeditarunt. Nocte eum, quæ pugnam præcessit, aditus omnes, quos in litteris designatos legerant, operibus communire, ac præcipuum militiæ robur illuc cogere, dare Præfectos consilio, & manu promtos, quorum quo majora in Sigismundum erant scelera, eo magis operam daturos sperabant, ut fortiter, temereque pugnando impunitatem sibi morte, vel victoria parant. Postridie ipsis calendis Novembribus rex diviso in aciem exercitu, Wisschrado succedit, datoque, ut conventum erat, ex colle signo aliquamdiu missilibus telis rem agere militem jubet, tum magno impetu assultum facere imperat, qui si ex sententia caderet, commeatum, & militem in arcem importari mandat. Primi Moravi in obnitentes magna virtute eluctati, acerrimam pugnam conseruut, hos Hungari regem medium complexi e vestigio sequebantur, & in latera seorsim divergentes hostium consilia, & vires distraxere. Sanguinaria ubique cædes oborta, quod Præfectus defesa in arce hærebat, neque, ut spes fuit, a tergo aggressionem moliretur, & nostri non modo cum hoste, quem desperatio ad pugnam acuebat, sed cum munitissimis præterea operibus rem haberent: itaque magna quidem virtute, sed majori cæde pugnatum est. Quod ubi ab Taboritis cognitum, confertissimi munimentis egrediuntur, Moravosque suorum stragibus jam perculsos ad fugam inclinant. Tum in Hungaros illati, Sigismundum præcipue jactis telis petunt, hoc enim vivo omnia acuta hosti videbantur, actumque de ejus salute erat, nisi Hungarorum fortissimi, dum reliqui tutam Moravis fugam faciunt, circum regem in orbem coeuntes, & vim propulsassent, & instaurata sæpius pugna, incolumen discrimini eripuissent. Quo magis Hagecium, & Bohuslaum Balbinum scriptores Bohemos miror, quorum ille regem comitante fuga Iglavium, hic Cutenbergam delatum meminere, cum tamen Windeckius, qui Sigismundo nusquam a latere abfuit, servatum ab Hungaris regem, atque istorum virtute prælium diremtum esse prodiderit. Cecidere fœderatorum quadringenti, inter quos viginti & quatuor ex Procerum ordine, & Wisschradum altero a pugna die secundum pacta conventa in hostium potestatem venit. (14)

1421 Bohemi detrectata Sigismundo obedientia, regem ex Polonia accersunt. Bohemi victoria potiti, ut spem omnem recuperandi regni Sigismundo præciderent, nuntios in sequentem annum ad Wladislaum Polonum decrevere, qui regnum ejus clientelæ offerrent, pollicerenturque, se in fide constanter mansuros, si, quæ amplexi fuissent, sacra, tueri vellet. Si oblatam dignitatem Wladislaus renueret, Alexandrum regis fratrem adire jussi sunt, quem iisdem con

(14) WINDECKIUS cap. LXXXIII. & LXXXIV. HAGECIUS & BALBINUS locis laudatis. DLUGOSS. Hist. Pol. Lib. XI.

conditionibus in Bohemiam accire potestatem haberent. Interceptos a Sigismundo nuncios Bohemi, Poloni contra scriptores utriusque regiam dignitatem, cujus hæreditas ad Sigismundum attineret, aspernatum fuisse in litteris retulerunt. Oblatam autem Wladislao fuisse Elisabetham Sigismundi filiam, si is se adversum contumaces Bohemos adjutum iret, parum verisimile mihi fit, quod hanc Alberto Austriæ Duci semel, atque iterum publicis tabulis antea despondisset, & hoc rursum anno pacta conventa, ut memorabo, novis conditionibus solennique ritu instaurarint. Utcunque id tamen fuerit, factiosis inter se in partes distractis quod Ziska, & qui cum eo faciebant, regis nomen aversarentur, fautores contra patriæ calamitatem miserati, intestino malo haud aliter mederi, nisi per regem, posse vicissim contenderent; placuit, dignitatem eam, quam Wladislaus cum Alexandro fratre recusarat, in Coributhum, Wladislai patruelem transferri, missique Legatos, qui, ne Bohemorum vota morari vellet, orarent. Interea regni conventus Czaslaviam indiceretur, in quo de re publica cum sacra, tum profana in medium consulendi jus cuivis, ac potestas esset. (15)

Annus Christi 1421.

Sigismundus intellecto, quod Bohemi adversum se molirentur, & appropinquante sensim, quod comitiis præstitutum fuit, tempore, ipse suos quoque Czaslaviam Legatos Sternbergium, & Czastaloviczium misit, quibus mandata provincia, ut capita Procerum voluntate, viderent, num potius odiis, partiumque studio, pax, & tranquillitas Bohemiæ restitui posset. Scripsit propterea ad omnes qui Czaslaviam conventuri erant, litteras, quibus, quid fieri vellet, & quam Legatis potestatem tribuisset, significarat. Earum hæc sententia fuit. Se, postquam conventum regni se imprudente indictum comperisset, justo dolore commotum, quod regiam dignitatem, quæ Bohemis sacra hactenus erat, exteris despicabilem fecissent. In eo tamen suas velle convivere, modo ad pacandam rem publicam institutum esse intelligeret. Eam ob rem mitti ab se viros graves, & patriæ amantes, cum quibus in medium consulerent, qua ratione & pristinæ regno quies restitui, & pœna ex iis sumi posset, qui turbarum auctores exstitissent. Deum sibi testem esse, nihil ab se prætermissum, quod ad eurandam pacorum insaniam, quæ jam in omnes nullo suo merito manare, facere videbatur. A religionis controversiis, quas quatuor capitibus olim comprehensas, dirimi petiissent, nunquam se abhorruisse, facturumque deinceps, ne suam ea in re diligentiam, aut benevolentiam desiderare possint, modo, quod alias flagitarat, tranquillo rerum statu, quid quid illic litium sit, dirimi patiantur. Neque enim religiosas inter arma satis tutam utrinque disceptationem videri. Si qui autem, quod ad conflandam sibi apud exteros invidiam sparsum fuit, existimarent, causas, quibus Bohemia misere quateretur, turbis a se oblatas esse, passurum se haud ægre, ut earum sibi judicium facerent, quo rebus collapsis pro sua auctoritate melius, tutiusque consulat. Ceterum sperare se, plerosque obliterata utrinque injuriarum memoria ad obedientiam rediturus, neque passuros, ut, quod jure nascendi adeptus est, regnum per summam injuriam alter ereptum eat, ne, quod suum esse, accitis exterorum suppetias tueri cogeretur. Id ne fieret, oratores ab se missos, quibus, quidvis suo nomine facturi, dicturive essent, velle omnino, ut fidem adhibeant. *Datæ Trecinii anno Domini MCCCCXXI. die martis post festum corporis Christi anno regni Hungariæ XXXV.* (16)

Qui propterea Legatos suos ad Conventum Csaslaviensem mittit, Litterasque ad Proceres scribit.

Factiosi, postquam litteræ palam in conventu lectæ fuissent, rogatis Optimatum sententiis, respondere Sigismundo decreverant, & turbarum causas, quas ipse dedisset in certa capita comprehensas litteris inserere, ut infame rebellionis nomen aliquo fuco oblinerent. Scriptæ erant in hæc verba. (17)

Quæ illorum responsa fuerunt.

„ Serenissime Princeps, idemque Romanorum, ac Hungariæ rex! post-
„ quam ex litteris Majestatis vestræ intellexmus velle serenitatem suam, ut
„ culparum, ac excessuum articulos, quos Majestas vestra regno, & Coronæ

Mm 3 Bo-

(15) Idem ibid.
(16) Hanke loc. cit.
(17) Idem ibid. Sed ego ex M.S. Tomo Herenesf. sub Lit. D. Lalmon sumsi. Sic ne autem autographum, an contra, non habeo, quod affirmem.

Annus Christi 1421.

„ Bohemiæ intulit, eorum exponeremus, habitis desuper consultationibus, singu-los, qui graviores, & injusti nobis videbantur, in formam litterarum compre-hendi jussimus, suntque hujus tenoris.

„ Inprimis ut, quia Magistrum Johannem Huss, sub salvo conductu, du-plici lingua descripto, damnari ad mortem permisit: immo ipsum proprio ore proprio in Majestate sedens condemnavit, in gravem injuriam, & offensam gentis Bohemorum.

„ II. Quamvis omnes Schismatici, & obstinati Hæretici ab Ecclesia ha-buerint plenam libertatem in Constantiensi Concilio, Ipse tamen malum malo accumulans, contra honorem regni nostri, & omnes ordines regni nostri, & con-tra salvum conductum Papæ, atque ipsius regis, universis datum, & concessum, alterum scilicet Magistrum Hieronymum, virum utique probum, damnare fecit, & comburi.

„ III. Quoniam in prædicto Concilio Christianissimum regnum Bohemiæ, pro hæretico injuste damnari permisit, & cruciatam plenam injuria contra præ-dictum regnum erigi, ad ipsum destruendum, & delendum.

„ IV. Quia his non contentus, nuper in Wratislavia jussit eandem publi-cari, & proclamari, universo regno Bohemiæ in intolerabile dedecus, damna plurima, & offensas.

„ V. Quod omnes circumpositas regiones, & Principes cum prædicta cru-ciata, & damnatione injusta, contra dictum Bohemiæ regnum convocavit, & invitavit, & in propria persona ipsos destructores, & devastatores regni indu-xit, & induci demandavit.

„ VI. Quia prædicti Principes, & exercitus sic in regnum Bohemiæ in-ducti per ipsum regem, injurias exercuerunt, combustiones villarum, civita-tum vastationem, & hominum utriusque sexus, scilicet virorum & mulierum, ac parvulorum fecerunt exustiones, virginumque dolendas stuprationes, & mu-lierum intolerabiles vastationes.

„ VII. Quia constitutus nuper in Wratislavia quendam civem Pragen-sem, propter solam venerabilis Eucharistiæ sub utraque specie communionem jussit equis trahi, & comburi in dedecus regni Bohemiæ innocentis.

„ VIII. Quia plurimos cives Wratislavienses propter culpas in piæ me-moriæ regem Wenceslaum commissas, & dimissas decollari fecit, & multos expelli, & taxari.

„ IX. Quia Marchionatum Brandeburgensem gravi labore Imperatoris, & prædecessorum, nostrorum virorum sanguine conquisitum, a regno Bohe-miæ alienavit, & Marchiam absque nostro consensu in magnum damnum, & debilitationem Coronæ, & regni, prædictis alienigenis obligavit, atque libe-raliter donavit.

„ X. Quia coronam, qua reges nostri coronantur in maximum damnum, & dedecus regni Bohemiæ sine consensu communitatis, Baronum, & civitatis Pragensis, militum, clericorum, & omnium communitatum injuriose abstulit, con-tra suum promissum, & ordinem regni supra dicti.

„ XI. Quod thesauros innumerabiles regni, quos prædecessores nostri, antiquitate, devotione pia ad honorem Dei, & sanctorum Patronorum Bohe-miæ, & ad profectum Ecclesiis dedituros, & attributos, & præsertim a castro Pragensi, & Karlstein, & variis claustris, & Ecclesiis per regnum abstulit. Et thesauros plurimos in castra comportatos violenter rapuit, & extra regnum educi procuravit, in damnum intolerabile regni Bohemiæ & injuriam ejus, & debilitationem.

„ XII. Quod ipsum regnum Bohemiæ per libellos famosos, plenos falsi-tate, & injuria contra regnum scriptos, & destinatos injuste, & inique macu-lavit & dehonestavit, dicens false, & impudice fratrem cum sorore, filium cum matre, & virum cum viro . . . , nefanda dictu, & cogitatu indigna, tur-piter commisceri, in infamiam, & dedecus omnium nostrum importabile, cujus

„ occa

Anno Christi 1421

» occasione fictæ infamiæ, quam plurimæ gentes & provinciæ contra regnum sunt atrociter excitatæ.

» XIII. Quia coram Principibus, & Baronibus exteris, regni Bohemiæ Barones sæpe deturpavit, & dehonestavit, dicens eos esse proditores, & nullum fidelem, in injuriam omnium nostrum & grave præjudicium.

» XIV. Quod multos Barones, & milites Bohemiæ, & Moraviæ coram Wissebrado ad mortem ire compulit, & coegit, & improvidentissima ordinatione ad mortem destinavit in damnum regni irrecuperabile, & gravamen.

» XV. Quod tabulas regni absque consensu regnicolarum abstulit, & abscondit, & omnes pecunias pauperum, orphanorum & viduarum circa tabulas depositas contra jus, & regnum, & ordinem regni abstulit, & collegit.

» XVI. Quod libertates regni, & jura nostra, & Marchionatus ab antiquis regum prædecessoribus liberaliter condonatas, & conservatas infregit, & per omnia violavit.

» XVII. Quod injustas exactiones usque ad extremam exterminationem Civitatum, Villarum, & omnium quasi subditorum crudeliter, & diligentissime exercuit, ut in una Civitate Montanarum minus quam in anno medio plus quam triginta millia sexagenarum extorqueret.

» Nos igitur his injuriis læsi, & offensi optamus a prædicto rege, quatenus primum omnem injustam injuriosissimeque extortam, atque iniquæ infamiæ confictam damnationem, & dehonestationem, quam Christianissimo regno Bohemiæ injuste, & injuriose intulit, aut inferri procuravit, & permisit, tollat, destruat, informet, & emendet, nec amplius damnari, nec dehonestari a quoquam patiatur. Item quatenus Marchionatum Brandeburgensem, & Marchiam coronæ regni Bohemiæ restituat, coronamque regni, qua reges nostri coronari sunt soliti, ablatam nobis, regnoque nostro reddat, una cum auro, & argento, a monumentis sanctorum, & reliquiarum acceptis, ac thesauro regni universo. Tabulas regni, & pecunias pauperum, viduarum, & orphanorum more terræ juxta tabulas depositas, & ablatas cum universis aliis injuste ablatis reponat vice versa; & provincias, quas contra nos provocavit, quietet, & tranquillet, juraque terræ, Comitum, Baronum, & omnium statuum cum libertatibus privilegiisque custodiat, & observet, sciens nostram finalem intentionem, quod in quatuor articulis, quibus unanimiter consensimus, & uniti sumus, volumus finaliter residere, nisi fuerimus, quod non credimus, ex sacra scriptura melius informati; videlicet quod corpus, & sanguis Domini sub utraque specie cunctis fidelibus per sacerdotes Domini publice ministretur; secundo, quod verbum Dei sine impedimento ubique libere prædicetur: tertio quod dotatio sacerdotum superflua a clero debite abscindatur, & quarto, quod omne peccatum mortale in quolibet statu legitime tollatur, & destruatur, & quilibet in statu suo juxta legem Dei reformetur. Quorum articulorum conclusio facta est per nos in plena congregatione Baronum terræ Bohemiæ, & Moraviæ, & Dominorum inclitæ Civitatis Pragensis, militum, clientum, Civitatum, & communitatum in Csaslaviensi civitate anno Domini MCCCCXXI Sabbato post Marcelli. »

Rex objectas famas refellit.

Apparebat facile, Bohemos, excusso penitus jugo, omnes ad recuperandam a rege gratiam vias de industria obstruere, atque eam ob causam tam illiberaliter cum Sigismundo agere, ut spem de redimenda Bohemia aut sponte poneret, aut præcisam sibi omnino intelligeret. Sigismundus, ne quid ob gravissimam accusationem invidiæ sibi apud exteros adhæresceret, alteras Trenchinio literas ad Conventum Csaslaviensem dedit, quibus præcipua accusationis capita, paucis præteritis, in hanc sententiam refellebat. Mirari se magnopere, quod Hussi, & Hieronymi Pragensis, tum regni sacris interdicti causam in se unum congererent, quando pervulgatum omnibus esset, neque Bohemorum plerique, qui Concilio interfuere, illos communi Patrum decreto, & gentium omnium, quæ istic aderant, suffragio damnatos ignorarent, ne autem Bohemia ob paucorum infamiam sacris interdiceretur, se palam dignque esse obluctatum, idque non nesciri

Annus Christi 1421

a regni Legatis, quorum ea in re conatus diligenter adjutum esset. Dedecus, quod isthinc in gentem manasse sibi persuaderent, non tam ad regem, quam ad eos attinere, qui in hæresim prolapsi, judicio totius Ecclesiæ, suum stolide præposuissent. Ab his, tum templa profanari, thesauros rapiunt, in sacros viros summa immanitate grassantur, Deo dicatas virgines corrumpunt, Divorum imagines conculcant, cædibus, ac incendiis omnia permiscent, summam infamiam, cujus se auctorem invidiose criminarentur, nobilissimæ Bohemorum genti, non item a se conflari. Principes finitimos, ne mali contagio ad suas quoque ditiones tacite pervagaretur, sponte in armis excubasse, & si quid in Bohemiam ab iis tentatum sit, non tam ad inferendam, quam propulsandam vim factum censeri oportere, quod hæreticorum maleficio, ut arma corriperent, provocati fuissent. Coronam regni non ablatam, sed tutiore loco repositam, ne injuriæ rapacissimorum hominum, ut fere ceteri thesauri, pateret de tabulis constare regni Proceribus, quas horum consensu, datque fide, quam sigillis suis communierant, alio rsum trasportari jussere, redditurum continuo, ubi odio, & vulgari licentia exstinctis pacata Bohemia esset. Religionis discrimen, quod quatuor capitibus comprehendisset, ut disceptatione illustraretur, nusquam se invitum fuisse, sed prius ad rem, quam veniri posset, hæreticorum seditione regnum intestino bello flagrasse, cujus tristissimum indicium templorum busta, ac S. Viti imprimis, cum Divi Wenceslai, quæ nuper admodum incredibili barbarie conscelerassent, palam, nec sine intentum dolore referrent. Orare se omnes magnopere, ne, quod rumore passim vulgatum esset, eundem furorem in arcem Pragensem exererent, respicerent se se, & sin manus Majorum memoriæ, quæ apud omnes gentes sacerrima est, parcitum velint, regum certe manibus, quorum isthic cineres quiescerent, ut ne injuriæ esse pergant, quam rem cum nullo cujusquam fructu, maxime autem omnium dedecore conjunctam per se se intelligerent. Ad extremum monitos velle, ne, si quid libertati suæ, & prærogativis derogatum putent, sua id judicio dirimerent, quos sibi nascendi conditio, & hæreditatis jura subjecissent, id tamen se illis pro suo in publicam quietem studio daturum, ut finitimi Principes arbitrium habeant, quorum sententiæ nisi stare velint, in causa prorsus futuros, si regnum extremo discrimini implicaretur. (18) Frustra hæc tamen ab Sigismundo tentata, quod malum altiores radices egerat, quam ut tam leni manu tolli posset. Itaque Brunam conventum indicere placuit, quo cum Catholici Proceres plerique confluxissent, (fuere enim facile supra quinquaginta, qui veterum sacrorum tenaces Sigismundo studebant,) acta Czaslaviensis Conciliabuli, quibus ob armorum metum prius consenserant, libera suffragatione penitus antiquarunt. Quæ res non modo factiosos ad obedientiam non revocavit, sed majores præterea ad contumaciam adjecit animos, ut adeo nihil jam in Bohemia esset reliquum, quod regiæ potestati obnoxium fuisset. (19)

Novum quo Bohemi ... conventum indicit.

Cum hæc apud Bohemos inauspicata prorsus fortuna geruntur, Amurathes ejus nominis II. Turcorum Sultanus in Transilvaniam irrupit, & vastata latissime Barczensi provincia Coronensem senatum in vincula abstraxit. Fama erat, neque fortasse de nihilo sparsa, Turcos Venetorum consilio ad violandas inducias, incitatos esse, ne rex, bellis omni ex parte impeditus, ad recuperandam Dalmatiam animum aliquando adjiceret. Sigismundus commonito per nuncios Transilvaniæ Vayvoda, ut hostem diligenter observaret, crebros in superiori Hungaria delectus fieri imperat, qui maximis oneribus laboranti provinciæ suppetias venirent. Quibus, quid postea factum sit, aut quo eventu adversus hostem res gesta, nemo, quod sciam, memoriæ prodidit. (20)

Interea Transilvaniam Turcæ invadunt.

Credibile est, Turcos bellum id sola vastatione absolvisse, & a Sigismundo Bohemiæ intento, curas omnes isthuc conversas esse, ut refractarios, quorum benevolentia nihil profici poterat, armis ad obsequium cogeret. Non deerant, qui, ut majori vi Bohemos peteret, auctores Sigismundo essent, ut auxi- cum

Hussitarum Austriacæ fines ...

(18) HAGEC loc. cit.
(19) HAGEC & BALBIN loc. cit.
(20) Memoriæ Coronensis Templi WINDECKIUS cap. LXXXIX

cum Turcis fœdere, Elisabetham Turcarum regis filio despondéret. Verum rex istorum consilia eversatus, fidem, quam Alberto Austriæ Duci olim dederat servatam omnino voluit. Quare Posonium sub autumni principium delatus Albertum Vienna exciverat, eumque confirmatis pactum prioribus, partim novis adjectis pactis generum sibi designare, tabulas, quibus fidem suam arctius obstringeret, vulgari jussit. In his, multa de singulari parentis sui Caroli IV in Austriacos studio, tum Alberti in se meritis universe prologuutus, Elisabetham Hungariæ, Bohemiæ, ac Moraviæ heredem in solidum scribit, si ipse absque mascula prole decederet: quod si alteram sibi adhuc filiam nasci contingeret, tum Elisabethæ, utrum e duobus regnis cum Moravia vellet, eligendi jus esset, alterum contra sorori relinqueret. Datæ Posonii die Dominica ante Michaelis anno MCCCCXXI (21) Ex quo facile exteros scriptores refellas, qui Barbaram Sigismundi conjugem non modo in gratiam non receptam; sed thoro quoque ab rege exclusam fuisse falso prodidere.

Annus Christi 1421

1422 Nuptiæ inter Elisabetham & Albertum confectæ

Nuptias sequente anno, postquam Sigismundus ad Cutembergam, & Teutobrodam prælio cum Ziska parum feliciter congressus fuisset, Viennæ solemni pompa confectas esse scriptor coævus memorat. Inter cimelia, quæ nova nupta marito attulit, gemmam centum florenorum millibus æstimatam fuisse comperio. (22) Sunt quoque, qui Moraviam genero donum datam perhibeant, ut eam, vel ut portionem, quæ ad se jam attineret, adversum factiosorum vim, & latrocinia tueretur. De Bohemia enim, nisi maximo numero delectus fierent, & auxiliarii in suppetias accerserentur, spem fere Sigismundus posuerat, quod, quascunque hactenus Taboritis copias objecisset, inferiores ex arena excesserant, & Coributhus præterea cum quinque equitum millibus ex Lithuania ad capessendum regnum advenisse nunciaretur. Acceptus est Pragæ magna civium acclamatione, non item Procerum, qui sensim pœnitentia præteritorum ducti, tacite jam favebant Sigismundo, neque illo vivo, ad quem regnum jure hæreditatis pertineret, quive corona legitime redimitus esset, de alio rege, citra summam injuriam cogitari posse contendebant, se quidem, qui, ut Coributhus accerseretur, nusquam ante consensissent, non admissuros quoque, ut Bohemia biceps monstro similis cum exigua gentis apud exteros commendatione vulgaretur. Ea repulsa cives vehementer irritati coronam, quam in arce Divi Wenceslai sacerdotum collegium servabat, aperta vi subducere, & Coributho solenni ritu imponere moliebantur. Sed Proceres cognita facinorosorum machinatione ablato priorum clam Carlsteinum, tum, quod hinc armata manu cives immitterent, traducto in tutiorem locum diademate, Coributhi, & civium studia eatenus frustrati sunt. Quæ cum ad Sigismundum efferrentur, spes haud levis regi oborta est, posse conciliatis Procerum animis Bohemos ad quietem pedetentim adduci, si Coributhus regno exigeretur. Itaque Wladislaum Poloniæ regem, cujus consilio, auxilioque Coributhum in Bohemiam immissum fuisse suspicio multorum erat, per Legatum convenire statuit, qui & de injuria amice quereretur, & oraret, ut Coributhum, si fœderum, quæ dudum inissent, rationem habere velit, in Lithuaniam, aut quovis alio revocet. Mandatæ sunt legationis partes Petro de Zeech, Corbaviensi Episcopo, nobilissimi apud Hungaros generis, viro, cujus fidem, & experientiam in tractandis difficillimis rebus consiliorum jam alias expertus esset. Qui, postquam ob bellum, quod recens Cruciferos inter, & Polonos obortum erat, variis erroribus actus, in Poloniam venisset, mandata coram Wladislao, ut in legationis instrumento habentur, in hæc verba exposuit. *Miratur plurimum serenissime Princeps Dominus meus Sigismundus Romanorum rex, quod serenitas tua, fœderibus, inscriptionibus, atque pactis sic non percussis, parum appensis, Nepotem suum Sigismundum Coributh Lithuaniæ Ducem, cum exercitu gentium Polonicalium potens in subsidium hæreticis & adversariis*

Coributhus spe regni obtinendi in Bohemiam venit

Quam ob rem Legatus ad Polonos mittitur.

N n *suis*

(21) WINDECK cap. XXXXIX HASELBACH coævus Chron. Austr. pag. 851 Gerardus de Roo Hist. Austriacæ Lib. IV

(22) Annal. & acta Piet. Aug. Auctore Wenceslao Zelwenka Lib. III. Cap. IV.

Anno Christi 1422.

fuis transfudit. Qui fideles suos ab obedientia abstrahit, castra quoque, & civitates suae ditionis conquirit, & Bohemorum, haereticorum rebellionem, & sectam, quam maxime nutrit, & confortat. Miratur insuper, quod serenitas tua fratres ordinis Cruciferorum de Prussia, sibi, & Romano Imperio devotos, & subjectos, bello duro, & gravi affligit, & vastat, postquam, super ventilatis inter serenitatem suam, & ordinem causis, justam sententiam, Wratislaviae se arbitratur pronunciasse. Rogat itaque tuam serenitatem, & obsecrat, quatenus nepotem suum Ducem Sigismundum Coributh cum omnibus gentibus, quae cum illo sunt, ex Bohemia revocet, & moram sibi illic, ferreque haereticis praesidia interdicat. Si autem serenitas tua existimat, sibi Dominum meum, Sigismundum Romanorum regem in aliquo injuriam fecisse, offert cum tua serenitate in arbitrium venire, aut communium amicorum, aut consiliariorum utriusque regni, Poloniae videlicet & Pannoniae juxtaque inscriptionum formam facere decisionem: obsecrat insuper majori, quo valet affectu, ut serenitas tua ex terris ordinis desistere, eas amplius ferro, & igne vastare, & consumere desinat. Et si ordo Cruciferorum est tuae serenitati in aliquo culpabilis, offert Dominus meus Sigismundus Romanorum rex, qui illum in sua potestate, & ditione continet, compellere ordinem ad omnem justitiam, & aequitatem, sententiamque suam ad pronunciationem, si gravis & onerosa tuae serenitati apparuit, reformare, & corrigere. Haec Legatus Sigismundi: cui Wladislaus jam dudum ante, quid ad singula capita reponendum esset, in numerato habens, in haec verba respondit: *Non habet frater meus Sigismundus Romanorum, & Hungariae rex, justam murandi causam, si ego pluribus annis passus cum Cruciferis, hostibus meis, & apud Sedem Apostolicam, & ipsum Regem Romanorum, aliisque locis quaestum, nusquam inveniens, justa, & necessaria arma contra illos induerim. Et deficiente in terris justitia, a caelestibus mihi illam quaesierim. Gravibus enim licet lacessitus injuriis, publicis provocatus opprobriis, fortissima militiae robore abundans, bellum tamen hosti meo non intuli, sed primum in ipsum Sigismundum Romanorum regem super singulis quaestionibus, & injuriis compromisi. Qui etsi partem meam, quod etiam apud Scytas inauditum censetur, audire dedignatus, injustam in me sententiam intulisset, & potestate sibi tradita abutens, paternas meas, & naturales terras, de quibus arbitrandi velut his, quae in quaestionem non venerant, nullam habebat potestatem, mihi abjudicasset, volui tamen Principis Catholici more iniquam, & duram mihi sententiam custodire, nisi ordo ipse, in cujus favorem lata est, in omnibus fere illi contraveniens, nec solvit aurum decretum, nec castra demolita erecta, nec terras restituit occupatas. Deinde ad Sedem Apostolicam recurrens, non sine ingenti sumtu, & meam justitiam, & ordinis iniquitatem monstravi, & tam claram reddidi, ut Apostolicus judex Antonius Zeno justissimam pro me, & contra Cruciferos latorus sententiam, imperantem restitutionem terrarum Pomeraniae, Chelmensis, & Michaloviensis apud Glogoviam pro certo die consedisset, sua tamen pronunciatio, Sigismundo Romanorum rege operante, efficienteque, Apostolica prohibitione exstitit impedita. Quaesitus post haec treugas firmare cum ordine, etiam justissimum perosus bellum, nisi fratrem meum Sigismundum regem Romanorum, vafrum, & duplicem in me agnovissem, qui me, & regnum meum periculosius laesum, & perfundatum iri satagens, ea conditione, atque lege ordini firmare mecum destinatis litteris, quas originaliter apud te produco, mandavit treugam, quatenus liceret illam ad Apostolicam, vel imperialem, jussionem violare, & treuga confecta, & ipso mandante, meque existente securo, ordo liberius in regnum meum grassaretur. Et nisi operante Dei clementia litterae suae dolum praefatum detegentes, in manus meas, & notionem pervenissent, firmare treugam cum ordine, etiam sub conditione praefata, quam inseri petebat, annuissem. Non licet mihi itaque fidere de sua amicitia amplius, neque causam meam illius cognitioni credere, quem & opere, & litteris expertus callidum, & gravem hostem, non prius, neque secus, propitia mihi divinitate, de hostilibus terris excessurus, donec eos aut finali excidio vastabo, aut armis pacem mihi, & regno meo aequis conditionibus procurabo. Liquet autem, quod Ducem Sigismundum Coributh ego in Bohemiam non miserim, quapropter nec pro eo intendo respondere.* (23)

Lega-

(23) HARTKNOCH loc. cit. DLUGOSSUS Hist. Polon. Lib. XI.

Legatus, quod ad hæc regereret, nihil omnino habuit; re enim vera litteras Sigismundi ad ordinis Magistrum scriptas constabat a Polonis interceptas esse: Intellecto autem Coributhum ab Alexandro Lithuaniæ Duce in Bohemiam, ut fa-ctiosorum studia aleret, immissum, hunc conveniens censebat, ut pro vetere in Sigismundum amicitia, illius mandatis morem gerere ne gravaretur, id illi cum ad laudem, apud finitimos Principes, tum ad conciliandam regis gratiam magnas accessiones facturum, præsertim quod in ejus arbitrio, tantum ne non velit, rem omnem collocatam intelligeret: verum Alexander non nihil Legati postulatis tribuit, sed eo illiberaliter etiam habito multa in Sigismundum convicia parum decore congesserat, comminatus præterea, se, si ita usus ferret, Coributho suppetias venturum, ut ex inimicissimo sibi rege vindictam caperet. Videbat Legatus utriusque animum injuria præteriti temporis magis exacerbatum, quam ut meandi fœderis rationes, cujus causa præcipue venerat, admitterent. Itaque quod unum reliquum fuit, id maxime operam dabat, ne ad annum sequentem conventum in regni limitibus a Proceribus, aut, si aliud videretur, ab regibus utrinque haberi renuerent, in quo exstinctis injuriarum & suspicionum causis, pristina amicitia ingenti utriusque gentis commodo redintegrari possit. Qua re, quamquam ægerrime impetrata, accepto commeatu ad regem, præterita Hungaria revertit.

Anno Christi 1422.

Qui dum frustra omissi sunt,

Erat tum Sigismundus Norimbergæ, & indicto Principibus conventu de pacanda Bohemia deliberabat, ad quos, postquam quæ Legatus in Polonia egerat, prolixe retulisset, summa voluntatum communione decretum est, ut quisque, quanto numero posset militum scriberet, conflatoque exercitu in refractarios universi moverent. Placuit præterea, ut, quando magna Cleri esset in utramvis partem auctoritas, rex publico edicto, quæ prius bona abstulisset, dedissetque aliis dono, rursum restitueret, ita facile futurum, ut eo beneficio deliniti, partim ad pristina sacra, & obedientiam redirent, partim plebem ad frugem revocare niterentur. Sigismundus, quem propterea religio haud leviter jam prius incesserat, facile consilio huic assensus est, & quascunque olim donationes ex fundis Ecclesiasticis fecisset, publicis literis irritas omnino declaravit. (24)

Sigismundus opem ab Imperii Principibus petit, & obtinet

Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. rex. Notum facimus, tenore præsentium universis, quod hoc alias quadam ardua necessitate constricti, ad resistendum perversis conatibus, & Machinamentis hæreticorum in Bohemia valde consurgentium, qui etiam sunt immanitatis rabie fideles Dei Christicolas, tam mortis tradentes atrociter, quam in bonis funditus spoliantes, Ecclesiam Dei demolientes adeo debachati sunt, & adhuc in sua pertinacia perdurantes, nomen Christianum etiam hodie conantur exstinguere penitus, non parcentes sexui, aut ætati, bona Ecclesiastica, tam Pragensis Ecclesiæ, quam etiam aliarum Ecclesiarum, Monasteriorum, & Parochialium, cujuscunque etiam conditionis existant, tunc certis personis transcripseramus, & dederamus, possidenda, sicut etiam bona Divæ Pragensis Ecclesiæ, nos fecisse præterito tempore memoramur. Nos attendentes hujusmodi transcriptionem, & alienationem bonorum Ecclesiasticorum in personas seculares, quacunque occasione, seu conditione factas, tam a Legibus quam Canonibus fore irritas, & inanes, nec debere subsistere, seu valere, non per errorem, aut improvide, sed animo deliberato, maturo omnium Electorum Sacri Romani imperii, & aliorum multorum Principum, Comitum, & communitatum imperii Sacri, & Regni Bohemiæ communicato consilio, præfatam transcriptionem, & alienationem de possessionibus Ecclesiæ Pragensis præfatæ, quibuscunque personis, quacunque occasione, conditione, seu colore factas, auctoritate Romana, & Bohemiæ regia, tenore præsentium revocavimus, irritavimus, annullavimus, revocamus, irritamus, annullamus, & nullius dicimus, pronunciamus, & declaramus debere esse roboris, vel vigoris decernentes, & volentes, quod honorabiles Præpositus, Decanus, totumque Capitulum Ecclesiæ Pragensis, & etiam singulares personæ, etiam auctoritate nostra, & sua propria

Irritat donationibus, quas in præjudicium Ecclesiæ fecerat.

N n 2 *assum-*

(24) Thom. Joan. Pessina in Majest. & Glor. Metrop. Eccles. Pragensis Radio II. pag. 79.

Annus Christi 1422

assumptis sibi ad hoc, si opus fuerit, suis fautoribus, & amicis, se de eisdem bonis Pragensis Ecclesiæ omnibus, & singulis, ubicumque etiam fuerint constituta, debeant, & possint intromittere, tenere, uti, frui, absque impedimento cujuscumque, & quorumcunque, etiam nostras literas habentis, sive alias cum violentia possidentis, & possidentium, ac etiam sibi pro recuperatione eorundem bonorum tutores, defensores, & adjutores eligere, & recipere pro suo commodo, quoties eis, & cuilibet eorum visum fuerit expedire, praesentium sub nostræ Majestatis sigillo testimonio literarum. Datum Normbergæ Anno Domini MCCCCXXII. die Dominico proximo ante festum S. Bartholomæi Apostoli, regnorum nostrorum anno Hungariæ XXXVI. Romanorum XII & Bohemiæ III. Ad mandatum Domini regis, Domino Georgio Episcopo Pataviensi Cancellario referente, Franciscus Præpositus Strigoniensis.

Frustra tamen Germanorum arma adversus Bohemos fuere

Soluto conventu Electores, quemadmodum Sigismundo receperant conflato e Germanis exercitu, & acceptis Misnensium auxiliaribus, in Bohemiam profecti Satecium urbem obsedere. Vergebat ad finem autumnus, cum obsidioni initium factum est. Itaque celeritate moram corrigendam rati, ductis circum muros operibus strenue oppugnationem urgent. Sexies magna obsidentium clade in moenia assultum fuit; quæ ratio cum parum procederet, placuit urbem igni exurere. Eam ob rem columbas, & id genus aves magno numero capi imperant, quibus, alligata ad caudam materia, pice, ac sulphure imbuta, in urbem dimissis late incendia sparsum iri credebant: sed aves partim aliorsum delatæ, partim serpente celerius, quam opus esset, igne ambustis alis inutiles redditæ, aut cum magno obsidentium incommodo ad castra hostium repulsæ, risum, non damnum obsessis fecere. Ad extremum facta a civibus eruptione, majori dedecore, quam cæde rejecti sunt. Ita Principes Imperii nulla profliata re, cujus causa venerant esset, ex sententia confecta Bohemiam deseruere (25).

1423. Neque res feliciius paratur cum Ziska tentat.

Sigismundus parum prospere suscepto ab Imperii Principibus bello in spem recuperandæ sine armis Bohemiæ præter omnium expectationem sequente anno adductus est. Dum enim Pragenses cum urbium ceterarum Legatis Coributhum regem perdite deposcerent, Ziska contra cum suis vehementer a regis nomine abhorreret, dissensio in gravissima primum odia, tum acerrimas armorum collationes deferat, in quibus cum Ziska semper victor exstitisset, neque tamen Pragenses suo consilio consentientes posset reddere, ferunt hominem clam cum Sigismundo de ineundo foedere egisse, quo se Pragam ad regis obsequium pollicetur sit adducturum, si sibi pro navatæ operæ pretio Proregis dignitas tribueretur. neque Sigismundum, ut se a molestissimo bello expediret, conditionem renuisse, si, quod promisisset, opere ipso expleret. Atque isthinc manasse reor, ut plerique Scriptores rebus gestis proximi, Sigismundum priorem cum Ziska de foederibus tractasse, hominemque sibi oblatis etiam muneribus devincere voluisse perhibeant, ac veluti rem, quæ longe infra regiam Majestatem posita sit, maligne perstringant, quasi vero, si rei publicæ quies id postulat, aliquid intersit, armisne, an muneribus quis ad officium revocetur (26).

Celebrato deinde cum Polonorum rege conventu.

Interea cum præstitutum tempus, quo se Sigismundus cum Wladislao conventurum promiserat, sensim appropinquaret, Proceres utriusque regni in Slamoviczio oppido convere, & dato, acceptoque vicissim vadimonio, publicas literis cavere, ut quocunque loco sive in Hungariæ, seu Poloniæ finibus reges congredi vellent, id bona fide, citraque dolum, fraudemque, ut fieret. Acceptus ab utroque rege mandatis, Kezmarkum, est id celebre in Scepusiensi provincia oppidum, conventum celebrari placuit. Prior Wladislaus cum Alberto Cracoviensi, & Joanne Pella Wladislaviensi Episcopis venerat, quem haud multo post Sigismundus, in frequentissima Optimatum Corona consequutus est. Uterque in campo Schramoviczensi obviam sibi facti, ex equis se demiserant, tum dextram, amplexumque jungentes sese salutavere. Inde Kezmarkium profecti

(25) HAGECIUS & BALBINUS suprascriptis locis.
(26) BALBIN. Epit. Rer. Boh. Lib. IV cap. VIII.

Anno Christi 1423.

cti injuriarum, & querelarum disceptationem, Procerum, ac, qui honoris caussa advenerant, Principum arbitrio committunt. Adfuere præter Alexandrum Wladislai fratrem, Fridericus Brandeburgensis, Henricus Landshutanus, & Adolphus Nassovius. Prima contio ut acerrima fuit, ita, complanatis ad liquidum caussis, secundo prorsus eventu terminata. Poloni sententiam, quam Sigismundus pro Cruciferis, Wratislaviæ pronunciarat, iniquissimam criminabantur, Hungari contra Bohemos ab Wladislao in contumacia firmari contendebant, cumque utrique, ut fit, regem suum maximo animorum æstu tuerentur, Principes, quos supra memoravi, intercessere, pacem haud alia via posse confieri rebantur, quam si Hungarus sententiam, oblato iterum arbitrio, se commutaturum, Polonus contra Coributhum cum auxiliaris ex Bohemia se revocaturum data fide sponderent. Re ad regea relata facile annuentibus, quas Principes suasere, conditionibus redintegrata est, quam ut Sigismundus firmam ratamque ne nesciret, Wladislaus consensus præterea tabulis cavit, se ad VIII calendas Augusti cum tringinta militum millibus contra Bohemos regi præsto futurum. *Datum in Kesmark feria III. post Dominicam Ramis Palmarum, anno Domini MCCCCXXIII* (27) Coributhus secundum fidem pactorum ex Bohemia revocatus, sententiam quidem regem posuit, non item curas ademit Sigismundo, cui, ut locus erit narrandi, alius ex alio labor in Bohemia, quoad vixit, obortus est.

Foedera redintegrat.

A confecta pace aliquamdiu cum Wladislao commoratus, salutato postremum Polono Cassoviam, tum Budam properat, ubi Albertum Austrium generum, Henricum, Ludovicum, & Wilhelmum Bavariæ, tum Rompoldum, ac Censium Silesiæ Duces, qui honoris caussa ad regem inviserant, comiter accepit. Hic per suorum litteras edoctus Manuelem Palæologum orientis Imperatorem advenire, ubi propinquum intellexit, extra urbem cum primi ordinis Principibus obviam profectus, vementerque summa honoris significatione, & pompa complexus Budam deduxit. Quæ caussa hujus adventus, aut quis de re cum Sigismundo actum sit, compertum non habeo: si ex iis, quæ postea evenere conjecturam capimus, credibile est, Turcorum metu, quos ad oppugnandam Constantinopolim, ut ex eventu patuit, animos adjecisse fama erat, ad tam longinquum iter adductum, suppetias petisse, quibus id periculum ab suorum jugulo amoliretur. Habueritne regem sibi faventem, aut contra perinde obscurum est. Illud certius, post Imperatoris Constantinopolitani Buda excessum, Legatos ab Amurate Turcorum regulo, & Serviæ Despota adfuisse, qui fœdera, pacemque orarent. Sigismundus, ut aliquam Majestatis speciem Barbaro præberet, Cardinalem Placentinum Legatum Apostolicum cum plerisque Hungariæ Antistitibus, tum Albertum Austriæ, ac Bavariæ, Silesiæque Duces cum regni Proceribus, omnes frequentissimis clientelis stipatos sibi adesse jussit: in suorum corona solium conscendens Legatum coram adduci imperat. Ferunt hominem, conspecto Sigismundo, qui corpore, vultusque Majestate ceteros eminebat, paulisper attonitum hæsisse, tum revocato animo ter prona in humum fronte, ex gentis suæ ritu regem adorasse. Jussus consistere præter salutem ab Amurate missam pauca proloquutus, munera regis sui nomine obtulit. Inter hæc præter Asiaticos pannos copiosissimo auro intextos, lebetes ex puro conflatos argento, tum tapetes Persicos, clavas, ensesque gemmis auro distinctos, tentoriaque fuisse comperio ex serico eleganter confecta, ac funibus aureis ditissime ornata. Iisdem muneribus, ac honore Albertus Austriacus exceptus est. Postridie, ubi de fœderibus actum, & induciæ in biennium sanctæ fuissent, Legatus, post aliquot dierum moram, donis vicissim ornatus missionem obtinuit. (28)

His confectis Budam revertitur.

Græcorum Imperatorem,

Tum Turcorum Legatos liberaliter excipit.

Muneribus ab Legatis excipitur.

(27) In Diplomatar MS. Pol. Cl. SOMMERSBERG Tom. II. & WINDECK cap. CII

(28) WINDECKIUS cap. CXIX. ita hæc munera describit. „ In derselben Zeit was „ potschaft komen zu dem Konig, das der „ Dorschen (Türchen) Kaiser sein gewaltige potschaft det zu dem Konig von „ Ungern ... und sie kam, und pracht „ dem Romischen Konig zu Ungern vil „ hubscher Zirheit, und clenat, als vag „ gulden, und siden tuchern, von Scha-

Anno Christi 1423. *Buda Posonium delatus Fridericum Ciliensem capitis condemnat.*

Rex dimisso Legato Posonium cum Alberto profectus nuntios ab Hermanno socero accepit, qui Fridericum ejus filium, ob perpetrata adulteria, & uxoris cædem capitis postularent. Suspicio mulierum nec fortasse ex nihilo fuit, quæ cognitionem propterea regi delatam, ut eum, ac conjugem Barbaram, quod ab ejusmodi flagitiis non abhorrerent, tacita comprehensione ad frugem revocaret. Erat Friderico conjux Elisabetha Nicolai Vegliæ, & Modrusiæ Comitis, tum Croatiæ Bani filia, probissima mulier, &, quod præcipue matronas ornare solet, intaminatis pudoris. Hujus mores sibi dissimillimos cum brevi aspernatus fuisset Fridericus, ea repudiata in aliarum, ac fere exoletarum mulierecularum connubia se se provolvit. *At cum parentes utriusque magno labore post aliquot annos, divisos conjuges in matrimonium reduxissent, prima nocte, qua Fridericus ad uxorem redit, quod parabatur ad pacem, vertit in necem. Efferatus enim, & amoribus novæ concubinæ devinctus, arrepto cultro, nobilem atque honestam feminam, ac qua prius Ulricum suscitaverat, neque jus matrimoniale, neque altitudinem sanguinis, neque commune pignus susceptum advertens, sceleratus occidit* (29) Peracta cæde, quam prius mæretis loco habuerat, invito patre conjugem duxit. Hæc causa delatæ ad regem accusationis. Evocatus propterea Posonium Fridericus, dictoque die, & criminatione penitus illustrata capitis ab Sigismundo damnatus est. At facta paulum post vitæ venia in Austriam promoti, cum Ciliejam ad patrem per satellites deducendum curavit, a quo omnibus bonis exutus, ac in carcerem conjectus, multorum damno, ut postea narrabimus, servatus est. Concubina in profluentem mersa, exemplo fuit, quam male Principes criminis sui pœnas in alios detorqueant (30)

1424. Rursum in Poloniam profectus,

Sigismundus exacta hieme cum Erico Daniæ rege ab Wladislao, ut Sophiæ conjugis inaugurationi interesse vellet, per nuntios rogatus Cracoviam magno stipatus comitatu properabat, ut eam pompam quidem sua præsentia illustriorem redderet, re autem ipsa ut Wladislaum arctiori amicitia contra Bohemos sibi conciliaret. Placuit rem a nuptiis ordiri. Erat Boguslaus Stolpensium Dux Sigismundo sanguine conjunctus, qui ut Dynastarum in Silesia facile potentissimus fuit, & regis ante alios studiosus, ita magnum ad refrenandos Bohemos momentum allaturus videbatur, si constatis cum Hedwige, Wladislai filia, nuptiis novo beneficio adstringi Sigismundo posset. Non latebat regem opus id molitu arduum, ac difficile futurum, quod Hedwigis Friderico Brandeburgensis Marchionis filio jam ante desponsa esset, qui eam ob rem apud Alexandrum Lithuaniæ Ducem liberaliter haberetur. Itaque pertracto in suas partes Erico Wladislaum clam adit, spem ex eo matrimonio, & fructus uberrimos memorat, terras denique, quæ a Poloniæ regno avulsæ olim fuissent, restitutum iri promittit. Nutabat Wladislaus, jamque consensurus erat, nisi majorem datæ fidei, quam commodorum rationem habens, Alexandro fratri, quem Brandeburgo impense studere norat, rei arbitrium detulisset. Is rogatus utra affinitas alteri præponenda videretur, per oratores respondit, Wladislaum neque pro sua dignitate nec regni commodo facturum, si a promissis, quæ data fide stipulatus esset, facta discederet.

Turbat inter regem & fratrem calor.

Simul Martinum Papam per Cardinalem Placentinum celeriter rem edocet, cui sponsionem cum Marchione initam, vehementer probatam fuisse constabat, Pontifex haud moratus, scriptis ad Wladislaum literis, regem majorem in modum hortabatur, ut ne a pactis conventis discederet, facturum, si in proposito constans maneret, non modo magnas ad rem Christianam accessiones, sed

„ neu faden gezelten, do die sewle ein „ gulden worn . „ Et cap. CXXIII. ea singulatim sic recenset. „ Also schackte „ der Durke dem Konige gulden siden „ tuchen, und vir ubergolte pecke, ur „ Dorischen kolben, X heidenisch deb- „ bich . . . do kam der Despot . . . und „ schanckte dem Romischen konig wol „ XX gulden siden tucher X uberguld- „ ter becke, X Durschen kolbe, zehen „ par beschlagener Dorkischer teschen, „ zwey Dorkischer swert mit gorten mit „ silber und ubergold. X heidnische de- „ che . . . „

(29) ÆNEAS SYLVIUS in rebus Friderici III. Tom. II. Analect. Bibl. Aug. Vindobon. G. KOLLARII.

(30) Idem ibidem & Chronic. Ciliejense.

in singularem quoque suæ familiæ honorem, quæ cum Marchionibus Brandeburgensibus proximo necessitudinis vinculo copulata esset. Quæ res, quoniam a plerisque scriptoribus prætermitti video, non indigna prorsus relatu est (31)

Annus Christi 1424.

„ Martinus Episcopus servus servorum Dei, Charissimo in Christo filio, Wladislao Poloniæ regi illustri salutem, & Apostolicam benedictionem. Commendandum est nuptiale bonum in Christianis hominibus, quod ad licitam propagationem humani generis, & confirmationem universam Dominus ordinavit. Sed illæ sunt nuptiæ magis exoptandæ, ex quibus, præter illam communem omnibus utilitatem, alia quædam magna bona proveniunt, regnis, & populis, quales sunt nuptiæ, quæ celebrantur inter illustres, a quibus pendet multarum gentium pax, & salus. Cum itaque jam dudum senserimus, dilectam in Christo filiam nostram, natam tuam Hedwigim, despondisse in uxorem dilecto filio, Nobili adolescenti Friderico, nato dilecti filii Nobilis Heri, Friderici Marchionis Brandeburgensis, eamque personaliter constitutam in conspectu serenitatis tuæ, assistente notabili congregatione Prælatorum, Baronum, & militum regni tui, per verba de præsenti consensisse, & accepisse in maritum suum legitimum, præfatum Fridericum ipsius Marchionis natum, eodem Friderico Marchione etiam similiter acceptante in uxorem legitimam, vice, & nomine filii sui prædicti. Et cum hoc matrimonium videremus utrique parti honorificum, ac multis gentibus fore salutare, lætati sumus in Domino, & continuo gratulati sublimitati tuæ, existimantes, te prudenter consuluisse, & providisse quieti senectutis tuæ, & statui filiæ tuæ, ac paci perpetuæ regni tui. Etenim cum propter magnitudinem & excellentiam tuam haberes facultatem ex omnibus regibus & principibus Christianis generum eligendi, illum accepisti potius, quem justis ex causis existimare potes tibi obsequentissimum filium, & filiæ tuæ amantissimum virum esse futurum, eumque ideo nutriendum, & erudiendum sub tuam disciplinam regnum suscepisti. Et hoc etiam matrimonio declarasti benignitatem voluntatis tuæ erga Alemannum sanguinem, apud quem tam charum, & dulce pignus collocare voluisti. Nos quoque cum nostra prosapia de Columna ex qua carnaliter nati sumus, obstrinxisti affinitatis vinculo. Nam, sicut ab antiquis accepimus, qui priscam originem nostram per manus traditam, ab antiquioribus retulerunt, nostra de Columna Romana, & præsentium Burggraviorum Norembergensium Domus, quæ etiam Romana fuisse dicitur, ab eodem stipite derivatæ sunt. Ex quo cum essemus antea serenitati tuæ affecti propter merita, & officia tua in populum Christianum, esse nunc debemus, & erimus, accedente vinculo affinitatis, cum Excellentia tua magis conjuncti, & ad honorem celsitudini tuæ exhibendum inclinati, qui simul cum Brandeburgensi nostram quoque prosapiam, illustribus, & regalibus nuptiis honorasti. Quare fili charissime, etsi nullatenus dubitarius de constantia, & fide tua, & matrimonii hujus firmitate, tamen, quia illud habemus cordi, & ex eo judicamus plurima, & magna bona esse secutura, libenter te in hoc laudabili proposito nostris literis confirmamus. Rogantes excellentiam tuam, ut modis omnibus, atque signis, quibus honeste potes, mundo declares, hanc tuam immutabilem voluntatem, ita, ut nulli dubium sit, quin matrimonium illud debeat, annuente Domino, feliciter confici, & consummari. Datum Romæ apud sanctos Apostolos, quinto calendas Junii, Pontificatus nostri anno septimo „

Quas Papa per literas firmat.

Exclusus hac spe Sigismundus, operam studiumque illo collocarat, ut, quas Wladislaus suppetias publicis tabulis anno abhinc pollicitus esset, re ipsa præstaret: his sibi perquam opus esse, quod Moravi quoque seditionis malo correpti, non modo Alberti vim propulsarent, sed frequentibus etiam procursionibus finitimas Hungariæ provincias latrocinantium ritu pervagarentur. Wladislaus, ne nova Sigismundi animum suspicione irritaret, nam (Coributhus rursum coacto ex hominum colluvie exercitu, clam rege in Bohemiam ad factiosos abierat,) quinque equitum millia se missurum spopondit, quorum opera, quemadmodum

Ericus Daniæ regi commeatum in Sulejovum præbet

(31) Dlugoss Hist. Polon. Lib. XI.

Annus Christi 1424.

dem liberet, adversum Bohemos uti posset. His ad Olomucium, ad quam urbem Albertus Austriacus castra posuerat, præstolari jussis, in Hungariam cum Erico Daniæ rege revertit. Cui postquam commeatum ad profectionem Jerosolymitanam, illuc enim Ericus pietatis causa properabat, suppeditasset, facto per Hungariam militum delectu exercitum haud temnendo numero conflavit, cum quo Alberto socero suo conatus adjutum iret (32).

Et rem in Bohemis, ac Moravis utrobique feliciter gerit.

Præfecerat enim copiis summa potestate Stephanum, & Georgium Rosgonios Comites Posonienses, qui magnis itineribus profecti, dum Albertus armis Moraviam perstrepit, facta in Bohemiam irruptione, castrisque ad Devizkam fixis, urbem obsidione cinxerunt. Erat is locus egregie ad arcendam vim communitus, & præsidio Hussitarum præ cæteris instructus. Neque tamen nostrorum virtutem diu frustrari potuit; quod haud multo post, quam muros machinis verberare cœpissent, assultu præsidiariis omnibus interfectis, captus est, ac ne hosti deinceps emolumento, aut usui esset, a fundo convulsus. Inde vis aliis quoque urbibus admota, ac pleræque, quæ Moraviæ finitimæ sunt, in potestatem venere, hæreticis, quos nancisci poterant, ferro, ignique consumtis. Hradischeio civitate præsidio communita, ut finitimus ager in obsequio contineretur, in mediterranea Moraviæ signa inferri placuit, in qua cum multi factiosorum latibula aut solo æquassent, aut flammis exussissent, ad urbem Ostro manus cum Moravis consertæ sunt. Causæ ut æquitas, sic & fortuna favit, fusi, fugatique Moravi, ac impedimentis exuti, ab armorum collatione deinceps abstinuerunt (33).

Hæc

(32) Idem ibidem.

(33) In Diplom. anni 1430. ex MSS. D. Raczinyi. In quo hæc Sigismundus. „Nobis itaque de prætactis partibus Alemanniæ factis nostris arduis votive consummatis, & ad finem optatum deductis, in regnum nostrum Hungariæ redeuntibus, tandem dum in anno, cujus jam sexta instaret revolutio „ (rediit autem anno 1419 post solutum Constantiense Concilium, itaque sexta anni revolutio cadit in annum 1424) „ valido nostro exercitu instaurato, prædictum regnum nostrum Bohemiæ ad refrenandam proterviam nostrorum rebellium, ut puta, Bohemorum hæreticam pravitatem per quondam Joannem Wykleff, dudum damnatum hæreticum adinventam, demum per Joannem Huss, & Hieronymum similiter hæreticos publicos in sacro Constantiensi Concilio juxta sententiam eiusdem contra ipsos latam, incineratorum, in eodem regno nostro Bohemiæ dogmatizatam, prædicatam, & promulgatam foventium, & dirigentium, castra metari fecissemus, Civitatemque nostram Devizka vocatam, fortissima murorum & turrium latitudine, & altitudine sitam in prædicto regno nostro Bohemiæ situm, quam tunc dicti hæretici tenebant occupatam, expugnaturi obsedissemus, in ejusdem Civitatis obsidione & expugnatione memorati Stephanus, & Georgius Comites Posonienses, principales, seu ductores prætacti exercitus nostri, exeundo speciales ex missiones bombardarum, & telorum, & lapidum densitates non advertentes personas eorum pro nostri honoris incremento, casibus mortis exponere non expavescentes, non sine ipsorum & familiarium eorum in latere consistentium ipsis conjunctorum, sanguinis effusione laudabilia exhibuerunt servitia, quam quidem Civitatem nostram in manu forti, Deo auxiliante, recobravimus, & funditus everti & dirui fecimus, in illa itaque ipsa Civitate eversa, & dirutis universis nostris æmulis in eadem existentibus & exterminatis, & interfectis, aliis etiam quam pluribus nostris castris, & Civitatibus munitionibusque fortissimis in eodem regno nostro Bohemiæ, & Marchionatu Moraviæ existentibus, per ipsos nostros æmulos alias temere usurpatis, in prædicto nostro exercitus progressu pro nobis victoriose, Divina favente clementia, recuperatis, nobisque datis & donatis reversis, nobis siquidem abinde feliciter ad propria revertentibus, in ipsa quoque nostra reversione duobus castris, seu tortaliciis fortissimis ipsorum nostrorum æmulorum expugnatis, ipsisque nostris infidelibus in eisdem castris repertis, quibusdam in ore gladii, quibusdam vero per pœnam mortiferam ignis voragine interemtis ad Civitatem nostram Hradische (fors rectius Hradischeum) vocatam applicantibus, remotisque militibus, ac aliis nostræ familiares ad stipendium nostræ serenitatis pro ipsius civitatis conservatione, & partium nostrarum superiorum defensione dimisissemus ecce præfatus Stephanus filius prædicti condam Simonis re-

„ lo

Hæc ab exercitu Sigismundi gesta; quo magis miror scribere non nullos esse ausos, parum prospere hoc anno res belli per regna administratas fuisse. Alberto contra ad Olomucium excubanti satis erat, nihil amisisse, & parta tueri. Poloni enim, quos Wladislaus auxilio miserat, postquam aliquamdiu otiosi in Moravia constitissent nulla re patrata domum reversi sunt. Sein causam a scriptoribus Polonis in Ducem Austriæ conjici, quod istos, vim, aut fraudem veritus, Olomucio urbe exclusisset. Sed non video, quid Albertus, cui & majore numero, & victoriis assuetus miles erat, a quinque Polonorum millibus, neque enim plures fuisse constat, magnopere timendum habuerit. Itaque opinor aut a Coributho clanculum corruptos, aut non serio ad bellum, cujus tamen causâ venerant, animos adjecisse (34)

Anno Christi 1424.

Hæc inter Ziska, profligatis semel, atque iterum Pragensibus, paceque cum iis ope Joannis Rochezanæ, de quo frequens nobis deinceps sermo erit, confecta in Moraviam properabat, ut Sigismundi exercitum a provincia exigeret, non item, ut aliqui perperam scribunt, cum Rege adversum Bohemos, & in primis Pragenses fœdera iniret. Nam eum quidem, quamquam nullum erat crudelitatis genus, quo non insignis esset, tamen datam fidem nusquam violasse constat. Neque dubium est, quin male regios accepturus fuerit, cum ob faventem sibi plerumque fortunam, tum ob egregiam, quam perpetuo bellorum usu sibi comparaverat, militaris rei peritiam, nisi in ipso procinctu V. idus Octobres peste sublatus Bohemiam ingenti malo, Sigismundum metu absolvisset. Ferunt prius diem, quam supremum obiret, testamento constituisse, ut corum corpori detractam tympano obducerent, ita futurum, ut accepto hujus sonitu hostes in fugam agerentur. Sed id Theobaldus inter commenta refert. Hannibali similem fuisse haud pauci ex Bohemis sunt, qui sentiant, ego, quod utrumque oculum bello amiserit, majorem puto, quando id fere est, quod inter utrumque contendatur. Etsi enim arte & calliditate in conserendis præliis mirifice valeret, fereque victor ex arena excederet, eam tamen laudem insigni crudelitate, & barbara in omnes inhumanitate contaminavit, ut adeo Sylvius eum ex hominum numero excludens maluerit compellare, *monstrum detestabile, crudele, horrendum, importunum, quod postquam manus humana conficere non valuit, digitus Dei extinxit.* (35) Regnochradecii primum conditus, tum, incertam ob quam causam, Czaslavam traductus, etiam post mortem vivos terruit (36)

Hæc inter Ziska moritur.

Quæ de eo fuerit existimatio.

O o A Zi-

„ lo peculiali nostro regio adminiculo sustentatur, sed in proprus suis sumptibus, & expensis, cum copiosis suorum, & dicti Georgii fratris sui familiarum comitiva, in ipsa civitate nostra Hradische inter cæteros fideles nostros remansit, & in eadem usque natum nostræ voluntatis perseveravit, dictisque æmulis nostris, ut puta Moravis, cum prædictus alias nostra infidelibus damna irrecuperabilia irrogavit, possessionesque & fortalitia nonnulla eorundem in favillam converterit, & multos ex eadem nostra in prælio campestri cum eadem infidelibus ante civitatem nostram Ostro vocatam, quam tunc dicti nostri æmuli gubernabant, commisso interfectis ... verbis dictorum nostrorum infidelium demoliis, eosdem hæreticos ... in ore gladii usque ad muros ipsius civitatis fuit prosequutus, inter quos idem Stephanus Comes præ cæteris suis particibus, velut aurum puritate a suo splendore cæterorum metallorum præcellens rutorem ... adeo studuit nobis complacere ... Datum Posonii ... anno Domini MCCCCXXX.„

(34) Dlugoss. loc. cit.

(35) Hist. Boh. cap. XXVI.

(36) Hagec. lib. laud. & Balbin Epit. rer. Boh. Lib. IV. cap. IX. refertque in nota rem curum in hæc verba: „ Ad Ziscæ sepulcrum Czaslaviæ relictum rem superiore seculo scribitur accidisse: cum enim Ferdinandus I. Imperator Vienna Pragam proficiscens ex itinere Czaslaviam venisset pernoctaturus, templum orandi studio aperiri sibi jussit, ingressusque vidit ibi clavam ingentem ferream ad sepulcrum quoddam pendere, vocatis Aulicis quærit, quis hoc conditus esset, videt aliquem Heroem Bohemum ist... gurem in eo loco tumulatum, illi pudore tacebant, sed cum toties idem quæreret, tandem audacior quidam respondet, Ziscæ hoc esse sepulcrum, tum „ ex-

Annus Christi 1425.

Ab ejus obitu schismatici in factiones divisi.

A Ziscæ obitu, exercitus, quem magna industria collegerat, ac laborum patientem effecerat, in duas factiones divisus est. Altera Procopium cognomento Rasum sibi Ducem præfecit, altera, quod nullum esse, qui Ziscæ comparari possit, diceret, Orphanos se se appellavere; atque ita pars novum indepta nomen est, pars vetus Taboritarum retinuit. Studiis quidem non nunquam contrarii, sed ubi periculum extrinsecus urgeret, junctis animis, armisque vim propulsabant. Cæterum munitas urbes nunquam ingredi, nisi, idque perraro emendarum rerum causa, passim in castris vitam cum conjugibus, & liberis ducere, rapto vivere, & cædes, ac latrocinia exercere, quoad pristinum morem sensim resumerent, bellumque non modo per Bohemiam, sed finitimas quoque provincias circumferrent. (37)

Ingruente a Turcis periculo rex Belgradum sibi asserit.

Atque id in causa fuisse suspicor, cur Sigismundus post Ziscæ excessum languidius in principio rem gereret, ratus, homines, qui temere, ac ex facinorosorum colluvie prius conflati fuissent, capite destitutos inopte dissipatum iri. Quamquam & metus, qui a Turcis imminebat, non nihil illuc contulisse visus, qui tametsi inducias cum rege in biennium pepigerant, ita ambiguos tamen in Servia motus faciebant, ut, in quos bellum conversum esset, haud satis constaret. Quamobrem Georgius Rasciæ Despota, quem ingruens periculum maxime spectare videbatur, metuens, ne pulcherrima Serviæ portio in Barbarorum manus veniret, clam cum Sigismundo egit, ut Belgradum (erat ea urbs provinciæ illius caput) eodem, quo prius jure, haberet, si sibi vicissim tutos in Hungaria fundos, ex quibus cum suis honeste aleretur, donum daret. Non abnuit rex, illo maxime persuasus, quod, quamdiu is locus, natura situque adversum vim egregie communitus in Hungarorum potestate esset, frustra bellum barbari in Hungariam transferrent, confectisque tabulis amplissimos trans Savum & Tibiscum agros, ex quibus Georgius cum uxore Helena, tum filiis Stephano, Georgio, ac Lazaro vitam cum dignitate sustentarent ex Optimatum scito transcripsit. In his Salankamenum, Syrmiensis provinciæ oppidum, cum statuto agro: ad Tibiscum vero amnem Tokajum, Debrecinum, & Muncatsium, præter alia opulentissima loca, fuisse comperio. (38) Sed qua ratione Belgradum, quod Hungarorum juribus antea semper obnoxium fuit, in Despotarum potestatem veterti omnino obscurum est: neque enim bello interceptum, aut datum pignori, venditumve ullus memorat. Si quid conjecturæ tribui potest, reor tum, cum capta Maria, & absente in Bohemia Sigismundo res Hungariæ fœdum in morem miscebantur, Despotam Serviæ clandestino studio ad possessionem urbis irrepsisse.

Dum

„ exclamavit Imperator, phui phui mala
„ bestia! quæ mortuus etiam post centum
„ annos terret vivos. Temploque statim
„ egressus noluit pernoctare Czaslaviæ. „
Epitaphium Ziscæ hoc positum est. *Anno 1424. die Jovis ante festum Galli vita functus Joannes Ziska a Calice, Rector Rerum publicarum laborantium in nomine, & pro nomine Dei, hoc Templo conditus est. Gregorius avunculus PP.*

(37) ÆNEAS SYLVIUS Hist. Bohem. cap. XLVII.

(38) THUROCZ. Part. IV Chron. cap. XIX. Et TIMON in Nov. Imag. Hung. cap. VII. has litteras exhibet: „ Nos capitulum Ecclesiæ Budensis omnibus Christi fidelibus, tenore præsentium significamus, quibus expedit, universis. Quod illustris Princeps, Georgius Despotus regni Rasciæ, atque Dominus Albaniæ, onera, seu quælibet gravamina universorum fratrum, proximorum, & consanguineorum suorum, & præcipue conthoralis suæ Dominæ Elenæ, nec non filiorum suorum, puta, Stephani, Gregorii, & Lazari super se recipiens, & assumens, coram nobis personaliter constitutus sponte proposuit, & confessus exstitit in hunc modum: quod, quia consanguineum suum legitimum, egregium Paulum Bean de Verona, filium quondam Michaelis Ducis de eadem, Marchionem Bosnensem de cognatione Stephani, regnorum videlicet Rasciæ, Bulgariæ, Bosnæ, atque Albaniæ quondam Imperatoris, justo ordine mediante de quibusvis rebus, & bonis, ac tenutis, & pertinentiis suis universis portio tangit, & concernit tanquam unum hæredem, ac filium suum, pro eo per totaliter contulit eidem quinque castra sua, puta castrum principaliter Zolnik, cum oppido scilicet Zolnik cum tributo in eodem exigi solito, nec non Cha-
„ rouza

Anno Christi 1416

Dum ita communiendæ adversus Turcos Hungariæ Sigismundus studet, ingens in Bohemia clades accepta est, ab iis, qui regis causam fidele & res tuebantur. Erat inter urbes, quas Misnensibus a Sigismundo pignori datas memoravimus, præcipuo loco Austa, & muris, & Albi flumine pro illorum temporum habitu præclare communita, ex qua cum præsidiarii in finitimum agrum crebro excurrerent, ipsisque adeo Pragensibus infesti essent, cives urbem eam, ceterasque, quas summa injuria per Sigismundum ab regno avulsas querebantur, in pristinam dominationem vindicandas censuere. Communicato cum Taboritis consilio, facile Procopius, qui iis præerat, a Bavarica expeditione se reflecti passus est, junctisque viribus sociale bellum conflavit. Primo impetu Teplicium, Duxovium, Cuprus, aliæque urbes interceptæ, tum vis omnis Austæ admota. Hic aliquamdiu frustra urbem vineis, ac machinis aggressi, temere magis, quam fortiter in moenia assiliere, sed præsidiariorum, ac civium virtute magna cum clade suorum rejecti, lenta obsidione deditionem urgebant. Fridericus Saxoniæ Dux, ad quem urbs cum reliquis oppidis attinebat, cognito suorum periculo, quanta poterat celeritate militem ex Franconibus, Thuringis, Misnis, Voitlandis, & Saxonibus concivit, conflataque, si non est fides major vero, centum millibus adjutæ jam ad extrema urbi suppetias properavit. Ventum Austam est mense Junio, & haud multo post, quam curata ex itinere corpora fuissent, acerrimo prælio concursum. Taboritæ, quod numero inferiores essent, aciem ex Zisckæ ritu, & disciplina intra currus catenis ferreis colligatos pro more struxerant. Nam illis quidem pugnandi ratio universim hæc erat. *Currus quam plurimos habere, his pro vallo uti; procedentes ad pugnam duo ex his cornua facere, in medio peditatum claudere, alæ equitum extra munitiones prope adesse. Ubi congredi tempus visum, aurigæ, qui cornua ducerent ad Imperatoris signum, comprehensa sensim, quam voluerunt, hostium parte, ordines quadrigarum contrahere: interceptii hostes, quibus sui subvenire non possent, partim gladio a peditatu, partim missilibus ab his, qui erant in curru, viris ac mulieribus necati. Equitatus extra munimenta depugnare, quem, si forte quis opprimere fugientem, mox aperti currus excipere, indeque velut ex civitate moenibus cincta defendi, eoque modo quam plurimas victorias consequi, cum eam pugnandi peritiam vicinæ gentes ignorarent, & ager ille septentrionalis late patens ad explicandas bigarum, quadrigarumve ordines peridoneus*

Saxones in Bohemia ab Hussitis & Taboritis profligantur

Quæ illorum sit pugnandi ratio fuerit.

O o 2 habe-

maeza cum tributo in eodem habito, seu auri, & argenti fodinis, ac Bohema cum auri, & argenti fodinis, nec non tributo in eodem exigi solito & castrum Theoczak cum oppidis similiter puta Theoczak, Zerndatel cum tributo in eodem habito, Cheterteihel cum tributo in eodem exigi solito, ac singulis vicinalibus possessionibus, & utilitatibus eidem regere, & possidere solitis fuit, item Olfonense, item castrum Vilagosvar cum oppidis videlicet Syri cum tributo in eodem habito, nec non Pulsa, ac possessione Meith cum tributo, seu Aruyag cum aliis possessionibus, & utilitatibus, quas ab antiquo ab eodem gubernatore conservevrunt in Zarand item castrum etiam Zalaskemen vocatum, ac oppidum similiter Salaskemen, & vadum in eodem habitum, nec non possessiones Olczar, Parsfalva in Simiensi, ac castrum Becze in insula Titiæ habitum, & oppidum similiter Becze, ac tributum, ac vadum in eodem habitum, nec non possessiones Ussila Szentkiral Bodogasszonyfalva, Szentendred, Vegenye, Echeliula ac tributum, ac vadum in eodem habitum, nec non oppida Araka, Bazalkuda, Bechkereke, & tributum in eodem exigi solitum, ac similiter possessiones Irmes, Nyilas, Csongrad, Arada, & tributum in eodem exigi solitum in Torontaliensi, item eodem modo possessiones Cheregh, ac tributum ac vadum in eodem habitum, nec non Peterreve, Szent Peter, Armuth, Perlek-ac Affonfalva Pecer-- item oppida Thur--& Tiuffs Varfau-- Datum in vigilia nativitatis Virginis gloriosæ, anno Domini M CCCC XII.

Cum quædam loca litteris insint, quæ pro Belgrado Sigismundum dedisse Turcicus memorat, annus autem procul cum ejus chronico non congruat, nos nihil referret, si quis ex Autographo vel Thurotium, aut Thuroczii corrigeret, alterutrum aliud aberrasse annorum differentia convincit.

Anno Christi 1426

taberetur. (39) In hunc igitur modum cum aciem adversus Fridericum struxissent, primi Germanorum hastati equites impetum in Bohemos faciunt, & elevatis, quibus carri nectebantur, catenis, in peditatum fortiter erumpunt; neque dubium est, ad victoriam grassaturos fuisse, si aut opem socii in tempore tulissent, aut spatium, ut laxatis habenis rem agerent, nacti fuissent: verum angustiis intra carros oppressi nec retrocedere, nec porro progredi, nec se, equosque adversum missila satis tueri poterant. Ad hæc Bohemi pedites, ut hostem in arcto vident, curvis hastis eminus quoque agere, & ex equis singulatim detrahatos protetere. itaque cædes potius, quam pugna fuit, quod Germani multitudine, Bohemi contra militari disciplina, & scientia, tum locorum opportunitate adjuvarentur. Protractum tamen utrinque prælium est, & dubia victoria ad vesperam dimicatum, quoad æstu, & cædendi studio fessis non tam animi, quam vires defuissent. Hinc fugæ factum initium, in qua Podiebradius, dux, qui postea rerum in Bohemia potitus fuit, patrius ingentem Germanorum cædem edidit. Cæsorum, quod incredibile videtur, quinquaginta millia fuisse perhibent, inter hos præcipui Burggravius Misnensis, Comites Imperii de Glichen, de Reichlingen, de Hohenstein, de Querfurt, de Barby, de Dohna, Dominus de Gera, de Falkenstein, & cetera Germaniæ nobilitas, neque Bohemis incruenta victoria fuit, utcunque tamen tolerabilis, quod Aussa urbe, quam bellum imprimis spectabat, postridie potiti, finitimas Germanorum provincias ingenti metu perculissent. (40)

Ex genus valorum cædes

1427 Coributhus turpiter e Bohemis ejicitur

A Profligato hoste ferociores Taboritæ imperium in Pragenses sibi arrogabant, facileque consiliis suis consentientes reddidere, ut aboleto penitus regis nomine respublica penes privatos esset. Itaque Coributhi auctoritas sensim defluebat, civium, qui illum semel, atque iterum ex Lithuania evocarunt, studia pedetentim fugere, ad exercitum plerique hominem deserere, ac Taboritas prodere, qui fugere cunantem ex via retraxerant, ac in Coronæ loco obsoleta vitta ornatum carceri incluserc in quo postquam ad anni exitum male habitus fuisset, turpiter ex Bohemia ejectus est. Ita molitiones homines aliena invadere cupientis in fabulam desiere. (41)

Sigismundus fides litis demi urbus

Sigismundus accepto clade nuntio tantum abest, ut animum demiserit, ut tanto magis ad instaurandas res in Bohemia mentem, curasque converteret. Quas ne jurgia domestica, quæ illi cum conjuge crebro intercesserant, abeno prorsus tempore occuparent, amicitiam Procerum interventu redintegravit. Cum enim reditus, quos Barbaræ dotis nomine in Sclavonia tribuerat, neque certi semper, neque secundum pacta conventa ad præstitutum tempus obvenirent, urbes montanas scripta novis tabulis eidem tribuit, ex quibus viginti octo florenorum millia quotannis caperet: adjecta est conditio, ut summam hanc, si ex urbium proventibus confici non posset, rex aliunde compleret, sin contra superaret, ærario regis, quod reliquum esset, addiceretur. (42)

Suppetias a Germaniæ Provinciis petit, & impetrat.

Redintegrata in hunc modum amicitia, Principes Imperii per litteras impense hortatus est, ut clade accepta jacturam, & dedecus novo bello ultum irent, præsertim, quod ad id ex sententia conficiendum hostes, qui inter se dissidebant, viam sponte complanassent. Commodum Cardinalis Vintoniensis, natione Anglus, a Martino Papa in Germaniam advenerat, ut vicinas gentes contra Bohemos ad arma concitet. Conflati sunt brevi tempore tres exercitus. Saxoniæ Duces, & urbes, quas vulgus *Hanseaticas*, alii Stagnales dicunt, in primo militavere: secundum ex Franconibus maximam partem coactum Marchio Brandebergicus ducebat: tertio Trevirensis Archi Episcopus præfuit, quem Rhenenses, cum Suevi, ac Bavari magno numero sequebantur. Taboritæ, ubi de Germanorum molitionibus compererunt, sopito, aut extincto partium studio, in gratiam cum ceteris redire, acceptisque in suppetias Moravis, quoniam, qua parte hostis in Bohemiam

(39) ÆN. SYLV. Hist. Boh. Lib. XLVII.
(40) BALBIN. Epit. rer. Boh. Lib. IV. cap. X.
(41) Idem ibid. HAGEC ad an. 1427.
(42) Ex Repertor. P. Antonii STEYERER. Collectan. MSS. Tom. V. pag. 883 habentur, petiit terea insacrat. Tabulario Viennensi Cæsareo.

miam irrupturus esset, compertum non habebant, castra in Albo monte, qui Pragæ proximus assidet, metati sunt. Inter hæc Germani magnis itineribus Bohemiæ appropinquabant, & trifariam divisi Saxones per Commotovium, qua Egra est Francones, Bavari per Tustam civitatem, superatis sine maleficio montium faucibus, hosti cum ingressi IX. Calendas Julias ad Misam urbem consistere. Dum hanc, ne quid inimicum a tergo relinquerent, obsidione cingunt, ac mensem pæne integrum strenue urgent, Bohemi XI. calendas Augusti ne laborantibus socius defuisse viderentur, explicata coram Germanis acie, prælia copiam fecere. Sed isti panico terrore consternati, spreto Ducum imperio, relictisque machinis, ac uberrima præda effusissimam fugam in proximum Thacoviense nemus rapuere. Frustra Cardinalis, qui palantibus ad Thacoviam occurrerat, ut in hostem redirent, hortatus est. Verum cum nec fugam pro locorum angustia satis tuto explicare possent, hostis occasione, & tempore usus, postremum agmen lacessere cœpit, silvarumque gnarus, metu alioquin jam perculsos, consequutus ingentem cædem edidit, nec prius Germani fugere, quam Bohemi persequi destiterunt. Qui parce scribunt X. millia ex Germanis cecidisse perhibent. Bohemi Thacoviam reversi, urbe haud multo post, & bellicis machinis sine jactura potiuntur: cum Misnam populati, cum per Franconiam redeunt, ne Bambergensem & Noribergensem agrum vastitate corrumperent, magna auri summa delinitī victorem exercitum reduxere (43).

Anno Christi 1427

Qui tamen ingenti clade a Taboritis profligantur

Non poterant hæc non gravia *Sigismundo* accidere, quod sive ipse in hostium duxisset, sive misisset auxiliarios, fere victoriam Bohemi exigua semper suorum jactura referrent, ex quo non solum in sententia, ne regum unquam potestatem in regnum reduci sinerent, confirmatos esse, sed bellum in Hungariam quoque meditari constabat. Quam destinationem si opere ipso explessent, haud levem Sigismundo molestiam creare poterant, quod is ob periculum, aliunde ingruens, curis magnopere distraheretur. Turci enim, prolatis in Thracia latissime ditionibus, Bosniam velut ad æstum destinabant, qua occupata si minus consilium, quo Constantinopolim subjugare nitebantur, ex sententia caderet, in Hungariam grassarentur. Id ubi Tuartkus cognomento Scurus, penes quem profligato Ostoja annulo rerum summam istic fuisse narratum est, certis indiciis comperisset, Oratores ad Sigismundum cum mandatis legavit, ut ad propulsandam vim auxiliares copias sibi mittere ne gravetur, aut, si id per Bohemicas turbas non posset, veniam daret, ut regni, quod illius indultu hactenus possedisset, Hermannum Ciliæ Comitem, si ipse improlis moreretur, hæredem ex asse scriberet. Sigismundus, qui socero magnopere favebat, neque copias, quæ hosti objicerentur in promptu haberet, ad hæc nihil juri clientelari, quod in Bosniam regibus Hungariæ erat, decerpi videret, facile postulatis morem gessit. Itaque Tuartkus evocatum ad se Hermannum confectis solenni ritu tabulis successorem sibi designavit (44).

Per Apocrisiarios a Turcis urbatur,

„ Nos Stephanus Twertko, Dei gratia rex Bosnæ &c. profitemur, &
„ recognoscimus per præsentes, quibus expedit, universis, quod nos attenta spe-
„ ciali amicitia, dilectione, & fidelitate, quam spectabilis, & magnificus consan-
„ guineus, & frater noster dilectus, Dominus Hermannus Ciliæ, Segoriæque Co-
„ mes, regni Sclavoniæ Banus, ad nos & regnum nostrum, ac regnicolas dicti
„ nostri regni hactenus gessit, & adhuc pro præsenti gerit, & etiam consideran-
„ tes, quæ idem frater, & consanguineus noster dilectus, nobis, & dicto regno
„ nostro Bosnæ, & regnicolis ejusdem in multivariis causis, & specialiter apud
„ Serenissimum Principem, Dominum Sigismundum, Romanorum, & Hungariæ
„ regem, & alibi servitia, favores, promotiones, & etiam constantem fecit,
„ & exhibuit, quod adhuc futuris temporibus facere potest, ob hoc, & etiam
„ signanter iis, quæ cognovimus, & in mente nostra revolvimus, quod idem
„ frater, & consanguineus noster dilectus Comes Ciliæ ex naturali consanguinita
„ te ad nos pertinet - - præfato Comiti Hermanno Ciliæ, & universis suis hæ-
„ redibus masculini sexus, ex nomine Comitum Ciliæ procreandorum, dictum re-

Bosnæ rex cum bono Sigismundi venia Cilienses Comites regni heredes scribit.

(43) Æn. Syl. Hist. Boh. cap. XLVIII. Et Balbin. Epit. Lib. IV. cap. X.

(44) Ex Archiv. Aulico Graecensi Fascic. 42. Num. 172

Anno Christi 1427

„ gnum nostrum, & regnicolas, castra, fortalitia, civitates, oppida, villas, pos-
„ sessiones cum universis pertinentiis dicti regni nostri Bosnæ donavimus, & do-
„ natione firma præscripsimus, damusque, & donamus ipsis etiam dictum nostrum
„ regnum Bosnæ integraliter, & cum universis suis pertinentiis scienter, & vi-
„ gore præsentium nostrarum litterarum, omni dolo, & fraude penitus remoto - -
„ tali sub conditione si contingeret, quod absque legitimis hæredibus decedere-
„ mus, quod Deus avertat, vel, quod si decederemus, & legitimos hæredes
„ post nos relinqueremus, & demum dicti hæredes etiam sine hæredibus legiti-
„ mis decederent, quod tunc præfatus frater, & consanguineus noster dilectus
„ Comes Hermannus Ciliæ - -, vel hæredes sui - - - dictum nostrum regnum
„ Bosnæ, cum universis suis pertinentiis recipere & possidere, & de eodem uti,
„ frui, & gaudere possint, & debeant, quomodo ipsis melius videbitur ad bene-
„ placitum ipsorum - - Datum in castro nostro Bobawetz, secunda die mensis Se-
„ ptembris anno Domini MCCCC XXVII.„ Tuartkum quidem anno post datas litteras sexto, ac decimo mortuum (45) neque tamen Hermannum, aut ejus filium in Bosnæ regno successisse constat, sive ob turbata rei publicæ tempora possessionem adire nequirent, seu reges Hungariæ donationis litteras, quod opinor, irritas reddidissent.

1428. *Rex contra Turcos profectus, suorum perfidia vita periclitatur.*

Ceterum ea donatio bellum Sigismundo in annum sequentem conflavit. Rasciæ enim Despota, sive ipse in ampliorem hæreditatem spem adductus erat, sive sinistrum sibi Hermannum impatienter ferret, castrum Galambocz cum amplissimo agro Amurati Turcorum regi duodecim aureum nummum millibus venumdedit. Eam nundinationem, quod regni juribus periníqua esset, Hungariæ Optimates graviter ferre, hortarique regem, ut injuriam bello vidicatum iret, se auxilio, ubi jussent, affuturos neque tempus mora corrumpendum esse, ne, si Turci armorum sedem illhic collocarent, formidolosum hostem, qui collo suo perpes incubaret, ferre, aut pati cogerentur. Ita perfuasus rex exercitum cogit, magnisque itineribus in hostem profectus castrum obsidione cingi jubet. Præerat copiis Stephanus de Rozgon, idem ille, qui adversum Moravos bello inclaruit. Is ex ritu militari actis vineis, admotaque machinis præsidiarios crebra verberatione ad deditionem faciendam pæne adduxerat, nisi Amurates, cognito suorum periculo, celeriter advolans spem ex improviso intercepisset. Stetere aliquot dies mutuo in conspectu uterque exercitus, alter alterius seu virtutem seu numerum veriti, neque nostri urgere, neque Turci propulsare obsidionem audebant, quod isti ex itineris tædio, nostri rerum, ad victum necessariarum penuria languerent. Itaque per nuntios ultro citroque de induciis actum sanciturque hanc conditionem sunt Hungari obsidionem solverent, Turci ab injuria abstinerent. Secundum inducias rex præcipuum militiæ robur cum impedimentis trans Istrum trajici imperat, subsidiariis cohortibus, in quibus ipse quoque fuit, in citima Danubii ripa jussis consistere, ne quid ex insidiis detrimenti exercitus pateretur. Id Turci conspicati, spreta induciarum fide, totis viribus impetum in nostros faciunt, & quia numero superiores erant, loco etiam movent. Stephanus admonito paucis rege, ut se cum prætorianorum cohorte periculo subduceret, danaque naviculariis impe-

rio,

(45) Exhibeo Genealogiæ tabellam ex MSS collectis de rebus Cilejensibus Cl. Erasmi Frölichii, S. J.

STEPHANUS BANUS BOSNIÆ A. C. 1322
UX. ELISABETHA.

Stephanus.	Miroslaus	Constantinus. Wladislaus	Catharina
A. C. 1326. Princeps, & Dominus Bosniæ ac Chelmæ Dux. † 1357	Stephanus Dabischa nothus rex 1391 † 1395 sine prole.	Tuarthus rex 1357 † 1391 ex uxoribus nullis legitima proles ex Vucussava concubina autem Stephanus Twerthus, seu Scurus rexit 1395 † 1443 improlis.	Daniza Uxor Comitis Chelmensis.

rio, ut coactis, quanto possent numero, semlis praesto essent, incredibili virtute hostem aliquamdiu sustinuit, tum pedetentim cedens, & per intervalla pugnam instaurans, copias maximam partem incolumes per Danubium traduxit. Non nihil tamen, ut fit, in receptu tumultus obortum, in quo rex capitale propemodum discrimen adiit. Nam cum Turci in postremas turbas toto robore innixi ordines perrupissent, Sigismundum, naviculam fugae paratam, conscendere molientem, paene occuparant, nisi Stephanus commodum accurrens lembum a ripa propulisset, ipseque, ut toto corpore armis horrebat, aquis sese regis causa intrepide committens, aliorum opera servatus fuisset. Clades ad Polonos, qui sponte sub signa confluxerant praecipue attinuit, inter quos Zavissius cognomento Niger maximae auctoritatis vir, & Sigismundo ante alios charus: qui, postquam repudiata, quam rex submiserat, naviola duobus sociis stipatus ingruentibus Turcis solum se se temere magis, quam fortiter opposuisset, captus primum, tum oborta inter milites rixa, capite truncatus est. Ita rem narrat Longinus historiae Polonicae Scriptor, qui cum multo aliter praelium ad Galambocz confertum in literas retulerit, visum mihi est, e re utriusque esse, si, quemadmodum gestum sit, ex Sigismundi literis, quibus Stephano, cujus virtute servatus est, amplissima lata fundia donat, in medium protulero. Ita autem, collaudatis prius rebus, quas adversum haereticos in Bohemia egregie patrasset, habent (46) *Nec non in expugnatione castri Galambocz apud manus ipsorum Turcorum habiti, quod alias obsidione circumvallaveramus, in directione Bombardarum nostrarum tunc pro tunc ad rumpendum muros, atque turres ipsius castri, habuerunt, quarum unam grandiorem ipsemet Comes Stephanus regebat, & ex ea sagittando certas ejusdem castri turres in notabili parte ruptas in conspectu etiam cum ipsis Turcis, qui nobis cum nostro exercitu ab obsidione dicti castri Galambocz, treugis pacis inter nos, & Omorath, eorundem Turcorum Dominum praehabitis, & firmatis removentibus, & fluvium Danubium absque ullo formidine ad partes regni nostri Hungariae transfretare volentibus, una jam majori parte dicti nostri exercitus transvadante, fraudulenta hostilitate, durantibus treugis praenotatis, nos, & nostras gentes ubi tum ex tunc in nostro defensu adhuc existentes, impetuose invaserunt, facto, & tunc, ubi dum videlicet nos personaliter coacti etiam ipsum Danubium transfretare volebamus, idem Comes Stephanus cum suis nostrae Majestatis personam, tunc prae maximis laboribus, & fatigiis nimium lassatam, ad navem nostram, nobis habitam introduxit, & nisi ejus vigilans adfuisset solertia, in manus nostrorum forsitan incidissemus aemulorum: ipsemet vero Comes Stephanus in hujusmodi nostro ea navem ascensu, & ingressu, in personaeque nostrae defensione in aquam cadens Danubii taliter exstiterat demersus, quod, si per certos nostros fideles statim ex ipsa aqua exceptus non fuisset, utique ibidem fuisset suffocatus, & exstinctus* - - Haec propterea, ut, qui regem metu magis, quam fraude victum calumniantur, refelleremus.

Ereptus discrimini Sigismundus, ac Budam redux per nuntios & literas, quas ad Alexandrum Lithuaniae Ducem, & praecipuos Poloniae Optimates dederat, acerbe questus est, desertum se ab Wladislao fuisse, qui si suppetias, quemadmodum prius pactis conventis statutum erat, misisset, haud talem cladem, & quod huic anteferendum videretur, tam ingens Christiano nomini dedecus a barbaris illatum fuisset. Ad haec facile futurum, ut Turci, qui Moldaviam quoque jam pertentassent, ea sub jugum missa, in Poloniae fines aditus, viamque scrutentur, quam si reperiant, Polonos cum acerrimo hoste rem habituros, quem auctis secum viribus ultra dixiones, quas non tam virtute, quam aliorum dissidio, & oscitantia ceperant, exigere potuissent. Adjecit amplissima munera, quibus Legati Alexandrum excolerent, remque clandestinis molitionibus illo adducere niterentur, ut conventum, cui uterque interesset ab Wladislao impetraret. Haec ad speciem quidem; re autem ipsa, ut Alexandrum, quemadmodum, evenerat, in suas partes pelliceret, ab Sigismundo facta Longinus memorat. Wladislaus

Annus Christi 1428

Et per literas desertum se a Polonis queritur

(46) Diplom. anni 1426 ex MSS. D. Ra-
czanyi.

Annus Christi 1429. Tentata incassum cum Taboritis concordia.

laus qui nihil sine fratris consilio decernere solabat, & suspicione se apud Hungaros laborare moleste tulit, facile Alexandro consentiens conventum Luczkoviae indixit, cui ut interesse vellet, Sigismundum per Legatos orabat (47).

Rex per literas, quid rerum ageretur Posonii edoctus regni Principibus, ut ingentia, quae dignitatem suam deceret, clientela profectionis sua in sequentem annum compararent, imperavit. Tum Posonio in Austriam delatus, nuntios ad Pragenses & Orphanos misit, ut quo in se animo essent, prius cognosceret, quam in Poloniam proficisceretur: nam illorum magnam consilia vim, quae cum Alexandro Lithuaniae Duci communicare statuerat, accessuram putavit. Auditi sunt Legati Caesaris multa de jure Sigismundi in Bohemiam tum optima in cives voluntate memorabant, pollicebantur immunitates, injuriarum obliterationem, & si quae praeterea illis poscere liberet, modo posita contumacia ad obedientiam redirent. Sed haec frustra, & sero dicebantur. Pragenses, & Orphani veterem suam nequam recinere, Sigismundum, quod datam fidem non servasset, objecissetque Cruce signatis Bohemiam, tum caede in cives promiscue grassatus fuisset, indignum prorsus videri, cui jus paternum, ad recuperandam Bohemiam patrocinetur, solutoque colloquio Legatos re infecta dimisere. Procopius, quem a Ziscae obitu rerum apud Taboritas potitum esse narravimus, audito, quam parum decore Legati a Pragensibus dimissi fuissent, spe ductus, facile se, quae olim Ziscae promissa erant, a Sigismundo impetraturum, eos, ut ad se Taborum venirent, per nuntios oravit. Venere, & collatis invicem consiliis utcunque spes pacis affulgebat; verum cum Legati illius conficiendae nec rationes, nec potestatem in promptu haberent, Procopius, data fide, cum paucis equitibus ad Sigismundum, qui Posonium jam redierat, profectus, cum rege de revocandis ad obsequium Bohemis diligenter, diuque egit. Interfuere tractationi pacis Dux Austriae, ac plerique Silesiae Duces ex Bohemiae Optimatibus, qui Sigismundum sectabantur praecipui Ulricus Rosembergius, & Hanussius de Kalowrat Taboritarum nomine, quem supra memoravimus, Procopius, ac Maynhardus de Novodomo. Acta res est calliditatis potius, quam pacis studio; tempusque Legatorum mussitatione ad octiduum protracta (48), quoad Procopius venalem in sua gestans animum, quod parcum in promissis, & deferendis, quos ambiebat, honoribus durum Sigismundum intelligeret, ipse quoque nulla auxilia pactus, & ostentata solum pacis spe in Bohemiam revolarat (49).

Ipsi vastitatem Hungariae inferunt.

Ea repulsa vehementer irritatum fuisse Procopium ex eventu compertum fuit. Vix enim domum redierat, cum supra decem Taboritarum millia, Moraviam, qua Alberto Austriaco paruit, caedibus percursans Hungariae insilit, & amplissimum spatium, quod inter Posonium, & Tirnaviam tenditur, foedissime vastavit, arcibus, ac oppidis summa corruptis, aut a fundo convulsis. Tum castra ad Tirnaviam metati vicinum agrum latrociniis infestabant, ac secundo Vago flumine in interiora Hungariae irrumpere meditabantur. Sigismundus, ut ab eo consilio hostem averteret, mature copias objecit, & divisa in Stiborium ac Joannem Mathiusium Transilvaniae Vayvodas (50) praefectura, utrumque praelio fortunam periclitari jubet. Sed ea res aemulationem nostris, hosti contra, ut fere evenire solet, victoriam peperit. Cum enim Taboritae aciem more suo intra currus struerent, iisdemque firmarent cornua, quae pro locorum habitu, sitque hostium contrahere, aut explicare nullo negotio possent, ita Ducibus convenerat, ut Stiborius frontem, qua difficillima erat aggressio, ad speciem adoriretur, Mathiusius interea hostem circumvectus, a tergo & lateribus rem ageret. Si, ut conventum fuit, res quoque gesta esset, nemo vivus ex hostibus evasisset; quod utrumque con-

His Rex copias opponit.

(47) DLUGOSS. Hist Polon. Lib. XI.

(48) Chronicon. BARTOSSII quod Cl. GELASIUS DOBNERZ e Clericis Regul. Schol. Piar. magno rei literariae bono recens in lucem protraxit, ac eruditissimis animadversionibus illustratum vulgavit Pragae anno 1764. Tom. I. pag. 159 auctor coaevus, qui rebus, quas narrat, fere interfuit.

(49) BALBIN. Epit. Rer Bohem. Lib. IV. cap. XI.

(50) Ex MSS. Adversariis Illustr. L. B. a KELLER Consiliarii Camerae Poson.

comprehensis & mutuis, quam struxerant, aciea futura erat, neque alter institutus ordinet, nec in nostros, quin suos eadem laederent tela emitti poterant. Sed Mathsius privatum odium, quo in aemulum ferebatur, publico commodo praehibens Siborium hosti nefarie prodidit. Qui dum incerto motu frontem Taboritarum, quasi recta aggressurus esset, oberrat, et Mathsio ex pactis conventis circumvehendi hostis spatium daret, illi oblata praelii copia usi impetum ferocissime in nostros faciunt, & a sociis destitutos post cruentam pugnam ingenti strage profligant. Cecidere ex Hungaris sex, Taboritarum duo duntaxat millia. Mathsius in quaestionem vocatus, perfidiae suspicionem, ut fere hominibus his nunquam caussae ad palpum obtrudendum desunt, itineris molestiam praetexens, a se amolitus est, cum tamen eum in pugnae principio otiosum istuc adstitisse, mox turpiter fugisse omnibus constaret (51).

Annus Christi 1429.

Quae ob Ducem emissionem caeduntur.

Taboritis cum ingenti spoliorum copia, divitiisque Hungariae excedentibus, Sigismundus in Poloniam contendit, & accelerans, quoad licuit itineribus Lucekoviam ad praestitutum tempus tenuit. Hic prius, Wladislaus quam adveniret, Alexander Lithuaniae Dux regem honoris caussa salutavit, & hospitio acceptum liberaliter habuit. Usus tempore Sigismundus comi oratione Lithuanum captare, ac id, cujus illi ante multos annos auctor fuisset, tanquam aliud agens, rursus ingerere, ut, cum ei neque rerum gestarum gloria, neque ditiones, ambitu latissimae, nec uberrimi proventus deessent, se in regum numerum cooptari pateretur, quibus alioquin divitiis, honore, & fama inferior non esset: nomen, non item rem hic commutatum iri, quod quantum ad Lithuanorum gentis splendorem, ac decus accessionem facturum sit, facile eum intelligere; in se nihil morae futurum, quo minus amicissimi Principis desiderio gratificaretur, modo ne non velit. Captus honoris, & regni cupiditate Alexander, non invitum se eam dignitatem admissurum respondit, si bona fratris venia, cui omnia deberet, id facere sibi integrum esset. Id cum se operam daturum Sigismundus pollicitus esset, Lithuanum desiderio regiae dignitatis aestuantem, & quidvis propterea sui caussa moliri paratum ab se dimisit. Haec illo, ut Longinus scribit, ab Sigismundo fiebant, quo facilius Wladislaum cum Alexandro committeret, & fratres atrocissimis odiis implicaret. Si vera Polonus narrat, probari omnino non possunt, quod nec pro veteri, qua Wladislao conjunctus erat amicitia, nec pro foederum, quae utrinque intercedebant, ratione, nec ad pacandos Bohemos, quod tamen maxime faciendum erat, rex egisse merito existimandus esset. At cum nihil prorsus caussae probabilis, cur odia inter fratres concire Sigismundus voluerit, Longinus adferat, eumque praeterea dum Franciam, Angliam, Germaniam, ac Italiam pacandae Ecclesiae gratia oberrasset, provincias has, ac paene omnes Occidentis partes seditionibus, bellis involvisse comminetur, opinor haec dicteria a scriptore consignata esse, quam aut illius aetas, aut, quod profitebatur, vitae institutum, aut Historiae ratio postulant. Id verum est similius regiam dignitatem Lithuano propterea oblatam, ut hunc, ac Wladislaum, qui illius fere consilio regebatur, in ferendis contra Bohemos suppetiis promtiores haberet (52).

Rex Lithuaniae Ducem constituere sibi nititur.

Scriptoris Poloni calumnia.

Neque segnius, quam pollicitus esset, rem agebat. Cum enim Wladislaus Luczkoviam advenisset, pauca, quod se nuper in bello adversum Turcos suscepto deseruisset, questus, & ad corripienda in Valachos arma cohortatus, nullo paene negotio in eam sententiam adduxit, ut si regni Proceres a nova dignitate non abhorrerent, fratrem regio titulo, & potestate insigniri non invitus pateretur. Re ad Optimates utriusque gentis relata, omnium una vox exstitit, novam dignitatem omnino repudiari oportere, quod Lithuaniam, quae perpetuo vinculo ex pactis Poloniae colligata esset, a regno averruncari, nec Lithuaniae utile, & Polonis praeterea perniciosum esse viderent. Atque in hanc sententiam, tametsi caussa saepius in consultationem adducta sit, Proceres tum voluntatum consensione semper ivere. Quae

Obortas propterea turbas Polonus turbat

P p rea

(51) Windeck cap. CLXX.

(52) Dlugoss Hist. Pol. Lib. XI.

Annus Christi 1429

res gravissima dissidia inter Wladislaum, & Alexandrum fratrem consevit, neque aliter, quam misso ad Papam Oratore sopiri poterant, qui, postquam dissensionis causas penitus intellexisset, scripsit ad Sigismundum litteris, graviter eum, ut a sententia sua decederet, adhortatus est (53).

Ejus consilio suo compescit.

„ Martinus Episcopus, servus servorum Dei, charissimo in Christo filio Sigismundo Romanorum, Hungariæ & Bohemiæ regi illustri salutem, & Apostolicam benedictionem. Nuper pro parte charissimi in Christo filii nostri Wladislai, Poloniæ regis illustris fuit propositum coram nobis, astante collegio venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, quod licet serenitas tua in celebratione pacis, & reintegratione amicitiæ, quam in vicem solemniter, nobis id cupientibus, & operantibus, contraxistis, eidem regis fide promiseris, quod ipsum perpetuis temporibus haberes pro amico, & amabiliter pertractares, atque prosequereris, eundem semper, ejusque liberos, & hæredes summis favoribus charitate & benevolentia singulari, & etiam honorem ipsius regis, & commoda procurares, nec unquam quovis quæsito colore ad auferenda bona, regna, Principatus, atque Dominia sua aspirares, nec pro te, vel alio, contra ejus statum aliquid attentares, immo, si quid per aliquem attentari sentires in damnum reale, vel personale regis ejusdem, ipsum prævisum faceres, & eidem pro posse tuo assisteres. Et quod licet hujusmodi promissa juramento firmaveris, scripturis Evangelicis, manu tactis, nihilominus, ut Orator ipsius regis asserit, illorum omnium immemor, & contemtor, regium statum, & honorem ejus enormiter offendendo, Ducatum Lithuaniæ, & terras Russiæ, ipsius regni Poloniæ membra eidem jam dudum incorporata, & unita dilecto filio Alexandro Duci Lithuaniæ, ad vitam ejus regis auctoritate concessa, prout asserit idem Orator, ab ipso Poloniæ regno sejungere, ac liberare, & in novum regnum erigere, & præfatum Ducem hujusmodi regni regem in hanc ambitionem, & cupiditatem dignitatis suasionibus incitatum constituere, & creare procuras. Quod fieri non posse assertum est, sine turpi ignominia tui nominis propter conventa prædicta in pace facta cum prædicto Poloniæ rege, & promissiones tuas, ut per eundem Oratorem asseritur, firmatas, nec sine ipsius Ducis dedecore propter obligationem præfatam, qua obstrictus est dicto regi, præstito etiam in ipsius manibus juramento sine ipsorum violatione manifesta. Et quod non minus considerandum est nobis, & tibi, si ad hujusmodi erectionem regni, & creationem, ac coronationem regis inconsulte procedes, propter manifestam injuriam, quam sibi fieri præfatus rex, & regnum prætendunt, bellorum pericula vastationesque terrarum, strages fidelium, & scandala maxima, ut asserunt, sequentur, quæ modis omnibus evitanda sunt. Propterea cupientes, ut tenemur, tantam pestem, tantumque periculum avertere a populo Christiano, celsitudinem tuam charitative monemus, ex corde que requirimus, & rogamus per misericordiam Jesu Christi, ut in hac causa nihil facias festinanter, & sine longa, & matura deliberatione, ac Ecclesia inconsulta, ne necessarium sit postea, qui non possimus læsis postulantibus negare justitiam, de violatione, vel non juramentorum pacis, ac fœderum prædictorum cognoscere, prout idem rex Poloniæ desiderare videtur, & forsan nos cogente justitia revocare, si quæ perperam facta essent, cum tanto scandalo populi Christiani. Cujus te auctorem, & suscitatorem nedum esse, sed etiam suspicari posse non vellemus, ne fama tua, quæ ubique clarissima est, lædatur, & anima tua tanti peccati onere prægravetur, ut reus in extremo judicio malorum omnium prædictorum, quæ necessario ut plurimum secutura videntur, valeas denotari. Quare fili charissime in hac tam periculosa materia moderare voluntatem tuam, & in hac parte nostris paternis monitionibus, & consiliis acquiescas, & viam aliam per nos tibi apertam, de Oratoribus transmittendis ad nos amplectaris. Nos etiam præfatum Ducem propter ejus excellentiam, & singularia bona, quæ fecit in propagatione Christianæ fidei, magnificamus, & paterna charitate diligimus, ac ipsum dignitate regia dignissimum judicamus. Sed vellemus eum cum pace, sine scan-

„ dalo,

(53) Idem ibid.

Anno Christi 1430.

„ dalo, sine opera, & sine discordia fratris sui talibus ornamentis ornari, sicut „ alias scripsimus sublimitati tuæ. Datum Romæ apud S. Petrum Idibus Novem„ bris Pontificatus nostri anno quartodecimo. „

Capto Wladislao Polono, [illegible],

Sigismundus, etsi litteris Pontificis se morem gesturum palam præferebat, atque hanc ob caussam ex Polonia etiam discederet, clam tamen cœptam destinationem ad finem adducere constituit. Itaque in Principio sequentis anni Viennam profectus, ac, re cum Alberto deliberata, Legatos, quorum Laurentius de Hedervara Princeps erat, ad Alexandrum in Lithuaniam cum litteris misit, quibus non solum in proposito Ducem confirmabat, sed fœderis etiam rationes, quo Hungaria cum Lithuanis, ordine Cruciferorum, ac Livonia perpetuo amicitiæ vinculo adversum quoslibet hostes colligaretur, prolixe significabat; pollicitus præterea, se cum copiis, si usus ita ferret, præsto affuturum, neque Cruciferos passuros esse, ut eorum opera in quacunque re, quæ ad dignitatem ejus pertineret, desiderari possit. Id studium Sigismundi in exornando Lithuano fuit. Sed Legati cum litteris intercepti clandestinas machinationes in lucem eduxere: quæ res magnas olim turbas datura erat, nisi Alexander paulum post extremum diem egisset. Inde novus Sigismundo & præter exspectationem confectus labor. Cum enim Wladislaus Skyrgellonem Alexandri fratrem Lithuaniæ præfecisset, atque hoc beneficii immemor regem, dum provinciam obit, detineri jussisset, facinoris invidia non obscure in Sigismundum derivata est. Facile id Martino Pontifici, qui crebra hoc cum Wladislao diffidia intercessisse non ignorabat, Polonis persuasere. Quare, ne mali contagio ad plures propagaretur, gravissimas ad regem litteras dedit, quibus cum majorem in modum orat, ut, si suspicionem, quæ passim in vulgus manaret, amoliri ab se cupiat, operam ad liberandum Wladislaum, quam posset, diligenter conferret. (54)

Sigismundo ejus liberandi provincia mandatur.

„ Martinus Episcopus servus servorum Dei, charissimo in Christo filio Si„ gismundo Romanorum, Hungariæ, & Bohemiæ regi illustri, salutem, & Apo„ stolicam benedictionem. Nuper audivimus, quod charissimus in Christo filius no„ ster, Wladislaus Poloniæ rex illustris in Lithuania detinetur. Quæ novitas atten„ tata contra tantum regem, displicet nobis plurimum, & etiam serenitati tuæ de„ bet esse molesta. Veremur enim ne exinde sequantur bellorum incendia, cum „ strage fidelium, & effusione sanguinis Christiani. Dubitamus etiam, ne Bohemi „ haeretici fiant in tanta rerum perturbatione validiores, & paratiores ad nocendum. „ Quare excellentiam tuam rogamus, ut considerans, quanta pericula & detrimen„ ta accidere possunt in populo Christiano ex hujusmodi novitate, coneris reducere „ diffidentes ad pacem, & cum omni fide, & charitate fraterna velis intendere li„ berationi præfati regis, quem semper fratrem appellare verbis, & litteris con„ suevisti. Qui etiamsi esset inimicus, propter solam regalis nominis dignitatem hoc „ in casu juvandus esset a te, qui es omnium regum primus. Nec pati debes, ut „ inferiores audeant injicere violentas manus in reges, quorum dignitas tanta est, „ ut eam violare sacrilegio simile videatur. Multa tibi possemus dare exempla Im„ peratorum Romanorum, qui conservarunt reges in regnis suis, & ab aliis vio„ lenter ejectos in regna reduxerunt, & ablata, victis & superatis regibus reddi„ derunt, gloriosius existimantes, reges restituere, quam vincere, ut intelligas, „ quod a tua sublimitate requirimus, de liberatione fratris tui, laudabile officium „ Imperatoris esse Romani. Quod si hanc rem, cum quanta poteris diligentia, & „ fide præstiteris, obligabis eum tibi, & cum ipso amicitiam perpetuam confirma„ bis. Quanti enim faciet beneficium liberationis suæ, si illud tua intercessione re„ ceperit, tu potes optime judicare, qui olim captus a tuis simile beneficium ab a„ liis recepisti. Quare fili charissime cum tibi occasio oblata sit, bonitatem, cle„ mentiam, & fraternam charitatem tuam, ac animi magnitudinem ostendendi, „ quæ in nulla alia causa perspici potest, & etiam tanto beneficio obligandi regem, „ & regnum ejus, & in tua amicitia confirmandi, velis eam arripere occasionem, „ & cogitare, hanc tibi, quod & nos credimus, a Deo datam esse, ut animus

(54) Idem ibid.

Anno Christi 1430.

„ ejus tibi perpetua & immutabili charitate jungatur, ad conservandam pacem, & quietem fidelium, & hæreticorum perfidiam confundendam. Quod quoniam nos valde cupimus, scribimus etiam regi Wladislao, qualiter pro ejus liberatione requiramus sublimitatem tuam. Non dubitamus te in hoc casu ejus, quantum poteris, profuturum: & rogamus, atque monemus eundem, ut similiter velit in negotiis, & necessitatibus tuis erga te pari affectione se habere, & specialiter omnia, dudum inter vos conventa, servare, & alia latius ei super his scribimus, prout videbis in copia litterarum nostrarum, quam tibi mittimus inclusam. Rogantes celsitudinem tuam, ut pro tollendis differentiis omnibus inter vos ex parte tua facias, quæ fieri volumus, tam in destinandis nuntiis, & Oratoribus tuis ad dilectum filium nostrum Julianum sancti Angeli Diaconum Cardinalem, & Apostolicæ sedis Legatum, quem ad partes Germaniæ transmittimus, de præsenti quoque deinde ad nos, si Legatus vos componere non posset, vel composituros amicabiliter, vel per viam justitiæ finem impositurus. Ut vos duos Catholicos reges, sicut optamus, & utrique vestrum expedit, & Christianæ Reipublicæ in sancta charitate, & amicitia confirmemus. Datum Romæ apud sanctos Apostolos VI. Calendas Februarii Pontificatus nostri anno XIV. "

Eandem ob causam Pontificis ad Polonum litteræ.

Hæc Papa Sigismundo: ad Wladislaum in eandem pæne sententiam epistolam exaravit, quam priori, quod non pauca ad illustrandas temporum illorum res Hungaricas continet, adnectendam putavi. (55)

„ Martinus Episcopus servus servorum Dei charissimo in Christo filio Wladislao Poloniæ regi illustri salutem & Apostolicam benedictionem. Cum ad serenitatem tuam litteras consolatorias scriberemus audita morte celebris memoriæ Alexandri, Ducis magni Lithuaniæ, fratris tui, novus nobis allatus est nuntius detentionis tuæ personæ, qui animum nostrum vehementi admiratione, & perturbatione commovit. Cogitantes tamen quod in ea patria, in qua natus es, & vixisti diu Princeps, & Dominus, nomen tuum, quod est apud omnes gentes externas celebre, & venerandum, coli, & amari merito debeat, ac timeri, quod regnum habes potens & fidele, quod habes & natos in tuo dominio legitimos successores, & non dubitantes gratiam Dei, & justitiam tecum esse, quæ omni potentia fortiora sunt, speramus in Domino hujus novitatis finem tibi, & tuo statui infelicem esse non posse. Nos vero cupientes in hoc casu, quibus modis possumus succurrere, & subvenire necessitati tuæ, primum pias, & humiles fecimus orationes ad Deum pro liberatione, & incolumitate tua, deinde per litteras nostras rogavimus instantissime charissimum in Christo filium nostrum, Sigismundum Romanorum regem illustrem, ut cum omni charitate, & fide fraterna velit intendere liberationi tuæ, quarum litterarum copiam tibi destinamus præsentibus inclusam. Et speramus in Excellentia sua, quod in hoc casu suo conabitur bonitatem, clementiam & fraternam charitatem erga te, & magnanimitatem animi demonstrare, quæ in nulla alia causa clarius perspici potest, sicut ei scribimus. Cæterum fili charissime, quia valde cupimus, ut inter vos vigeat fraternus amor, & charitas, ac perpetua, & firma concordia, rogamus, requirimus, & monemus etiam sublimitatem tuam, ut similiter in negotiis, & necessitatibus suis, pari affectione te habeas erga ipsum, & specialiter velis omnino, ut debes, ei omnia dudum inter vos conventa servare, quod oratores ejus apud nos existentes de præsenti inter cætera requirebant, antequam haberetur hoc nostra novitatis hujusmodi, pollicentes præfatum regem Romanorum pariter servaturum. Quæ requisitio cum honesta, & justa sit, tibi injungimus, ut velis eam ex parte tua effectualiter adimplere, prætermissis cæteris, quæ in contrarium dici possent forsitan hactenus acta esse. Et si quæ differentiæ inter vos remanerent, volumus omnino, ut pro ea tollenda vestrum uterque transmittat Oratores suos, sufficienter instructos ad dilectum filium nostrum Julianum sancti Angeli Diaconum Cardinalem Apostolicæ sedis Legatum, quem ad partes Germaniæ transmittimus de præsenti visurum, & cognoturum differentias utriusque per eum amicabiliter componendas. - - - Verum

(55) Idem ibid.

Annus Christi 1430.

„ rum ante omnia sibi charissime te exhortamur, requirimus, & rogamus, ut omni
„ contentione & offensione seposita, velis favere, & assistere præfato Romanorum
„ regi contra Bohemos hæreticos toto posse tuo, & Polonos omnes, qui cum eis
„ sunt, sub gravibus pœnis, & comminationibus revocare, & operari taliter, quod
„ restituant per eos ablata Catholicis, ac diligenter & efficaciter providere, quod
„ eisdem hæreticis, nec commeatus, nec subventiones, nec ulla subsidia, de tuo
„ regno Poloniæ ministretur, sicut nobis asseritur hactenus factum esse, & in hac
„ causa ita te habere, ut intelligere videaris, eam Dei magis causam esse, quam
„ hominum, pro qua teneris, ut Rex Catholicus, sine respectu alicujus ami-
„ citiæ, vel fœderis laborare - Datum Romæ apud SS. Apostolos VI. Calen-
„ das Februarii, Pontificatus nostri anno XIV. „

Missi Romam Legati.

Ex his facile intelligitur dissensionum utrinque causam istanc præcipue peti-tam esse, quod Poloni Lithuanos ab Hungaris, hi Bohemos contra a Polonis ad seditionem concitari quererentur. Neque sopitas prius fuisse suspiciones, quam Wladislaus a Lithuaniæ liber dimissus est, ex eventu patuit. Ceterum Oratores Romam a rege missos esse ex littera omnino constat, quam autem ob rem non item. Opinor Sigismundum id maxime apud Papam per Legatos egisse, ut Wladislaum sua auctoritate ad liberandam fidem adduceret, qui se triginta militum millia adversus factiosos subsidio missurum receperat, ut Windeckius diserte in litteras retulit. Quæ cum ab Wladislao negarentur, & malum per Bohemos latius in dies manaret, Sigismundus Norimbergam concessit, rogatque Principum sententias Comitia Imperii in annum sequentem indixit.

Conventus Norimbergam indictus. Valachiæ Wayvoda creatur.

Hic cum aliquamdiu rei publicæ causa moratur, Legati ex Valachia adfuere; qui Danum provinciæ Wayvodam obiisse referebant, clavamque, dignitatis indicium, in regis manus consignavere, obtestati, ut primo quovis tempore Principem Valachiæ præficeret, qui & populum in obsequio contineret, & Turcis, si, ut metus non vanus erat, infesti ingruerent, propulsandis par esset. Erat in aula Sigismundi Myrza, Pancratii Valachiæ olim Wayvodæ filius, magna apud regem gratia, & pæne inter familiares: hunc, quod beneficiis exceptus constans in fide futurus videretur, provinciæ Wayvodam dedit, clavaque pro gentis more ornatum, per præconem Norimbergæ Principem pronunciavit. Inde in Hungariam redux Valachiam petit, & Myrza in dignitate confirmato, Cruciferis Serviæ partem colendam tribuit, ut non modo Hungariam, sed Wayvodam quoque, recens constitutum, adversus Turcorum vim tuerentur. Quam fortiter illi partes suas egerint, quam nefarie contra Valachus datam fidem violant, postea dicetur. (56)

1431 Concilium Basileæ celebrandum statuitur.

Exacta in Hungaria hiemis parte Norimbergam principio anni sequentis rursum contendit, quod Imperii Electores ad conventum sessum confluere crebris nuntiis acceperat. Illuc de pacanda Bohemia in primis actum, placuitque, ut Concilium Basileam ad XIV. Calendas Augusti indiceretur, quo non solum de rationibus, quibus Bohemorum errores profligari possint, in commune Patres consulerent, sed viam quoque, qua Sigismundo dignitas regia apud factiosos afferatur, complanarent. Id Eugenio IV. qui Martino, X. Calendas Martias defuncto, subrogatus est, per Legatos significatum. Non abhorruit ab eo consilio Pontifex, & Juliano Cardinali cogendæ synodi partes mandarat, Dieterico contra Archiepiscopo Coloniensi imperatum, ut erecto vexillo Cruciatorum copias in Germania conciret, ac in Bohemos, nisi Sigismundi jussa facerent, duceret. Sed hanc provinciam Julianus, martialis ingenii vir, sponte occuparat, & convocans Germaniæ regulis belli summam Friderico Brandeburgico tribuit. Ut dubia de bello fama est, ingens ad id hominum concursatio facta: ex proceribus Albertus & Christophorus Bavariæ, cum Fridericus Saxoniæ Duces fuere: hos Herbipolensis, Bambergensis, & Eistetensis Episcopi consequuti: nam Moguntinum, Trevirensem, & Coloniensem Concilio interesse oportuit. Excitus quoque Renatus Lotharingiæ Princeps, & Comes Palatinus Rheni: quos tamen oborta cum Vaudemontii Comite dissidia in partem sacri belli

(56) WINDECKIUS Cap. CLXXIV. & CXCV.

Anno Christi 1431

venire postea prohibebant. Initio censi facile quadraginta equitum, peditum nonaginta, currium vero novem millia numerata fuit, quibus sub signa coactis decreta in Bohemiam profectio est, dataque Alberto Austriaco mandata, ut infuso in Moraviam milite, hostium consilia, viresque distraheret. (57)

Tentata iterum frustra cum Bohemis pace,

Prius tamen, quam vis appararetur, placuit rursus periculum capere, an spe veniæ oblata, tum emollitus benevolentia animus factiosi ad obedientiam reflecti possent. Eam ob caussam ipse Sigismundus Egram profectus, Lobkovicum Legati nomine Pragam ire jussit, visurum, quo animo mandata cives accepturi essent. Videbantur non abhorrere a pacis studio, si honestis conditionibus, quibus non modo impunitatem sed sacrorum etiam, quæ haud ita dudum amplexi fuere, veniam obtinerent, confieri posset. Itaque Coscam & Maltrovium ad regem misere, qui conficiendæ pacis auctoritatem potestatemque haberent. Sed cum labor duarum hebdomadarum frustra omnino susceptus esset, Sigismundus Normbergam, Legati ad suos re infecta discessere. (58)

Rex cum Duce Mediolanensi foedus sancit,

Ut Normbergam rediit Sigismundus, Ducem Mediolanensem foedere sibi conciliandum statuit, partim, ut mediante in Venetos arma præsto esset, partim ut tutum sibi in Italiam, Romamque iter redderet, quo ab Eugenio ad capiendam Imperii coronam per nuntios, ac litteras evocabatur. Itaque missi Mediolanum oratores, qui & de foederibus cum Duce agerent, & præfinierent tempus, quo ex Majorum ritu diademate insigniretur. Ex his præcipuos Brunovium Comitem Sancti montis, Ladislaum de Thamosy Curiæ Magistrum, & Laurentium de Hedervar fuisse comperio; quibus potestas in solidum concessa, ut foederum rationes ex suo arbitrio inirent, quem ad modum litteræ eum ob finem vulgatæ fidem faciunt. (59)

Itaque misit suos Legatos,

„ Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex. Notum facimus tenore præsentium universis, quemadmodum alias Magnifico Brunovio de la Scala, Comiti sancti montis, Veronæ, & Vicentiæ Vicario Generali mandatum, potestatem, & facultatem plenissimam dedimus ad ineundum cum Illustri Filippo Maria Anglo Duce Mediolani Principe, & filio nostro charissimo, nostro, & Imperii sacri nomine, certas conventiones, & uniones pro introitu nostro personali ad Italiam præparando, sicuti tam littera mandati, quam inscriptiones foederum inter nos utrinque factæ, & datæ, id clarius attestatur, ita a negotiis, quæ pro tota Christianitate & bono Imperii hic peragere habuimus, Deo volente, liberati, & illis ordinate dispositis nobisque jam ad intrandum Italiam in puncto paratis, præfato Brunovio, ac Magnificis Ladislao filio Vayvodæ de Thamosy Magistro Curiæ, Laurentio de Hederwar Marescalco, & Honorabili Mathæ vice Cancellario Consiliariis & fidelibus nostris dilectis, de quorum conscientia, prudentia, & fide sincera ab experto probata, fiduciam habemus amplissimam, & cuilibet eorum in solidum tanquam Ambassiatorum Mandatariis, & procuratoribus nostris, quos etiam tenore præsentium facimus, constituimus, & illos esse ordinamus, damus, concedimus, & tribuimus omnimodam, & plenam auctoritatem, facultatem, & licentiam specialem, conventiones, uniones, Foedera, Tractatus, & inscriptiones inter nos, & filium nostrum Ducem Mediolani præfatum, initas renovandi, & conficiendi, illos quoque, & illa de novo ineundi, promittendi, spondendi; ac in animam nostram jurandi, promissiones quoque, & juramenta debita super hujusmodi conclusis, & factis realiter observandis, a præfato Duce recipiendi, & sumendi, & quæque ex hujusmodi rebus dependentia, & connexa nostro nomine faciendi, concludendi, & confirmandi, quæ nosmet facere possemus, si personaliter adessemus, ratum, & gratum habentes, ac verbo nostro regio habere promittentes quicquid præfati consiliarii nostri egerint, tractaverint, & concluserint, in præmissis. Da-
„ tum

(57) ÆNEAS SYLVIUS Hist. Bohem. Cap. XLVIII. BALBINUS Epit. rer. Bohem. Lib. IV. Cap. XI.

(58) Chronicon BARTOSSII ad an. 1431

(59) Ex Archivo Regio Mediolan. apud DE MONT

„ tum Nurimbergæ die secunda mensis Julii, anno Nativitatis Domini millesimo „ quadringentesimo trigesimo primo, Regnorum nostrorum anno Hungariæ &c. „ Quadragesimo quinto, Romanorum vero vigesimo primo, ac Bohemiæ un- „ decimo.

Annus Christi 1431

Facile Legatis cum Duce convenerat, & fœdus in has conditiones sancitum. Bellum adversus Venetos communi consilio & viribus gereretur. Astensis urbs, & Genua in fide Sigismundi, quoad Italia excedat, persisteret, neutri clam alio cum Venetis pacem consilare fas esset. Ad hæc regem Italiam petiturum Dux ope, æreque adjuturum iret. Commeatum, si terra, sin mari Romam rex contendat, naves præberent: tum in singulos menses regi iter facienti quinque aureorum millia penderentur. Ratum utrinque fœdus habitum est, & tabulis publicis in hæc verba confirmatum (60).

Pax utrinque cepit

„ In nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis Amen. Anno Domini nostri Jesu Christi MCCCCXXXI. die Mercurii primo mensis Augusti, Indictione nona secundum statum, & consuetudinem Mediolanensem. Ad laudem omnipotentis Dei nostri, & amplitudinem Imperialis, ac Ducalis status, in partibus Italiæ, detrimentumque, & confusionem eorum æmulorum, hæ sunt conclusiones habitæ per, & inter Magnificos Dominos Brunorium de la Scala, comitem sancti Montis, Veronæ, & Vicentiæ Vicarium Generalem Ladislaum Filium Wayvodæ (61) de Thamosy Magistrum Curiæ, Laurentium de Hedervar, Marescalcum, Mathiam Vice Cancellarium, consiliarios Oratores, & solemnes Procuratores Serenissimi Domini nostri regis . . ex una parte, & Magnificum militem, Dominum Gasparum vice Comitem, Consanguineum Consiliarium, & Procuratorem Illustris Domini Ducis Mediolani, Papiæ, Angleriæque Comitis, ac Januæ Domini . .

Adversus quos, & quibus contrahitur

„ Primo enim dictæ partes, dictis nominibus, non per errorem, aut improvide, sed animo deliberato, & ex certa scientia, concluserunt & concludunt, convenerunt & conveniunt, juramentoque suo firmaverunt, & firmant ut infra.

„ Item convenerunt & conveniunt, atque altera alteri promiserunt, & promittunt, quod prælibatus Dominus Rex, & ipse Dominus Dux insurgent cum omni suo posse contra Dominium Venetorum, & adversus ipsum Dominium undecunque, & qualitercunque guerram facient, non assumpturi cum eo pacem, concordiam, nec treugam, nisi de eorum ipsius Domini Regis, dicti Domini Ducis consensu, ac voluntate procederet.

„ Item convenerunt, & conveniunt, quod nec ex præsentibus Conventionibus, nec aliquo quovis modo præjudicari, aut derogari debeat, neque præjudicetur, aut derogetur aliqualiter ullis concessionibus factis per ipsum Dominum Regem præfato Domino Duci pro sua persona.

„ Item convenerunt, & conveniunt, quod tempore fiendarum assignationum de Civitatibus Januæ, & Ast, de quibus mentio fit in inferioribus Capitulis, ubicunque provideri debeat Gubernationi, Regimini, & Custodiæ ipsarum Civitatum, Fortalitiorumque, & pertinentiarum suarum de personis utrique parti fidatis, prælibato scilicet Domino Regi, & ipsi Domino Duci, & eveniente casu obitus ipsius Domini Regis, quem Deus avertat, aut recedente Majestate sua ex Italia, teneantur, & debeant ibi deputandæ personæ ipsas Civitates cum Fortaliciis, ac pertinentiis suis præfato Domino Duci resignare, ac in manibus suis reponere libere, & sine aliqua exceptione, ac omni contradictione cessante, restituendo singula ipsi Domino Duci in eo statu, in quo, & prout habuerint, sicque dictæ personæ promittere, ac jurare teneantur, & pariter observare, omni dolo & fraude remotis.

„ Item

(60) Ibid.

(61) Exemplar corrupte habet *Voyboldæ, de Thomosis & de Ederbar*, correxi ex MSS. Collectan. Illustr. L. B. a Keller.

Annus Christi 1431

„ Item quia pro multitudine Populi non posset in Civitate Mediolani magna Gentium quantitas absque multo incommodo hospitari, non posset insuper ibi decenter suscipi, & honorari Majestas regia cum merito excessivo, convenerunt, & conveniunt, dictæ partes quod præfatus Dominus Dux non adducet Mediolanum ultra Equites mille quingentos, aut duos mille, & si plures adduxerit, debeant suscipi, ac morari in aliis terris dicti Domini Ducis, verbi gratia in locis existentibus ad Fronterias contra Venetos.

„ Item quia omnis virtus unita fortior est ipsa divisa, promittunt dictæ partes, quod nullo unquam tempore in antea acceptabunt aliquam pacem, Treguam, Concordiam, Intelligentiam, vel Conventionem cum Dominio Venetorum, palam vel occulte una partium sine voluntate, & assensu alterius, & quod præfatus serenissimus Dominus Rex eidem Domino Duci, & Dominus Rex Domino nostro Regi, fideliter & constanter omni suo posse undecunque valebunt, assistent invicem, consiliis, & auxiliis ad relevationem Imperialis, & Ducalis status nec eundem Dominum Ducem Filium suum deseret, sed relinquet, nec ipse Dominus Dux Dominum Regem quovis modo usque ad finem agendorum contra hostes Venetos, & eorum nunc Colligatos, aut quod pax bona, & secura cum voluntate sua, & dicti Domini Ducis utrumque realiter subsequatur.

„ Item promiserunt, & spoponderunt prædicti regii Procuratores & Oratores, modo & nominibus, quibus supra, sub verbo regio, quod prælibatus Serenissimus Dominus Rex per totum præsentem mensem Augusti erit in Italia indubie personaliter constitutus.

„ Item promiserunt modo quo supra, quod si Dominus Rex decreverit Januam ad manus suas recipere, sibi, & fortaliciis illis de communibus servitoribus Imperii, & sui, atque Domini Ducis providebit, & in gubernatione dictæ Civitatis consiliis, & auxiliis dicti filii sui Domini Ducis libenter utetur.

„ Item promiserunt, & spoponderunt quod si Dominus Rex demigrabit extra Italiam, quod tunc Civitatem Ast cum suis Fortalitiis relaxabit, & reponet ad manus filii sui Domini Ducis in eo statu, ut illas & illa acceperat, absque dolo, & etiam officiales suos promittere, & jurare faciet, quod contingente casu sinistro, quem Deus avertat, ipsam Civitatem & Fortalitia ad manus dicti Domini Ducis resignabunt, & omnia supra scripta, & singula prædicti Procuratores, & Oratores, nomine quo supra, promiserunt realiter, & inconcusse, fideliter & pure attendere, & observare, prosequi, & adimplere, dolo, & fraude cessantibus quibuscunque, & in animam quoque ipsius serenissimi Domini Regis, tactis corporaliter sacrosanctis scripturis, ad majorem certitudinem præmissorum juraverunt, & jurant. - - -

„ Item, vice versa Magnificus Miles Dominus Gaspar Vicecomes, Consanguineus, Consiliarius, & Procurator dicti Domini Ducis, quia honorem, & gloriam serenissimi Domini Regis Dominus Dux cordialiter affectat, idcirco promittit, & pollicetur, modo & forma, quibus supra, quod ipse Dominus Dux præfato Domino Regi tenebitur dare, ac dabit Coronam in Mediolano quandocumque sua Majestas deliberaverit illam assumere, cum tali honore & Ceremoniis, ut Prædecessores sui in Imperio, & signanter quondam gloriosissimus Dominus Carolus quartus Genitor suus illam habuit, contradictionibus, & impedimentis cessantibus quibuscunque.

„ Item, prædictus Magnificus Dominus Gaspar Procuratorio nomine quo supra promisit & spopondit, quod si Majestas Regia, in cujus manibus reponenda est Janua, dimittet in manibus Domini Ducis, & quod eidem Regiæ Majestati, si decreverit per mare ad Romam transire, tenebitur dare, & dabit in effectu passagium Navium, & Galearum de Janua, vel de Savona ad Romam cum comitiva sua reducendi in tanto numero, prout necessitas requiret, & ad securitatem hujusmodi transitus expedire videbitur, quandocumque ire voluerit, dicti Domini Ducis sumptibus, & expensis: in casu vero, quo sua Majestas per terram deliberaret transire, ex tunc Dominus Dux suæ Majesta-

jectam etiam de gentibus Domini Ducis providere, & eamdem conducere debebit, & reducere iterum quandocumque sibi placuerit dicti Domini Ducis sumptibus, & expensis.

„ Item, prædictus Procurator, ut supra promisit, & spopondit quod Dominus Rex ad manus præfati Domini nostri Regis dabit, & assignabit Civitatem Astensem cum Fortalitiis, & pertinentiis suis in manibus Domini Ducis existentibus pro mansione, ac sede sua ibidem firmanda, & postquam regia Majestas montes attigerit, & intrare, ac præfatam Civitatem cum pertinentiis, ut præmittitur, habitare voluerit, quod ex tunc illi, vel illis quos præmittere decreverit, ipsam Civitatem cum pertinentiis ad manus suæ Majestatis tradet, & tradi faciet, adjuncto, quod Castellani suæ Majestatis Domino Duci jurent, ac promittant, quod casu eveniente sinistro, quem Deus avertat, ipsam Civitatem, & Fortalitia ad manus Domini Ducis resignent, & postquam sua Majestas exibit Italiam, illa relaxabit & ponet ad manus Domini Ducis in illo statu, ut accepit absque dolo.

„ Item, prædictus Procurator ut supra promisit, & spopondit, quod præfato serenissimo Regi illo die quo Italiam intraverit, & tandem omni mense quinque millia Ducatorum dabit, & assignabit, ac assignari faciet absque dilatione quamdiu eadem sua Majestas in partibus Italiæ commorabitur.

„ Item, quia Dominus Dux dispositus est annuere votis regiæ Majestatis, præcipue ut ipse cum statu Domini Ducis, qui suus, & Imperii sacri existit, prout libet, disponat, idcirco promisit, & spopondit quod quando sua Majestas constituetur in Italia, tunc sua Majestas videat, & mature deliberet, si erit bonum, utile, ac bonorificabile pro bono Imperii, ac statu Domini Ducis, quod Janua cum pertinentiis suis, quæ Dominus Dux jure possidet, sit in manibus regiæ Majestatis, quod si suæ Majestati videbitur, quod sit, & quomodo, quod ex tunc Dominus Dux eamdem cum pertinentiis suis, ut præmittitur, ad manus suæ Majestatis illico assignabit, obligando dictum Dominum Ducem tenore præsentium, quod remanente Janua in manibus suæ Majestatis, ut præmittitur, quamcumque operam adhibebit consiliis, & auxiliis, ad juvandum suæ Majestati manutenere Januam cum suis pertinentiis, & assignationem Civitatis Januæ cum pertinentiis assumi suæ Majestati facere, quandocumque eidem placuerit, vel eamdem recipere voluerit, ante transitum suum ad Romam, vel post reditum suum, & similiter cum assignatione Civitatis Astensis, & pertinentiis faciet.

„ Omnia quoque & singula præmissa, & quodlibet præmissorum idem Dominus Gaspar, nomine quo supra, promisit, & spopondit, & pollicetur, fide pura, & integerrima, ac tactis corporaliter sacro sanctis scripturis, in animam ipsius Domini Ducis juravit fideliter, constanter, & inviolabiliter observare, prosequi, & adimplere serenissimo Domino Regi per totum mensem Augusti præsentem in Italia constituto, & realiter existente.

„ Denique vero dictæ partes promiserunt, altera alteri, prædicta omnia & singula bona fide, & sincere, ac realiter observare, nec aliqua occasione, aut quovis modo contrafacere, nec venire. Quæ omnia & singula supra scripta præfati Domini Procuratores, modis dictis, & nominibus congrue conferendo, promiserunt, & promittunt sub obligatione præfatorum Dominorum Regis, & Ducis, bonorumque suorum præsentium, & futurorum sibi vicissim, & mihi Donato Notario infra scripto Personæ publicæ, & officio publico stipulanti & recipienti nomine eorumdem Dominorum Regis, & Ducis, singula singulis congrue referendo, & omnium quorum interest, & interent, atque juraverunt, & jurant ad sancta Dei Evangelia, manibus corporaliter tactis sacro sanctis scripturis, in animas ipsorum Regis, & Ducis in manibus Reverendi Patris Domini Abbatis Monasterii sancti Ambrosii Mediolani recipientis, nomine suo nominibus Regio & Ducali supere, attendere, adimplere, & efficaciter observare pro posse recte, fideliter, & sincere, & nullo unquam tempore per

Anno Christi 1421.

„ sese, aut per submissam personam, directe, aut per indirectum, de jure, vel
„ de facto, aut alio quaesito, vel quaerendo colore contra facere, vel venire re-
„ nunciantes exceptioni non factarum dictarum conventionum sub juramento seu
„ juramentis ut supra, & non celebrati hujusmodi contractus, & praedictorum
„ & infradictorum non sic actorum omnique probationi, & defensioni in contra-
„ rium.

Germani a Bohemis memorabili clade profligantur.

Sub haec tristis de accepta apud Bohemos clade rumour ad regem allatus est Fridericus Brandeburgicus, quem copiis Germanicis summa potestate praefectum supra memoravimus, cuique Julianus Cardinalis se socium adjunxerat, quod minus obsequentem, quam oportuerat militem haberet in extremis Bohemiae limitibus, qua Tepla oppidum est, castra defixit, quae res & viam ad turpissimam cladem praestruxit, & spatium hosti tribuit, quo nostrorum conatus frustraretur. *Etenim Boemi, qui jam pridem hostem affuturum acceperant, expeditas in armis legiones coegerant, & ubi fidelium domicilia reperiebant, ea ferro atque igne vastabant. Inter quae Stiltivergium oppidum ab Orphanis expugnatum ac direptum, pueri ad unum necati. Interea sive praedicto in exercitu fidelium fuit, quod plurimi putavere, sive manus sua speciem mentis hominum pavor invasit, totis castris trepidatum est, & prius, quam hostis ullus in conspectu daretur, foedissima coepta fuga. Mirari Julianus, unde hic timor, qui tanto tantum exercitum fugere suaderet, ambire Duces, hortari, arma expedirent, aciem instruerent, forti animo hostem exspectarent: non de regni gloria, aut aeternorum possessione certari, de vita, de religione, de Christi honore, de omnium salute bellum geri: turpe Germanos esse, quorum nobilitatem virtutemque totus orbis celebraret, ex praelio fugere, mori satius quam hostis nondum visi cedere. Neque serves intra moenia habitare posse, qui campos hosti relinquerent, arma viros, non muros tegere: nisi gladius modo libertatem suam tueantur, aut cibos & pueros hosti ferre, aut servitutem morte miseriorem laturos. Sed frustra apud eos cohortatio fuit, quorum pudorem metus vicerat. Ablata sunt raptim signa, & tanquam nullus esset in exercitu ductor, tumultuosè quisque, non expectato imperio, non salutato Comite, nulli etiam projectis armis, non aliter, quam si hostis a tergo instaret, rapido cursu fugam maturavere* (62). Id ubi Bohemi conspicati sunt, facto in fugientes impetu ingentem stragem edidere, caesis undecim Germanorum millibus: castra cum impedimentis, tum duo currum millia, ac centum quinquaginta bellicae machinae, in hostium potestatem venere. Albertus Austriacus, qui victorem exercitum Bohemiae jam infuderat, accepto cladis nuntio, in Moraviam iter reflexit, armorumque metu factiosos in obsequio continuit. (63)

Querelae de hac caussa factae.

Julianus Cardinalis, qui eodem fugae impetu abreptus bullam, ut vocant, Cruciatae, Galerum Cardinalitium, sacrificii apparatum, Crucem, & nolam amiserat, Norimbergam ad Sigismundum venit, & cladis caussam in Principum discordiam non obscure, conjecit. Rex, cum alia ratio Bohemiam pacandi non occurreret, litteras VI. Calendas Novembris consignatas ad Bohemos exaravit, quibus calumniam praecipue refellit, quasi prudens volensque externum militem, qui promiscue in omnes saeviret, in Bohemiam immisisset; tum ad Concilium invitat, datque fidem publicam, si qui velint, tuto Basileam venturos. Dedere acerrimum responsum Bohemi, quo non modo Sigismundum graviter infamulabant, sed conjecta quoque in Ecclesiasticos viros turbarum caussa, si armis premerentur, arma itidem comminabantur (64).

Sigismundus Mediolani rex Longobardiae creatur.

Sigismundus frustra tentatis Bohemorum animis Mediolanum ex pactis conventis properabat: ubi a Philelpho Duce, qui regi cum splendida Nobilium corona obviam ierat, honorificentissimo apparatu acceptus, VII. Calendas Decembres ab urbis Episcopo diademate incinctus, ac Longobardiae rex creatus est. Ab inauguratione ad Natalem Christi diem illic commoratus, multaque de

fe-

(62) ÆNEAS SYLV. Hist. Bohem. cap. XLVIII.

(63) BALBIN. Epit. rer. Bohem. Lib. IV. cap. XI.

(64) Idem ibid.

Annus Christi 1432.

fœderibus, quæ paulum ante icisset, cum Duce consultans, in Hungariam sub anni exitum maturabat, ut rebus in Bohemia prope collapsis præsentia sua mederetur (65)

Tum et Hungariæ rex et sui frustra Bohemos sibi conciliare nititur

Posonium dilatus ordines Bohemiæ ad se per nuncios accersierat, quorum oratores cum urbem nullo pacto ingredi vellent, prodiit ad eos Sigismundus, questusque est, quod se regem habere nollent, cujus avus, pater, fraterque ea dignitate cum magno regni commodo apud eos insignes olim fuissent; promittebat oblivionem præteritorum, & summam in regendo clementiam, modo respicerent sese, & suo arbitrio se permitterent. Legati breviter respondere, multa quidem dictu nefanda his armis patrata esse, quorum tamen auctor fere rex fuisset cum tot exercitus, qui universæ gentis excidium animo agitassent, Bohemiæ immitteret; se ad vim vi arcendam ingratis prorsus adductos esse. querebantur sacerdotes suos contra datam fidem Constantiæ igni exustos, non audiens Bohemos, ditisque omnibus devotos, quæ non modo audiente, videnteque eo, sed consentiente etiam, & qua auctoritas regia magnum ad hæc momentum conferre soleat, probante contigissent. Rex ne exulceratum vulnus inclementius contrectaret, molli responso omnia refellere conatus, Basileam ut venirent, comiter invitavit, illic, quoniam dissidia fere a religionum discrimine ortum sumsissent, causam illustrari oportere. Adjecit quoque litteras ad universam Bohemorum nationem, quibus se Romam iturum ad suscipiendam ab Eugenio coronam significat, quæ honoris prærogativa non sibi duntaxat, sed ipsis quoque, ex quibus genus, & sanguinem duceret, singulare decus esset allatura. Orare itaque eos, ut consilia pacis amplexi, Basileensi synodo se permittant, & transactis hujus arbitrio litibus ad concordiam redeant. Id si facerent, non dubitare se, quin regem suæ gentis præ cæteris studiosissimum eodem loco habituri sint, quo patrem cujus instituta deinceps sequi ipse vellet, olim habuissent. (66)

Sed accedente gratia inde Legatos ad Concilium mittere decernunt.

Sed hæc nullo pæne fructu dicebantur, quod Taboritæ, penes quos fere rerum summa tum in Bohemia fuit, ab his consiliis magnopere abhorrerent; qui sumtis ex Sigismundi conniventia animis non modo pacem superbe respuebant, sed instaurato inibi in Hungariam usi bellum, tametsi eventu haud satis auspicato, instaurabant. Vis fere in Tirnaviensem agrum invehitur, quam urbem simulato mercatorum habitu ingressi, occupatam portis avarissime expilatam incendio fœdavere; inde ad Vagum flumen vastitas circumlata. Sed deprehensi fabuloso in loco ab Hungarorum equitatu, protracta in noctem velitatione maximam partem cæduntur, pauci amissis curribus, & spoliis in Moraviam eluctati, salutem reperere. Cæsorum supra quinque millia fuisse scriptor coævus adnotavit. (67) Parem cladem in Austria, cæsis quatuor millibus, reliquis aut captis, aut dissipatis, accepere. Quæ res Procopium Rasum, cæterosque factiosorum antesignanos, in eam fere sententiam adduxerat, ut Sigismundi consilia amplecti velle viderentur, præsertim quod Philibertus Constantiensis Episcopus a Patribus Basileensibus in Bohemiam missus, idem, ut facerent, gravissime suaderet. Certatum tamen aliquamdiu est variantibus sententiis, quod Nobiles, & qui Hussum sectabantur, non modo a Concilio non abhorrerent, sed ut quantocius Basileam iretur, auctores essent: Taboritæ contra, Orphani, ac Orebitæ, cæterisque vulgo viris iter illud minime placeret, quod Maynhardi novæ domus Principis prudentia effectum esset, ut plerique cum Nobilibus consentirent; minime enim tolerandi videbantur, qui novas peregrinasque de religione sententias regno invexissent, nisi dictorum factorumque rationem Ecclesiæ redderent, quavis huic eorum, quæ vulgo inculcarunt, judicium deferre vererentur. Itaque trecentorum equitum Legatio in annum sequentem Basileam decreta est. (68)

(65) WINDECK cap. CLXXXIV.
(66) BALBIN loco cit.
(67) Chron. BARTKONII Tom. I. Monum. Hist. Cl. GELASII DOBNER u Cleric. Reg. Pur Schol.
(68) ÆNEAS SYLV. Hist. Boh. cap. XLIX. & BALBIN Lib. cit. cap. XII.

Anno Christi 1432. *Hic interea res ter Romanos agit.*

Sigismundus de iis, quæ a Taboritis constituta fuissent, celeriter edoctus, præmissis Romam Legatis iter in Italiam apparabat. Ducebat haud paucos ex equestri Hungarorum ordine, quibus Dux Mediolanensis suas quoque ex pactis conventis copias adjecerat, sive ut securum regi esset iter, seu splendidior urbem petentis apparatus. Mediolano Placentiam ventum: unde post aliquot hebdomadum quietem Parmam, tum Lucam Tusciæ urbem ventum. Hic præter opinionem lites cum Florentinis, incertum tamen quam ob causam, exortæ, sed quæ commissa pugna, captisque Florentinorum quadringentis paullum post sopitæ sunt. Ab hinc Genuam profectus, ubi acceptis ab rege Arragonum suppetiis ad anni exitum quoad rationes capiendæ Imperii coronæ utrinque fierent, commoratus est (69).

1433. *Bohemorum Legatio Basileam pervenit.*

Interea Bohemorum Legatio in anni sequentis exordio Normbergam advenerat. *Hujus Principes fuere, Guilhelmus Coska non tam equestri dignitate, quam Ecclesiarum direptione insignis, Procopius cognomento Rasus, idem magnus multis victoriis, magnisque sceleribus nobilitatus. Joannes Rochezana pseudo Pragensium Apostolus. Nicolaus Galicus Taboritarum sacerdos, & Petrus Anglicus patria profugus, at solis elenchis in disputatione confidens. Effusus extra mœnia urbanus populus, ex synodo quoque complures, adventum fortissimæ gentis pro portis exspectavere. Alii frequentes in plateas, quo transitus esset, convenere, matronæ, pueri, puellæ, fenestras, atque tecta complere, alii hunc, alii illum digito designare, peregrinos habitus, non visa prius vestimenta mirari, horribiles hominum facies, truces notare oculos, non esse alienum dicere ab ea hominum specie facta, quæ fama prodiderat. In unum tamen multi Procopium defigere lumina, illum esse, qui toties fidelium fugasset exercitum, qui tot oppida subvertisset, tot hominum millia neci dedisset, quem sui pariter, atque hostes metuerent, audacem Ducem, audacem, intrepidum, neque labore, neque timore superandum* (70). Quinto idus Januarias in Concilium inducti ea Julianus Cardinalis luculenta oratione ad pacem, & unionem cohortatus est; & lectis utrinque quatuor viris, qui fidei suæ rationes redderent, confutarentque vicissim, disceptationi initium datum.

Legati a rege Romam præmissi.

Cæterum, dum res cum Bohemis magna animorum, & ingenii contentione in Synodo agitur, Legati, quos Sigismundus ad Eugenium præmiserat, ut eorum, quæ ad capiendam novam dignitatem necessaria erant, multo ante, quam ipse in urbem contenderet, diligentem curam haberent, Romam pervenere. Legationis Principes fuere Matthias de Thalocz, & Casparus Schlick, ille Hungarus, hic Bohemus, uterque & nobilitate generis, & dignitate conspicuus. Ut ad urbem venere, & ad Eugenium admissi sunt, regem conditionibus ex prisco ritu statutum suo nomine pollicentur, neve mala secum fide Pontifex, aut Senatus, populusque Romanus agi existimet, promissionem regis nomine solenni sacramento in hæc verba confirmant. (71).

Sacramentum Pontifici regis nomine dicunt.

„ Nos Matko de Thalocz Comes Kewinensis, & Capitaneus Nandoralbensis, & Caspar Slyck Vicecancellarius & Capitaneus terrarum Egræ, Ambasiatores, & Procuratores Invictissimi Principis & Domini Sigismundi Romanorum Regis semper Augusti, ac Hungariæ, Bohemiæ, &c. Regis gloriosissimi, ad Sanctissimum, & clementissimum Dominum nostrum Papam Eugenium IV. destinati, recognoscimus, tenore præsentium, universis, quod nos de mandato & licentia præfati serenissimi Domini nostri Regis, cujus pleno, & sufficienti mandato fulciti sumus, quodque sigillatum in manus sanctissimi Domini nostri disposuimus hodie dato litteræ nostræ præsentis in Consistorio Apostolico generali in manu suæ sanctitatis præstitimus in forma, quæ est infra.

„ I. Nos Comes Matko, & Caspar Slyck Vicecancellarius, Procuratorio nomine, quo supra promittimus, & tactis Evangeliis sacrosanctis juramentum firmamus Sanctitati præfati Domini nostri, suo & Ecclesiæ nomine „ hujus-

(69) Chronic. BARTOSSII Tom. I. Cl. GELASII DOBNER e Cler. Reg. Par. Schol.

(70) ÆNEAS SYLV. loc. laud.

(71) Apud LABBE Collect. Regia Concil. Tom. XXX. in Append. pag. 819.

Anno Christi 1433.

„ hujusmodi juramentum accipienti, quod serenissimus Dominus Rex Sigismundus „ Ecclesiam, & fidem Catholicam pura fide, totis viribus conservabit reveren„ter & etiam defendet, omnemque Hæresim, Schisma, & Hæreticos quosli„bet, Fautoresque, & Receptatores, & Defensores eorum exterminabit pro „posse; ac nunquam cum Saraceno, Pagano, Schismatico, seu alio quolibet com„munionem Catholicæ fidei non habente, aut cum aliquo alio præfatæ Ecclesiæ „inimico, vel rebelli, seu eidem manifeste suspecto, unionem quamlibet, paren„telam, aut confœderationem inibit: sed tam vestram, quam successorum ve„strorum personas, honorem, & statum manutenebit, & defendet, ac conser„vabit contra omnes homines, cujuscunque existerent præeminentiæ, dignitatis, „aut status.

„ II. Eidem adjicientes juramento, quod eadem Majestas manutenebit „semper, atque servabit privilegia omnia, per prædecessores suos Reges, ac „Imperatores Romanos, præfatæ Romanæ Ecclesiæ, ac aliis quibuslibet Ecclesiis, „quocumque concessa tempore, & continentiæ cujuscumque, ipsaque omnia, & spe„cialiter ac præcipue præclaræ memoriæ Constantinum, Carolum, Henricum, Otto„nem IV. Fridericum II. atque Rudolphum, Prædecessores ipsius, præsertim super „concessione, recognitione, advocatione, quitatione, ac libera admissione Terrarum, „& Provinciarum Romanæ Ecclesiæ ubilibet positarum, quarum etiam multas nomi„natim expressit, sedi Apostolicæ, Romanisque Pontificibus sub quocumque tenore „concessa recognoscet, confirmabit, & ex certa scientia innovabit, ac etiam de novo „concedet, & terras ipsas, atque provincias recognoscet ad jus, & proprietatem „ipsius Ecclesiæ plenissime pertinere, easque nihilominus ex abundanti de novo „Ecclesiæ præfatæ donabit sub prædicto se obligans juramento, quod ipsas vel „aliquam ipsarum partem nullo unquam tempore occupabit, seu quantum in eo „erit occupari permittet, possessiones, aut fenmas habebit, seu quomodolibet „possidebit, nec in eis etiam potestariæ, seu cujusvis Capitaniæ officium, aut ju„risdictionem quamcumque per se vel alium exercebit, quodque, ut Princeps „Catholicus sæpe dictæ Ecclesiæ Advocatus atque Defensor, ipsam juvabit, & con„siliis, & auxiliis illi assistet opportunis, contra quoscumque inobedientes, & rebelles „eidem, & præcipue contra occupantes, & turbantes terras prædictas, seu pro„vincias vel partem quamlibet earumdem.

„ III. Sub eodem etiam juramento promittimus, quod tam ipsam Roma„nam, quam alias Ecclesias, libertatem Ecclesiasticam, bona, jura, Prælatos, „& Ministros Ecclesiarum ipsarum ipse Dominus Rex manutenebit, conserva„bit, & defendet suo posse.

„ IV. Et quod Ecclesiæ Romanæ Vasallos contra justitiam nullatenus „offendet, devotos, & fideles etiam in Imperio consistentes benigne tractabit, „nec eos opprimet contra justitiam, aut quantum in eo erit, per alium opprimi „sustinebit, sed in suis potius juribus, & justitiis conservabit. Sic eum Deus „adjuvet, & sancta Dei Evangelia. Et sic nos Procuratores nomine præfato „recognoscimus, confirmamus, innovamus, concedimus, donamus, & cætera fa„cimus secundum tenorem, qui superius continetur, promittentes insuper, quod „præfatus Dominus noster serenissimus rex hoc quoque juramentum per nos, ut „præmittitur, præstitum, in manus suæ sanctitatis, vel Legatorum ejusdem san„ctitatis, si illos præmittere decreverit, personaliter innovabit, suas regias pa„tentes literas, & sigilla consueta super illis tradendo. In cujus rei testimo„nium sigilla nostra propria præsentibus sunt appensa. Datum Romæ anno „MCCCCXXXIII. die IV mensis Aprilis. „

Legatos paullum post consequutus Sigismundus, cum ingenti Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, ac Italiæ Principum corona Romam tenat, & postquam, quæ oratores prius suo nomine polliciti erant, publicis tabulis rata habuisset, Imperator ab Eugenio pronunciatus, ac in Ecclesia Divi Petri ante aram sancti Mauritii ipso Pentecostes die corona insignitus est. Tum Pontificis hortatu fœdus in quinquennium cum Florentinis, ac Venetis percussit. Quibus conditionibus

Hic rex consequutus, Imperator Romæ creatur.

Anno Christi 1433

coaluerit, nuspiam proditum scio. Illud compertum est, Venetos impendiorum rationes, quas Imperator Romae, ac in Italia fecisset, liberaliter praestitisse. Credibile etiam Spalatum, ac Tinnium Dalmatiae maritimas urbes ex foedere Hungaris redditas, quod earum urbium Praesules regi obnoxios fuisse, illorum temporum diplomata perspicuum faciant. (72)

Redux ex Italia Concilio interest.

Redux Basileam Sigismundus, aliquandiu rebus, quae in Synodo tractabantur, interfuit, quo & auctoritatem Patribus conciliaret, & Bohemis sua quoque libertas constaret. Id enim saepe alias querebantur, non perinde, ac promissum erat, sibi in Synodo loquendi, dicendive veniam dari. In qua cum causae omnes latino sermone agerentur, & Sigismundus Germaniae Principes illius maxime rudes animadverteret, ferunt graviter ab Imperatore admonitos, ut liberos suos Hungarorum more, qui linguae illius prae caeteris studiosi, amantesque essent, probis deinceps Magistris imbuendos crederent: ut enim perita illius non maxime ad rem publicam administrandam faceret, infra Principis tamen dignitatem valere, si penitus ignoretur. (73)

Cruciferi a Turcis ac Schismaticis caeduntur.

Haec inter intempestivum de clade Cruciferis illata nuntium accepit. Turci absentia regis usi, in eam Serviae partem, quam Cruciferorum ordini attributam narravimus, crebro incurrerant, sed Prussorum virtute cum ingenti damno repulsi Myrzam Valachiae Vayvodam in armorum communionem pertraxere. Neque homo ingratissimus, beneficiorum, quae ab Sigismundo acceperat, memor, a barbarorum foedere abhorruit, initaque societate copias cum hoste conjunxit. Itaque barbari viribus auctiores in Cruciferos rursum movent, factaque praelii copia, quamquam illi incredibili virtute pugnam conferrent, stragemque ederent ingentem, numero oppressi, & circumventi ad unum omnes deleantur. Ferunt regem, postquam de clade comperit, quod ordini huic impense faveret, magno moerore absorptum, nunquam, dum vixit, cladis memoriam posuisse. Serviam ea parte, qua Belgradum meridiem respicit, abhinc in Turcorum potestate fuisse, quoad multos post annos nullo paene sanguine recuperata fuisset, in comperto est. (74) Pari damno rursum a Bohemis Hungaria affecta est. Pardus enim Taboritarum, qui rapto vivere assueti in castris vitam exigebant, Ductor cum septingentis equitibus, ac octo peditum millibus in montanas civitates illapsus Cremnicium urbem occuparat, cladesque latissime circumferens, incensis, expilatisque oppidis, ingentem auri, & argenti vim casas in Bohemiam revexit, quam copiae, quae dissitissimum hosti praedam excuterent, opponi possent. (75)

Bohemi a concordiam adducuntur.

Utcunque tamen acceptum ex clade dolorem spes de revocandis ad obsequium Bohemis oblata mitigavit. Patres, postquam frustra cum refractariis egissent, amicitia, & favore emolliendos haereticos censuere; itaque datis conditionibus, quarum ea, quae usum calicis promiscue concedebat, praecipua fuit, periculum ex temporum habitu capeum est, num posita ferocia spem conciliandae unionis de se praeberent viderentur. Missi Pragam Legati, qui, quo animo Bohemi oblatas a Synodo conditiones amplexuri essent, referrent; accepti sunt comiter, & muneribus quoque exculti, quae insolita humanitatis significatio haud exiguam Legatis spem injecit, rem, cujus causa venissent, secundo eventu terminatum iri. Coacto regni conventu palam quae a Synodo afferrent, legere, quae cum mirifice plerisque probarentur, decreta Basileam legatio est, cui mandatum, ut Pontifici, ac Patribus pro testata in Bohemos voluntate gratiam haberet, rogaretque, ne conditiones, in quas conventum esset, fide publica confirmare gravarentur. Nihil negari visum est hominibus, qui aliorum errore in transversum abrepti essent, & non gravate obsequium profiterentur. Quare voti compotes pridie calendas Decembres rediere. Ita pax quidem confecta, ex qua novum tamen postea bellum recruduit. (76)

Anno

(72) WINDECKIUS cap. CXCIII. BALBIN. loc. cit. ROZITIUS in Chron.
(73) DUBRAV. Hist. Boh. Lib. XXV.
(74) WINDECKIUS Cap. CXCV.
(75) Chron. BARTOSSII Tom. I. Cl. GELASII DOBNER e Chron. Reg. Par. Schol.
(76) BALBIN. Epit. Rer. Boh. Lib. IV. cap. XII. in not.

Anno enim, qui hunc proxime insequutus est, odiorum semina, quæ inter nobiles & Taboritas anno abhinc jacta erant, in apertum erupere. Sero a regni Baronibus animadversum est, qua in re seu oscitatione, seu pervicacia hactenus peccatum fuisset, quod cum regis imperium temere abdicassent, Procopii dominationem turpiter ferre cogerentur. Illum rerum cum summa potestate potiri, illum Magistratus pro sua libidine in pessime meritos conferre, aut pretio etiam mercari, delectus habere militum, exercitum ducere, bellum juxta ac pacem suo unius nutu obmovere, aut componere. mutatum ab se, non excussum jugum, quod homini neque claritate generis conspicuo, nec maximo censu, nec cum plurimis regni Optimatibus conferendo, mancipiorum instar obaudiendum esset. Abolendam omnino esse hanc tyrannidem, & coacto ex regni ordinibus, tum urbibus conventu de nova reipublicæ forma consulendum. Hæc plerorumque vox erat, & sententia. Itaque indictis omnium ordinum comitiis, quamquam in principio contraria voluntatum studiis aliquamdiu certatum fuisset, ad extremum tamen Maynhardi de nova domo sententia obtinuit, suadentis, ut, quoad res cum Sigismundo per nuntios conficerent, ex Optimatum numero aliquem legerent, qui regno vicaria potestate interim præesset. Lectus est Alexius Risemburgensis, vir antiquæ nobilitatis, &, quem accepit, Magistratu non impar, si, ut Majestatis insignia apud eum fuere, auctoritas quoque exstitisset. (77)

Anno Christi 1434. Ex his Nobiles Taboritis infesti.

Dum hæc Pragæ aguntur, Procopius ad Pilsnam urbem, quam in undecimum mensem obsidione presserat, rerum omnium imprudens hærebat: cumque novam Pragam ejectis Taboritis, Orphanisque in Nobilium potestate esse comperisset, ira frendens obsidionem solvit, ac instructo exercitu recta Pragam contendit. *Properanti communes amici occurrunt, de pace inter eum, & Nobiles agunt, dissidium inter eos regnum stare non posse, consulendum communi quieti, neque eam sine viribus, neque vires sine concordia sufficere civitatibus, ejus populi inexpugnabile munimentum esse, qui concordibus animis arma tractaret. Inter ex arbitrio Ducis componi posse delectis ex utraque parte pari numero viris, quorum consilio leges pacis dicerentur. Procopius demum ita se pacem habiturum respondet, si nova Praga sibi restituatur, si munitiones dejectæ erigantur, si Pilsna in eo statu reponatur, in quo erat ante dissolutam obsidionem, nam commeatus jam eo importati fuerant. Nobiles, ubi res factu difficillimas peti vident, Procopiumque vincula, verbera, caedes minari, cum alia via pax inveniri non posset, armis decertare constituunt. Relicta igitur civitate - - - obviam hosti pergunt. Ventum est ad locum inter Brodam Bohemicam, & Berum (78) quatuor millibus, & quingentis Passibus a Praga distantem, in agris late patentibus. Ibi currus contra currus incurrunt, & sublato clamore alteri alteros contumeliose compellant. Decreverat Procopius haud quaquam pugnæ copiam facere, nisi ex occasione prærogativa daretur. Erat ei animus recta via Pragam petere, ubi non dubitabat, novam civitatem sibi portas aperturam. At equitatus Nobilium munitiones ejus prætergressus, dum forte ultimam partem apertam videt, raptim ingreditur, cædemque magnam facit. Hostes improviso malo præventi, quid agant, nesciunt: trepidatur totis castris, insolita res terrorem auget. Neque enim intra munitiones curruum intrasse prius equites aliquando viderant. Caduntur passim pedites, fit fuga aperta ex altera parte mole quadrigarum. Instant Nobiles, sternuntur ubique fugientes. Procopius, ubi suos retinere non potest, nec audire hortamenta, quæ periculum, metusque fiunt, inter confertissimos hostes dilapsus, cum cohorte, quam sibi ex fortissimis magis, quam amicissimis delegerat, aliquamdiu hostis impetum retinet, multisque cæsis, victoriam pene hostibus eripuit. Sed circumventus multitudine equitum, non tam viribus, quam vincendo fessus, telo in incertum acto transfoditur. Pari modo, & alter Procopius, quem minorem appellari diximus, in eodem globo fortiter pugnans occumbit. Atque is finis duobus illis perniciosissimus, ac deterrimus monstris fuit. - - - confecto bello cum multa millia captivorum essent,* Mayn-

Ipsi internecione propemodum deleti.

(77) Idem ibid. ÆNEAS SYLV Hist. Boh. Cap. L.

(78) Forte rectius *Gurim* legeretur, siquidem ex Beraus regulibus illius temporis Kaurzimensem Provinciam Bohemiæ tum Gurimensem appellatam fuisse.

Anno Christi 1434.

Meynhardus concilio Procerum accersito, perdere pessimam plebem statuit, quæ vitriis in armis, ætatem in castris egerat, nec sub legibus vivere cogeretur, rapinis, cædibus, atque adulteriis assueta, qua stante pacatum regnum stare non posset. Sed veritus, ne simul innocentes interficeret, qui ex agris coacti ad pugnam venerant, voce præconis edici jubet, nondum bellum peractum esse . . . Coloniam expugnari oportere, vicinasque per circuitum gentes, quæ regnum popularentur, armis domandas. Ad eam rem necessarios, qui sub Procopio militassent, viros fortes, & in bello exercitatos decrevisse eis ex publico stipendium, donec regnum pacaretur. Proinde omnes, qui stipendia facere vellent, in horrea sese proxima reciperent, caverent, ne rudes, inexpertosque belli secum admitterent, illos sua rura, suosque lares repetere passe. Intro iverunt horrea, quæ apud Bohemos in villis ex materia, culmo tecta, frequenter sunt, pleraque Taboritarum, & Orphanorum millia, homines usque ad senium, & ventum indurati, aspectu tetri, atque horribiles, & qui circa fumum in castris vixissent, ursulini oculis, impexo crine, prolixa barba, corporibus proceris, membris hispidis, cute adeo dura, ut ferrum quasi lorica repulsura videretur. Clausa sunt confestim ostia, & ignis immissus horreis, quo fex illa, & colluvies hominum, ignominiosum agmen, post multa, quæ patraverat scelera, excessu contentus demum religionis pœnas dedit. (79)

Rex victoriam per literas Concilii Patribus significat.

Agebat tum Ulmæ in Suevia Sigismundus, cum lætissimum de Taboritarum clade nuncium accepit. Itaque extemplo humanissimas ad Patres Basileenses literas dedit, quibus & victoriæ fructum explicat, & ut Deo, victoriæ largitori gratias haberent, in hæc verba rogat. (80) *Reverendissimis, ac venerabilibus in Christo Patribus, ac Dominis sacrosanctæ generalis synodi Basileensis in Spiritu sancto legitime congregatis, Ecclesiam universalem repræsentantibus, amicis nostris charissimis, & sincere dilectis Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, Hungariæ, & Bohemiæ rex. Reverendissimi in Christo Patres, & Domini amici charissimi, & Reverendi, grate sinceræque dilecti. Hodie hora vesperarum comparuerunt ad nos, nuncii, qui . . . de Bohemia velocissime applicuerunt, afferentes nobis jucundissima, & felicissima nova de victoria nostrorum, & conflictu Taboritarum, & illorum, qui alias in obsidione civitatis Pilsnensis erant; qui per Dei gratiam, a quo omnis procedit victoria, in planitie inter civitatem Gursim, & monasterium Kalic, fortiter bello, cum modico damno nostrorum, viriliter prostrati sunt, quarum literarum aliquas originales vestris Reverendissimis Paternitatibus mittimus præsentibus inclusas. Hoc Reverendissimi Patres volumus vestris Paternitatibus pro singularissimo gaudio cunctis Christi fidelibus optantissime nunciare, rogantes cordialiter, quatenus altissimo Domino Jesu Christo infinitas agentes gratias, cum processionibus, & aliis solemnitatibus ad bonum, & felicem progressum, tam felicis principii, uno versus modo, omni opera, atque cura vigilare velitis, quoniam & nos similiter de agendis ulterioribus, & quæcunque in futurum habuerimus, vestris Paternitatibus dux, utique intimare curabimus. Datum Ulmæ IV. Junii.*

Et per Oratores suos cum Bohemis agit.

Fracto nuperno prælio Taboritis, Nobiles splendidissimam Legationem, cujus Maynhardus de nova domo Princeps fuit, ad Sigismundum misere. Ea Legatione Cæsari renunciarunt Bohemi, se concilii auctoritatem secutos, ab eo religionis suæ confirmationem accepisse, profligatis hæreticis spem pacandi regni animis ostendi, tametsi nondum debellatum esset. Cumque Sigismundus in regem recipi vellet, nulla se propterea mandata ab regni Ordinibus afferre responderunt, daturos tamen operam, ut de ea re in futuris comitiis sedulo tractaretur. Ita magna humanitatis significatione dimisit suos Cæsar iisdem Legatos adjunxit, quibus data ab Optimatibus fides est, Ordines ante Pascha anni sequentis, composita controversia, quid statuissent, responsuros. Rebus utcunque ex animi sententia confectis Posonium in Hungariam delatus Cæsar, obvios regni Optimates habuit, qui regem nova Imperatoria dignitate ornatum, splendidissimis muneribus excoluere. (81)

Red-

(79) ÆNEAS SYLV. Hist. Boh. Cap. LI.
(80) Ex Tab. MS. Mavsinere sub Lit. D.
(81) WINDECK. cap. CCV. BALBIN Epit. Rer. Boh. Lib. V. cap. I.

Reddĭtus Hungariæ, quoniam per absentiam legum vim, & auctoritatem vehementer defluxisse compererat, Proceresque, ut malo mederi ne gravaretur, impense orarent, evocatis ex quolibet provincia Nobilibus Conventum Posonii coegit, in quo cum multa universe ad sacram, profanamque rem publicam instaurandam constituta, tum singulatim leges quoque conditæ, ac edito diplomate, quod nostri Jureconsulti *Decretum Majus* (82) nuncupant, per regnum vulgatæ. Earum hæc præcipua sunt capita: Neminem in Judicum deinceps numerum cooptari oportere, nisi regi, aut, quem is suo nomine designarit, sacramentum dicat, nullam se odii, aut favoris rationem in pronuncianda sententia habiturum: adjecta verborum forma est, secundum quam jusjurandum diceretur. Injectum potentioribus frenum, ne in fortunas aliorum injuria grassentur: si quam litem propterea oboriri contingeret, dirimendi auctoritas penes regis curiam esset. In distrahenda mulcta præscriptam normam, moremque transgredi, aut commutare nemini integrum sit, neque liceat pro literis, quarum usus in dicundo jure, & diremtione litium obtinet, majus, quam præstitutum sit, pretium pendere, poscereque. Designatus iidem modus, quem in captivandis variis ob causas hominibus, secundum prærogativas generis, & conditionis servari deinceps oporteret. Si quis improlis obiret, fas esset longinquis heredibus jus suum persequi: pronunciatum iri pro illis sententiam, ubi rem ad liquidum illustrarint; sin contra Fisco regio singula, quorum causa lis mota esset, adjicerentur. Uxorum tamen, ac filiarum rationem ita habendam videri, ut illis de dote, & paraphernali jure cautum sit: istæ heredes ex quadrante omnino essent. Ecclesiarum res, & bona profani ne occupent, nisi Rex pro temporis habitu, aut causæ gravitate id juberet. Tributorum, ac Vectigalium pensionem sic temperandam esse, ut & Regis ærario, & subditorum injuriæ caveretur. Quibus ob perfidiæ notam aqua & igni interdictum fuit, u regno & omnibus ditionibus exigerentur: quos contra furti publici, aut latrocinii causa in exilium deportari contigisset, illis in regni limitibus tandiu commorari, quoad veniam obtineant, fraudi non esset.

Actæ in hunc modum constitutis Budam, secundo Danubio devectus, terrent. Hic cum rursus novas in Bohemia turbas enasci, neque minus a Turcis discrimen imminere ex crebris nuntiis intelligeret, concitis, quos secum Posonio acceperat, Proceribus, rogatisque sententiis, regni limites munimentis, atque præsidiis adversus hostium vim, & impetum communire, tum certas cogendi militis rationes, normamque, ad quam militaris disciplina deinceps exigeretur, constituit. Fere enim illorum neglectu, &, quod copiæ armorum rudes, neque imperii patientes essent, ad hæc, ut variis Dominis inhæserant, ita voluntatum studio, ritaque discrepantes, quæ accepta ab externis hostibus damna sunt, accepta fuisse constabat. Itaque communi Optimatum, & Nobilium consensu, quæ externa ratio futuris temporibus habenda esset, publico decreto vulgavit. Visum est, ne vetus disciplina, quæ militiæ belloque apud nos aliquando obtinebat, ignoretur, hoc loco id attexere (83).

„ Nos Sigismundus Divina favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariæ, Boemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex. Notum „ facimus tenore præsentium, significantes, quibus incumbit universis. Quod „ nos, cujus Regiæ celsitudinis providentia, subditorum suorum & terrarum, ac „ Regnorum suorum ditionis, tutionem & illæsæ conservationi, nondum utroque, „ verum potius ab extraneis invasoribus, officio suæ dignitatis exigente, se ob- „ ligatam profitetur: volentes fines Regni nostri prædicti, a partibus Boemiæ, „ & Moraviæ, a quibus propter ingruentiam præsentis temporis, ab aliquibus „ elapsis annis, hucusque frequentiores, ferventioresque ipsum Regnum pertulit „ hostilitates, vi nostra Regia reddere securiores, cum infra tempus sponte, „ imo

Annus Christi 1435.

In Hungariam redux

Partim novas leges facit, partim restaurat.

Rursumque coactis Budæ conventu.

Rem militarem & bellicam promovet.

Rr

(82) Habetur in corpore Juris Hungarici. Sed qua ratione illi, quod de *Extravaganti*m vocant, postponatur, non intelligo: cum id VIII. idus Martii, aliud contra IV. idus Martias signatum sit.

(83) In Codice Juris patrii.

Anno Christi 1435

uno ex debito Regali, in nostras Regias curas, & expeditiones duximus assumendum, videlicet, ut civitates, & castra subscripta: Civitatem, & Castrum Posoniense; Civitates, Tyrnaviensem, Zakoleza, castrum Trenchiniense, & alia castra, ac muniones, & fortalicia in confinio Moraviæ, & juxta fluvium Vagh situata, quemadmodum tam in ipso ex parte Boemiæ, quam in aliis omnibus confiniis & metis Regni nostri, ex quacunque parte apud nostras Regias manus habita, & in futurum quovis eventu & casu eisdem nostris manibus applicari contingentia, nostris sumptibus Regalibus, contra quempiam Boemorum & alias undecunque malorum emergentium, muniemus, & tutabimur sufficientibus gentibus, armis, & victualibus, aliisque necessariis, tam pro conservatione vel defensione castrorum, & munitionum in se, quam ad tuendos campos, & defendenda circumjacentia campestria, contra quosvis insultus hostiles occurrentes.

„ Si autem tanta potentia inimicorum irrepserit, quod major foret viribus gentium nostrarum Imperialium, nec ab invasione suaum Regni arceri, & prohiberi, per easdem gentes nostras Imperiales, posse verisimiliter valerentur. Ex tunc Prælati deputati, pro defensione illarum partium, cum suis Banderiis & militibus juxta dispositionem de ipsis factam, & observari consuetam, nec non Comites singulorum Comitatuum, pro earundem partium, & aliarum guerras habere contingentium, defensione, modo simili deputatorum, sub Banderio Regali, cum Baronibus, Proceribus, & Nobilibus dictorum Comitatuum & eorum gentibus, per modum generalis expeditionis exercitualis, viribus conjunctis & adunatis, succurrere debebunt, ad repellendum insultus hostiles supradictos.

„ Conclusum est insuper, ac statutum per nostram Majestatem, cum Prælatis & Baronibus, ac Regnicolis nostris prænotatis, quod tempore universalis exercitus generaliter proclamati, singuli Barones, Proceres, & Nobiles possessionati, secundum quantitatem dominiorum ipsorum, videlicet de singulis triginta tribus jobagionibus, proprias sessiones, & terras, more aliorum jobagionum, in possessionibus, quibus resident habentibus, & censur, collectas, munera, seu alia servitia dominorum, cum aliis jobagionibus supportantibus, unum; de centum vero tres: & sic consequenter de aliis quotquot habuerint, de singulis centum, singulos tres pharetrarios Equestres, ad minus videlicet arcus, pharetras, gladios, & bicellos habentes, & ad bellandum aptos, & tales, ipsimet personaliter accedendo ad quodlibet exercitus Regni generales conducere teneantur. Hi, qui minus, quam triginta tres habent jobagiones, suos jobagiones quos habuerint, cum jobagionibus aliorum taliter conjungere, & connumerare teneantur, quod semper de triginta tribus jobagionibus quorumcunque, unus pharetrarius, modo præmisso, armatus, & dispositus, ad exercitus generales ab illis transmittatur.

„ Ceteri denique Nobiles Jobagionibus carentes, singulariter propriis in personis, hi videlicet, qui Dominos habere dignoscuntur, sub quorum nominibus, & expensis exercituare solent, cum eorum Dominis, ac gentibus seu Banderiis: alii autem hujusmodi Dominos non habentes, de propriis eorum possessionibus, domibus, & in expensis suis, cum eorum comite parochiali, illis tantum exceptis, qui decrepitæ ætatis, viduitatis, & orphanitatis, & alterius consimiliter impotentiæ causa necessario viderentur excusari, similiter pro sua facultate condecenter armati, & dispositi, exercitualiter proficisci teneantur.

„ Ubi autem duo, vel plures fratres indivisi, & in uno victu manentes extiterint, uno eorum ad hujusmodi generales exercitus proficiscente, alius, vel alii remanere debent excusati. Illi vero, qui propriis in personis, vel sub Banderio vel stipendio regali, & Baronum procedere habebunt, præter, & ultra gentes suas, de honoribus, aut stipendiis regalibus, vel Baronum secum servientium & exercituare debentium, nihilominus prætactum numerum exercituantium, de suis propriis possessionibus cum comite suo parochiali, seu comitibus, sub quo, vel sub quibus possessiones suæ existunt, expediant, & trans-

„ transmittant ad illas partes, & pro illo tempore, quibus iidem comites pa-
„ rochiales singulorum comitatuum debebunt exercituare.

Anno Christi 1435

„ Præterea prælati Barones, Nobiles regni nostri, castra, fortalicia, &
„ munitiones habentes, eorum Castellanos, seu alios Nobiles, pro custodia hujus-
„ modi fortalitiorum necessarios, similiter ipsi Barones, Nobiles, & majores
„ personæ seculares, eorum conjugibus & domesticis suis, personas Nobiles, pro
„ Magistro curiæ, & alios, ad conservandum honorem curiarum suarum, depo-
„ tandi, & relinquendi habeant facultatem, moderate tantummodo, & inevitabili-
„ ter necessarias personas, in hujusmodi servitiis occupando & relinquendo.

„ Et propterea commissum est, quod in quolibet comitatu, universitas,
„ Nobilium ejusdem comitatus conveniendo, certum ex iis eligere debeant, de
„ mediocri statu Nobilium, non ex potentioribus, qui cum Judice Nobilium ipsius
„ comitatus, numerum Jobagionum quorumlibet regalium, reginalium, & Baro-
„ num, ac Nobilium, in ipso comitatu possessiones habentium, tempore procla-
„ mationis exercitus, generalis fideliter computet, & conscribi faciat, & registra-
„ ri, par, seu copiam hujusmodi registri, tradendo suo comiti parochiali.

„ Item quod quilibet, tam in generali exercitu regnicolarum, quam ad
„ stipendia exercituare debentium, die, & termino expeditioni generali, cui in-
„ teresse debebit, assignatis absque omni procrastinatione et loco deputato, cum
„ omni gente sua, cum qua ad exercitum ire tenetur, constituantur. Quicun-
„ que autem ad hujusmodi generales exercitus proficisci debentes, tempore pro-
„ clamationis, & instaurationis eorundem, contumaciter ire, & proficisci negle-
„ xerint, aut multum tarde, terminum, & locum universalis conventionis ipsius
„ exercitus, studiose prætermittens, cæteris exercituantibus fatigans, aut disper-
„ sis, seu conflictu bellico, jam commisso, & habito, supervenerint, aut in tem-
„ pore venientes, & comparentes, ante debitam & finalem expeditionem belli,
„ occasione qualibet, etiam conflictu non habito, nostra, vel Capitaneorum ipsius
„ exercitus, absque licentia, de eodem exercitu temerarie recesserint; tales expe-
„ diti minime reputentur, sed eorum possessiones pro hujusmodi non ventione,
„ vel tarditate, aut temerario discessu occupentur, & de hujusmodi possessioni-
„ bus occupatis, per nostram Majestatem, de consilio Prælatorum & Baronum
„ nostrorum, quid agendum sit, deliberetur.

„ Item quod exercituantes, tempore æstivo, in villis, & segetibus de-
„ scensus facere non debeant, sed in campis vacuis, segetes pedibus equorum
„ non conculcent, neque destruant, nullaque damna, & nocumenta infer-
„ re præsumant: nihil omnino præter herbas non falcatas, ligna, & aquam, abs-
„ que debito precio capientes seu auferentes. Precia vero victualium cujuslibet
„ generis, tam pro hominibus, quam equis necessariorum, in quolibet comitatu,
„ ante adventum exercituantium per communitatem Nobilium ejusdem comitatus,
„ secundum fertiliorem vel inferiliorem eventum temporis, & anni limitentur, moderen-
„ tur, & taliter ordinentur; ut intuitu ipsorum exercituantium, precia victualium
„ in nullo excrescant ultra priorem, & communem cursum, in foris communi-
„ bus usitatum, prout capulitate hominum fieri consuevit.

„ Si vero contra præmissam ordinationem in villis, aut aliis locis modo
„ prætacto, prohibitos, descensus facere, aut victualia cujuscunque materiei, abs-
„ que precio ordinato, auferre præsumpserint, homines damnificati, sive Nobi-
„ les sint, sive ignobiles, ad præsentiam comitis parochialis, & Judicis Nobi-
„ lium comitatus ipsius, in quo hujusmodi descensus, & damna facta, ac illata
„ exstiterint accedendo, super quantitate damnorum, quæ sibi illata fore con-
„ questi fuerint, si Nobiles, per se, si vero ignobiles fuerint, cum suo villico,
„ & duobus vicinis suis, domui suæ ex utraque parte proxime conjunctis, jura-
„ mentum præstent. Ipsique comites & judices Nobilium, super hujusmodi da-
„ mno, & juramento, ipsi conquerenti, literas eorum testimoniales, tradant, vi-
„ gore quarum, quam primum ad curiam Regiam, in præsentiam judicum, &
„ justitiariorum, ipsam Curiam judicantium, accesserit, mox absque ulteriori pro-

Anno Christi 1435.

„ batione, & litium protractione, easdem conquerentibus, & damnificatis, juxta „ literarum prædictarum Comitum, & Judicum, Nobilium, illius videlicet comitatus, in quo hujusmodi damna, per quoscunque exercituantes illata fuerint, sic nimirum, ut his literis, absque ulterioris probationis requisitione, ex vigore præsentis constitutionis, plena fides constituatur, ex parte cujuslibet damna inferentis, omnimoda satisfactio damnorum, nec non expensarum pro ipsis damnis exquirendis factarum, sententialiter fieri decernantur, & cum executione debita, finaliter, & effective per sententiam judiciariam, quam Palatinus, aut Judex Curiæ, pro tempore constituti, vel eorum vices gerentes, & sigilliferi literatorie dare, & proferre teneantur, Comitibus, & Vicecomitibus, & Judicibus Nobilium illorum comitatuum, in quibus ipsi exercituantes, qui præmissa damna irrogasse, modo antelato comprobati fuerint, possessiones, & bona habere dignoscuntur, per hujusmodi literas sententionales scribatur, & demandetur; quatenus ipsi mox receptis literis sententionalibus, hujusmodi læsis, & damnum passis, ex parte ipsorum damna inferentium, per ablationes rerum & bonorum eorundem, & si necesse fuerit possessionum occupationes, super omnibus in hujusmodi literis sententionalibus, contentis, coram testimonio alicujus Capituli, vel Conventus, omnimodam & indilatam satisfactionem teneantur exhibere. Quicunque autem ex hujusmodi exercituantibus potentiarie, seu voluntarie succensiones, & combustiones, aut deprædationes villarum, & possessionum, vexationes Ecclesiarum, Nobilium, & virorum Ecclesiasticorum, curiarum propriarum & domorum invasiones, & deprædationes, mulierum & virginum spoliationes, raptus, & dehonestationes, hominum verberationes, & vulnerationes, & alios similes majores, & enormes actus potentiarios committere præsumpserint: ex tunc contra tales, præmisso modo, & ordine, in illis comitatibus, in quibus hujusmodi facta potentiaria patrata fuerint, inquisita & comperta veritate, in facto potentiæ convincantur. Et ex parte eorum indilata satisfactio, modo superius declarato, per sententiam judiciariam impendenda declaretur, & demandetur, ac per Comites parochiales, & Judices Nobilium ipsius delinquentis, & in facto potentiæ convicti, ad executionem earundem literarum per occupationes possessionum, rerum, & bonorum ablationes, & alia in talibus fieri solita, per Palatinum, & Judicem curiæ finaliter, & effective procedi literatorie committatur, & demandetur. In cujus memoriam, firmitatemque perpetuam, præsentes concessimus literas nostras, pendentis, & autentici sigilli nostri novi duplicis, quo ut Rex Ungariæ utimur, munimine roboratas. Datum Budæ in festo Beati Gregorii Papæ, Anno Domini, millesimo, quadringentesimo, trigesimo quinto: regnorum nostrorum Ungariæ &c. Anno quadragesimo octavo, Romanorum vigesimo quinto, Bohemiæ decimo quinto, Imperii vero secundo. „

Tum comitia Pragæ rerum indicit

Ab conditis legibus haud diu in Hungaria moratus Brunam contendit, quo Maynhardus de Nova Domo, & Sternbergius cum plerisque Bohemiæ, ac Moraviæ Proceribus priores advenerant, ut de ratione, qua tranquillitas regno restitui commodum posset, in commune consulerent. Aderat cum Sigismundo Albertus gener; cum quibus ita conventum esse, ut rex conditionibus, si Patribus Basileæ probarentur, se staturum promitteret, ex rebus anni sequentis constabit (84). Soluto Brunensi conventu, alium Proceres Pragam indixere: in quo cum plerique regum dignitatem pristino loco restitutam cuperent, Sacerdotes autem, qui Hussitico malo inquinati erant, cum Taboritarum reliquiis magnopere repugnarent, negarentque se Sigismundo obandituros, placuit, ut ad edomandos contumaces exercitus conscriberetur. Ad quem cum ingens promiscuæ concursatio fieret, creati Duces Ulricus de Rosis, & Lippeus, qui divisis copiis adversus publicæ pacis turbatores rem bello gererent. Atque hic quidem munitissimam Taboritarum arcem brevi occupavit, & pertinacissimam gentis illius naturæ, ne

dein-

(84) Chron. Bartossii Tom. I. Cl. Gelasii Dobner e Cler. Reg. Piar. Schol.

deinceps usui esset, a fundo convulsit. Pari fortuna Ulricus bellum administraverat; Taborum, antequam cogi vellet, in Nobilium partem sponte concessit. Ut adeo præter Orphanos, qui sub sacerdotis cujusdam auspicio Colinum urbem interceperant, nihil fere seditiosorum in Bohemia reliquum esset. (85)

Anno Christi 1435.

Sub hæc nuntii ad regem afferuntur, Albertum generum secunda undequaque fortuna cum Turcis conflixisse, cæsis XVIII barbarorum millia, reliquos fugatos, castrisque, ac impedimentis exutos esse, ingentemque spoliorum vim in victorum manus venisse (86). Erat tum Sigismundus pietatis causa Varadini, postremumque Divi Ladislai, quem præcipue colebat, exuvias veneratus est. Quo haud multo post Casparus Schlickius ex Bohemia quoque advenerat, & narrans, quæ in conventu transacta essent, spem fecit, regnum sopitis, quæ adhuc restiterant, partium studiis, brevi ad obedientiam rediturum (87).

Inter hæc Turci clades a nostris accipiunt.

Neque de nihilo spem eam Sigismundo obortam fuisse, anno proxime insequenti patuit, sub cujus principium Legati splendidissimo Procerum comitatu stipati ex Bohemia frequentes adfuere, seque cum regno in regis potestate futuros spoponderant, si ea, in quibus Bohemia cum Basileensi Concilio paucis ante annis convenerat, sua item auctoritate confirmaturus iret. Sigismundus, re cum Hungariæ Antistitibus diligenter deliberata, nihil moratus est, suum catenus judicium Patribus Basileensibus quoque conjungere, utque Bohemis metum, suspicionemque penitus adimeret, fidem suam publicis tabulis in hæc verba obstrinxit (88).

1436. Bohemiæ Proceres regem in Hungaria conveniunt.

„ Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac
„ Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ Rex &c. Quia Dominus noster Je-
„ sus Christus Dei hominumque mediator, salutis curam ex injuncto Altissimi
„ gerens humanæ, laborem sustinens atrocem pro ea dira pati voluit, simul &
„ morte turpissima occumbere non est dedignatus, puta, ut utraque in unum conreparaet.
„ Cujus quidem exemplo, velut Magistri & Ducis peroptimi, & dignitate Imperiali nobis ab universorum Domino deposita & commissa, bonum
„ pacis, unitatis, & concordiæ, amplexantes, cum post quædam compactata inter Legatos sacri Concilii Basileensis, ipsumque regnum Bohemiæ & Marchionatum Moraviæ, in Praga scripta & consignata recessum est, ut alias bene disposita, & deducta, pro regni Bohemiæ & Marchionatus Moraviæ expurgatione, per sacrum Concilium Basiliense, nostram quoque providentiam imperialem, uti melius fieri poterit, provideatur. Adhuc tamen, quia difficultates variæ, inter Legatos sacri Concilii Basileensis, parte ex una, & generosos ac nobiles Barones Pragam, strenuos, famosos, Reverendos, ac prudentes Nuncios vice regni Bohemiæ, pridem ad nos destinatos, parte ex altera ortæ fuissent, & crebro pullulassent, animum, cor simul, & humeros curæ diligentis, & sollicitudini anxiæ supposuimus, pondus diei, & æstus ferentes, ut divisa in unum, adversa in consona, aspera in plana, & longe distantia in combinata; simul pariterque in sanctam & beatam reduceremus unionem, cum nos pacem & tranquillitatem ipsius regni, quod semper amavimus atque colimus, cordantes affectantes, volentes futuras dissensiones, & controversias quibus subditus populus posset, quomodolibet conciliari, convenientibus remediis præmunire, nonnullisque remanentiis, quibus incompactatis, pro pace regni non videbatur, sufficienter provisum, salubriter providere, cum præfatis Ambasiatoribus regni, & Marchionatus, ad laudem Dei, pacem ipsius regni ac omnium circumjacentium nationum, & totius populi Christiani, ac salutem innumerabilium animarum.

Cum quibus conditionibus Sigismundus datas, ac oppositas conditiones init.

„ In nomine Domini notum facimus universis & singulis, quod ad infra scriptas conclusiones consensimus, & præsentibus consentimus. Primo beneficia non conferantur per extraneos in regno Bohemiæ, ac Marchionatu Moraviæ, sed omnino jus collationis eorundem ad regni Bohemiæ, incolasque regni Bohemiæ ac Marchionatus

(85) BALBIN. loco cit.
(86) TUROCZ. Epit. Chron. ad an. 1435
(87) WINDECK. cap. CCVIII.
(88) LEIBNITZ Mantissa Cod. Jur. Gent. Diplom. Parte II.

Anno Christi 1436.

tus Moraviæ jure perpetuo debebit pertinere. Personæ etiam seculares, & spirituales extra regnum, vel Marchionatum non citabuntur, nec judicabuntur, sed unaquæque persona jurisdictioni sibi præfecti præpositi in præfatis regno, & Marchionatu subjecta erit, & contenta de eadem gaudebit. Libertatibus tamen Archiepiscopatus Pragensis, & privilegiis in via appellationis, a sibi subjectis Episcopatibus, salvis, & illibate conservatis. Insuper communicantes sub una specie in sæpe tactis Regno, & Marchionatu, ne confusa sequatur permixtio, contra proprias illorum voluntates & libertates, non sustinebuntur, sed duntaxat in locis, in quibus communio duplicis speciei, temporibus retroactis, non servabatur, sustinebuntur. Et ut materia occasione litium auferatur, loca omnia, & singula Ecclesiarum populique Parochiarum signabuntur, in quibus, & a quibus communio duplicis speciei servabatur in praxi, ut in futurum pro perpetuo in eisdem servaretur. Quæ quidem consignata in litera speciali, in robur, & perpetuam rei memoriam, sigillo nostræ Majestatis munientur, sed in hoc volumus, ut per Dominos Bohemos, Generosos, Nobiles, strenuos, famosos, Pragam, & civitates alias, una cum Clero Pragensis Archiepiscopus, cum aliis Episcopis titulandus eligantur. Qui quidem electi per nostram dispositionem debitam sollicitudinem partes & curam, confirmabuntur, & in Episcopos consecrabuntur, absque quavis pro confirmatione, pallii exhibitione, aut etiam notariis, persolutione. Et totus Clerus Diœcesis Pragensis subjici ipsi Archiepiscopo, per præfatos Dominos electo, tenebitur, & obedire. Scholares etiam Pragensis Diœcesis, utrique tam sub una, quam sub utraqua communicantes specie, habilitate & idoneitate illorum præsupposita, ad sacros ordines promoveantur, & ordinentur, nihil tamen eorum per hæc, causæ & praxi, communionis eorum derogando. Tum quia licentia per sacrum Concilium Basileense, omnibus tam in regno Bohemiæ, quam Marchionatu Moraviæ constitutis dabitur, sub utraque specie communicandi. Episcopi Olomucensis scilicet, & Leuthomislensis populum laicalem desiderantem sub utraque specie tenebuntur communicare, promovebuntque scholares, & ad sacros Ordines consecrabunt, idoneitate, & habilitate eorum præsupposita, qui velleut sub utraque specie populum laicalem communicare. Et disponere debebunt Sacerdotes ad loca suarum Diœcesium, in quibus præfata communio annis lapsis servabatur, qui sic populum, ut præmittitur, sub duplici specie communicabunt. Et Plebani, si qui ad proprias redire cum scitu & consensu Diœcesani sui voluerint Parochias, populum sub utraque specie communicabunt qui populus sic communicabit, & in locis in quibus præfata servabatur communio. Quod si non fecerint, non sunt tolerandi, sed alii, qui sub duplici specie communicarent populum laicalem, per Diœcesanum, vel per alium, ad quem pertinet in loco illorum substituendi. Ita nos tenore præsentium affirmamus, & pollicemur, in verbo Cæsareo præfatis Ambasciatoribus, ac regno Bohemiæ, & Marchionatu Moraviæ, quod in omnibus & singulis supra scriptis capitulis, cum eis remanebimus, quæ nulla occasione, seu quoquo quæsito colore, propter aliquas res præmissis contrarias, seu aliam quamcunque obligationem quomodolibet infringemus, seu infringere permittemus. Sed ea effectualiter adimplebimus, & adimpleri faciemus. Imo volumus, ut per nos, & nostros successores in futurum pro perpetuo singula eis teneantur, & plene conserventur. Nosque apud sacrum Concilium, ac Dominum nostrum summum Pontificem & alibi, ubicunque expediens fuerit, omnem operam & curam adhibebimus, ut præfati articuli suum effectum realiter sortiantur. Nec in regno nostro, & Marchionatu alter fieri permittemus. Quin imo, si quis Regnum, & Marchionatum in iis turbare quomodolibet attentaret, ipsis pro executione eorundem effectualiter assistemus, dolo, & fraude cessantibus quibuscunque. Præsentium sub nostræ Imperialis Majestatis sigillo testimonio literarum. Datum Albæ Regalis, Anno Domini millesimo quadringentesimo, tricesimo sexto, die VI Januarii. Regnorum nostrorum Anno Hungariæ, quadragesimo nono Romanorum vicesimo Bohemiæ decimo sexto & Imperii tertio.

Hæc

Anno Christi 1436.

Hac VIII idus Januarias pactis conventis utrinque firmatis adjecit biduo post novas rursum litteras, quibus non modo iis, quae antea pollicitus esset, staturum se recepit, sed daturum quoque operam, ut ne quis Bohemis, Moravisque propterea molestiam deinceps creare ausit. (89)

Novisque tabulis Albae regiae confirmat.

„ Sigismundus divina favente clementia Romanorum Imperator semper
„ Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae &c. Rex. Notum fa-
„ cimus tenore praesentium universis, quod ab alto nobis commissum officium
„ tunc recte indubitanter exequimur, cum in his, quae ad fidem Catholicam per-
„ tinent, sanctae Matri Ecclesiae ipsiusque ordinationibus inhaerentes, pro earum
„ observantia, & executione partes nostrae sollicitudinis adhibemus. Cum itaque
„ inter Legatos sacri generalis Concilii, quod Basileae in Spiritu sancto legitime
„ celebratur, nomine, & auctoritate ipsius sacri Concilii, & generalem con-
„ gregationem regni nostri Bohemiae pro unione, & pace quaedam Capitula con-
„ cordata fuerunt, & manuum stipulatione firmata, debeantque sigillorum mu-
„ nimine roborari, & ad executionem deduci juxta formam in nostri praesentia,
„ Brunae concordatam, & nunc noviter coram nobis a Patribus recognitam, &
„ confessatam, nos rei tam utili ac salutari, offerri nostri partes volentes, aucto-
„ re Domino, impertiri, Deoque & fidei Catholicae obsequium reddere, omni-
„ potenti Deo, & sanctae Matri Ecclesiae promittimus, & vovemus, quod, post-
„ quam ipsa compactata fuerint, ut permittitur, roborata, nos ea firmabimus,
„ & roborabimus, & servari faciemus pure, simpliciter, & sincere juxta sanum &
„ bonum intellectum eorum, nec permittemus ea in aliquo violari, vel eis abuti,
„ nec permittemus aliquem ad communionem sub utraque specie coarctari, vel
„ compelli quoquo modo in praejudicium compactatorum. Datum in Alba Re-
„ galis Vesprimiensis Dioecesis, Anno Domini MCCCCXXXVI, die octava Janua-
„ rii, regnorum nostrorum anno Hungariae &c. quinquagesimo nono, Romanorum
„ vigesimo sexto, Bohemiae decimo sexto, Imperii vero tertio. „

Celebris olim in urbe Alba fuerit.

Conciliata inter Sigismundum & Bohemos pace, Proceres exquisita plane voluntatis, studiorumque significatione regem, ut in Bohemiam primo quovis tempore maturaret, orabant: rex vicissim benevolentia cum iis certans, sexaginta aureorum nummum millia, & ingentem pecorum copiam inter praecipuos distribui imperavit, sutque tanta ex omnibus pene gentibus ad visendam redintegratae amicitiae celebritatem facta Albam regiam concursatio, ut urbs, tametsi ceteras ambitu longissime superaret, capiendis hominibus haud satis esset. Quo loco haud alie re Annalium me arbitror facturum, si, cujus modi ea urbs, quae regum nostrorum inauguratione, & tumulo, inde ab regni exordio consecrata est, olim fuerit, breviter explicaro. Abest Alba, unde provincia, cujus caput est, nomen quoque accepit, Buda occidentem versus, octo passuum millia, lacuque innatat, cui *Jaurinum* nomen, nequaquam, ut Ilsuanfio visum est, caenoso ac palustri, sed ex rivulis, quos vicini montes ubere vena profundunt, maximam partem ita conflato, ut & jugi cursu coelum mirifice temperet, & piscium, ceterarumque rerum, quae vitae humanae opportuna sunt, feracissimus sit. Tribus olim latis aggeribus, fossis, valloque clausa, praestantissima operis aedes cum sacras, tum profanas, regum munificentia ditatas, complectebatur: Sigismundo ab Divi Stephani aetate, si quando a re publica vacabat, post Budam maxime in deliciis. Ambitu autem ita vasto porrecta, ut ceteras Hungariae nullo negotio antecelleret. Praeter castrum enim, quod reges, & Sacerdotum Collegia praecipue colebant, urbs extra muros dicta, in meridiem vergens, & insulam sancti Regis Stephani, quam ab adsitutia gente Rascianorum hodie appellari impatienter fero, complexa (90),

ad

(89) LABBEI & COSSARTII Concil. Collect. Tom. XII. & GOLDASTI Constit. Imperial. Tom. III.

(90) Conficio id ex duobus diplomatibus. Prius Stephani V est de anno 1272 Quod inter caetera sic habet: *Quod cum ad fala tandem Ecclesiam Sancti regis, quae est extra muros Castri Albensis ... accessissemus, volumus & referente Fratre Pontio ... Magistro domorum hospitalis per Hungariam & Sclavoniam S. Joan. Bapt. Jerosolymitani intelleximus, quod homines, qui in territorio ejusdem*

Anno Christi 1436

ad paludem, quæ a sale nomen habet, patentissimo spatio porrigebatur. Ab hac nova villa, tum nomine quidem, non re discreta nova civitas, qua orientem & septemtrionem urbis spectat, in longum, ac latum duo pæne stadia ex æquo diffusæ. Una tamen communione juris, & prærogativa Magistratuum urbs, quemadmodum ex publicis instrumentis compertum habeo (91). Ut adeo nihil mirum sit, & regni olim conventibus, & regum, cum res secundæ erant, hospitio, tum frequentatione exterorum Principum celebratam fuisse. Nunc ex squalore, quem tristissima superiorum temporum bella induxerant, civium industria non modo ad publici boni commoditatem, sed elegantiam quoque sensim assurgit. Nam & ædificiis pro civium modulo splendidis nitet, augeturque, & mercatum colit sedulo, ut, si industriæ spes olim, ac eventus respondent, credibile sit, non inter minime opulentas futuram. Cui haud exiguum decus proximi colles addunt, vitibus latissime consiti, qui & deliciarum pleni situ, &, quæ ruri esse possunt, lautitiarum feraces. Ceterum urbem Hungari, & Germani perinde habitant, a pietate, & nativa morum elegantia finitimis cogniti, quodque præ reliquis regni nostri urbibus huic peculiare est, Romanis sacris omnes dediti, animisque concordes. Hæc ex occasione Comitiorum, quæ Sigismundus cum Bohemiæ Proceribus Albæ celebrarat, Annalibus inserere placuit, ut aliquam humanissimæ urbi referrem gratiam, quæ me, cum hæc scriberem, perquam liberaliter accepit, fovitque.

Amicitia inter regem & Bohemos Iglaviæ penitus coalescit.

Rex dimisso conventu, constitutisque Hungariæ rebus, quam nunquam deinceps revisurus erat, in Moraviam contendit, ac pridie idus Junias Iglaviam ingressus cum Proceribus de pacanda Bohemia rursus deliberavit. Certatum utrinque est benevolentiæ studiis: nam Sigismundus non modo, quæ Albæ regiæ constituisset, rata novis tabulis habuit, sed præterea quoque edixit, ut Ecclesiarum prædia penes occupatores jure pignorum manerent, quoad certo ære reluerentur: ad hæc litteris X. calendas Augustas exaratis, Rochezanam ad Pragensem Cathedram se evectum civibus recepit: qui ea dignitatis spe illectus cum Clero sibi adhærente, Sigismundo pro tribunali sedente, assistente Alberto genero magnaque Procerum & Oratorum circumstante corona, conceptis verbis, se in potestate Romanæ Ecclesiæ futurum professus est. Ita extinctis partium studiis, Bohemi communi voluntatum consensione Sigismundum regem salutavere (92). Quæ cum Eugenio Papæ per Episcopum Segniensem significata fuissent, humanissimas ad regni ordines litteras dedit, quibus de redintegrata utrinque amicitia majorem in modum gaudet, hortaturque, ut in fide constantes esse velint (93).

Quibus Pontifex propterea gratulatur.

„ Eugenius - - - Dilectis filiis, nobilibus viris, Baronibus, Pragæ civitati, „ nobilibus, cæterisque civitatibus regni Bohemiæ salutem. Gratus nuncius dudum „ lætificavit animum nostrum, dilecti filii, cum audivimus, quod pietas altissimi „ infun-

ejusdem insulæ commorabantur - - - Alterum Alberti regis de anno 1438 in quo hæc lego. *Quemadmodum fidelis noster Jacobus Litteratus, inhabitator insulæ sanctæ regis Stephani extra muros castri Albensis, suo ac universorum populorum, hospitum, & inhabitatorum - - in ipsa insula residentium nominibus - - exhibuit nobis - - -*

(91) Litteræ contractum venditionis, quam Præpositus Albensis donum emit, continentes de anno 1471 ita habent: *Nos Valentinus Neneth, dictus Judex, Gallus Nyerges, Mathias Vardey, Emericus Ertly, Adrianus Klayni, Emericus Iren, Joannes Szakllus, Franciscus Cornifex* (vocabulo Hungarico Mészáros) *de Castro Stephanus Kevekes, Mathias Csabo, Ascivitatem tenore* (seu extra muros) *Gregorius Kirtighe, Benedictus Gaborus de nova villa & Blasius Melegh de nova civitate, duodecim jurati cives civitatis Albæ Regalis - - -* Et litteræ de anno 1478 perinde. *Nos Fabianus Kirty, Judex, Gallus Nyerges, Firmanus de Kaaya, Franciscus Cornifex, Demetrius Zachy, Georgius Ilsshy, Nicolaus Borsos, & Michael Looky, de castro Stephanus Kevekes, Laurentius Litteratus de exteriori civitate & Georgius Kirtighe, Thomas Litteratus de nova villa & Gallus Csapo de nova civitate, duodecim jurati cives, ac consules civitatis Albæ Regalis - - -* Quæ omnia desumta sunt ex Tom. MS. Hevenesi. sub lit. D.

(92) Chron. BARTOSSII CL. GELASII DOBNER Tom. I. Monum. Hist. Boh. HAGEC. Annal. Boh. ad an. 1436. ÆNEAS SYLV. Hist. Boh. cap. LII.

(93) RAYNALD. Hist. Eccles. Tom. XVIII.

„ infundent spiritum concordiæ & unitatis in cordibus vestris, cum reliquis Chri„ sti fidelibus, de qua re quantam consolationem in Domino suscepimus propter „ pacem, & quietem vestram, & aliorum Christi fidelium, novit ille, cui „ corda, & cogitationes hominum patent. Et quidem speramus, quod miseri„ cordia Altissimi, cujus miserationes sunt super omnia opera ejus, augebit in „ vobis gratiam suam, quodque virtus, & devotio vestra lucebit in Dei Eccle„ sia, & erga nos summum Pontificem ostendetis debitam obedientiam, & fidem „ ad salutem animarum vestrarum, quemadmodum etiam nobis retulit Venera„ bilis frater noster Joannes Episcopus Segniensis, quem suis exigentibus meri„ tis paterna dilectione prosequimur, multa afferens de vestra devotione, & affe„ ctione sincera erga nos, & Ecclesiam Romanam, & quibus rebus Charitatem „ vestram meritis laudibus commendamus, exhortantes vos, ut pie in Domino „ vivatis, ut gratia, quæ data est vobis a Salvatore nostro, per vestra bona, & „ laudabilia opera fructum afferat uberem in odorem suavitatis.

Anno Christi 1436.

„ Inter cetera gratissimum fuit audire, concordiam bonam vestram cum „ charissimo in Christo filio Sigismundo Romanorum Imperatore, semper Augu„ sto, rege vestro, quem cum summa charitate diligimus, prout tanti Principis „ virtus, & merita requirunt, exaltationem & statum suum, cum fuerit semper, „ & sit præcipuus noster, & Ecclesiæ Dei defensor, & protector, augeri tota „ mente exoptamus. Itaque vos, prout decet subditos suos regi, parentes, ac „ debitam reverentiam, & obedientiam præstantes, diligatis ipsum in sinceritate „ mentis, & animi, cum ipse sit Princeps prudentissimus, ac diligat, & amet „ vos, quotidie agens, quæ sperat pertinere ad bonum vestrum, & regni ut„ litatem, tum petivit a nobis aliqua pro quiete, ac honore vestro, & regni, „ per Oratorem Episcopi præfati, quæ nos libenter concessimus, parati etiam „ in posterum omnia facere, quæ concernant honorem, commodum, & utilita„ tem vestram, tum propter bonum vestrum, quorum honestis desideriis sem„ per intendimus complacere, tum contemplatione Imperatoris, cujus laudabilis „ & sincera voluntas semper nobiscum unita fuit in fide pura & charitate non ficta, „ ac pro nobis, & Ecclesiæ statu ea fecit, quæ laudem, & gloriam perpetuam „ mereantur. Data Bononiæ anno sexto.

Re tam secundo eventu propemodum ad finem adducta, ingens cupido Sigismundum incessit, Scepusiensem provinciam, quam in pignoris loco Polonis dederat, Hungariæ rursum vindicandi. Wladislao Jagellone defuncto, rerum summa ad Wladislaum illius filium devoluta est: hoc literis convento, mutua confessione placuit, ut regni utriusque Proceres Kesmarkini ea de causa coirent, viderentque, quem in modum pignoris rationes sic illustrarentur, ne cuiquam parti fraus, injuriave obesset. Venere ex Polonia cum Zbigneo Cracoviensi Episcopo ingens Optimatum numerus: ab Sigismundo missi Georgius de Palocz Strigoniensis Archi Episcopus, & hujus frater Matthæus de Palocz comes Palatii, tum Joannes, & Stephanus Pereni, ac ceteri fere primi ordinis inter Hungaros viri. (94) Res magna ingentium contentione, sed parum prospero exitu acta est, quod nostri, si Polonicis scriptoribus fides habenda sit, Scepusium sine pacta auri summa repeterent, Poloni contra septem, ac triginta sexagenarum millia, quæ mutuo ab Sigismundo accepta alias ex instrumento publico docemus, decem ac tribus præterea millibus, incertum ob quam causam, augerent. Itaque cum partibus convenire non posset, re infecta utrinque discessum est. (95)

Agitur de redimendo Scepusio.

(94) Dlugossus habet *Joannem*, sed hic Strigoniensis quidem Archi-Episcopus non erat, verum Colocensis, ut ex diplomatibus certum est. Perenie utrumque Perenium Joannem perperam vocat; ut ex Decreto Sigismundi, quod majus vocant, anni 1435 constat. Quare ex hoc & MSS. Collectis Illustrissimi L. B. a Keller, nomina corrigere visum est.

(95) Dlugossus Hist. Polon. Lib. XII.

Anno Christi 1436.

Rex Pragam magna pompa ingressus

Hæc postquam Sigismundo nunciata fuissent, haud diu Iglaviæ moratus, cum frequentissima Hungariæ, ac Bohemiæ Optimatum corona Pragam profectus, urbem X. Calendas Septembres ingenti omnium lætitia tenuit, ex qua ante decem & sex annos summa Civium pervicacia turpiter exclusus erat, certatimque, ut vehemens in utramvis partem humanum ingenium esse solet, sive persequi, seu obsequi malit, uter alteri fide, officiisque præstaret. Aderant Pragam ingresso Dux Stetinensis, & Comes Ciliæ, quorum consilio ad informandam rempublicam, quæ tam longo bellorum tempore haud levem labem acceperat, libenter usus est, sacra in primis instaurare, imponere licentiæ frenum, Magistratus cordatis ac expertæ fidei viris credere, ac sic omnia administrare, ut tandiu Sigismundo caruisse, plerosque pœniteret. *Tum Legatos Basileam misit, qui declarationem super articulo communionis expeterent; cumque nulli essent Ecclesiæ reditus, ex quibus ab templorum ministris possent, jussit Imperator, ut ex fisco regio per singula Canonicorum capita hebdomadatim aureum nummum distribui, minoribus Clericis dimidium tribui. Ea res annua summa sex millia apud Ecclesiam Cathedralem absumsit. In alia quoque templa donaria collata. Nova jam facies urbis, novus populus, vetus redisse religionis cultus apparebat. Quibus ex rebus liquet, Imperatorem quæ fœdera cum hæreticis percussit, necessitate magis admisisse, quam voluntate voluisse se itum paternam hæreditatem quoquomodo intrare, & infinque regni possessione accepta, more majorum subter veram Christi religionem provinciam reducere. Jamque reges ei, populique Christiani de regno recuperato congratulabantur, ejusque nomen in omni Ecclesia magnum erat. Eugenius quoque Pontifex maximus auream rosam, indicem suæ lætitiæ, ad eum misit. Thaboritæ, qui superioribus cladibus superfuerant in oppido constructo, ea lege in gratiam recepti, ut quinquennio suis moribus viverent, religionis cultum mutare non cogerentur, jura Civitatis haberent, signum ferrent, in Sigillis rubra cera uterentur, tributi nomine singulis annis sexagenas decem penderent. Sed cum nefandas eorum consuetudines Sigismundus accepisset, quibus illi circa rem divinam uterentur, quinquennium haud exspectaturum se dixere, correpturum prope diem scelerata civitatis infamiam. Rochezanum hortari, Romanæ Ecclesiæ se subjiceret. Sic posse pontificatum sibi committi, superbienti, & aliena de fide sapienti assensum desperandum esse, quo vel consecratus Episcopus ejus deberet. Ille tumens superbia, & opinione sua inflatus dietim pejor, dietim venenosior effici, Monachorum reditum ægerrime ferre, quorum sermones non minus, quam suos acceptum iri verebatur. Ob quam rem occurrente inter prædicandum sermone de monachis, venerunt, inquit, novi dicam ad nos dæmones, quos Monachos vocant: hoc studium est, eripere nos de veritate, at si viri fuerimus, prius sanguinem effuderimus. Id Sigismundus ubi accepit, imo nos, inquit, Rochezane sanguinem non illi ante aras libabimus. Non latuit Rochezanum Sigismundi sermo, qui ex amicis nonnemini clam aufugit.* Hæc totidem verbis Æneas Sylvius Piccolomineus, rebus synchronus, ac postea Pontificia dignitate Pii II. nomine cohonestatus. (96)

Celebrat sacra instaurat.

Nec nihil tamen Rochezana fugit de Apostolis nititur.

Rochezanæ fuga, quod homo tumidus, ac versipellis haud paucos clam in suas partes pellexisset, novas Sigismundo curas injecerat, verito, ne, quod postea ab illius excessu factum memorabimus, turbas conciret. Igitur oblata, quam se illi daturum prius promiserat, dignitatis spe ita ambigue subdolum captare, ut nihil gravius sibi ab rege metueret, simul iis conditionibus onerare, ut citra honoris diminutionem beneficium, si sponte etiam offerretur, capere non posset. Ita deluso homine Philibertum Constantiensem Antistitem Pragensis Archi-Episcopatus administratorem creavit. Tum consilium cepit maxime turbulentos e medio tollendi, quod eum aperta vi non posset, nec satis tutum videretur, clam moliri cœpit. Itaque partim odiis eos inter sese committere, ut mutuis dissidiis atrati minus fiderent, & viribus adversus regem haberent, partim honorum, & dignitatum illecebra pellectos, ad amplectendam contra Turcos militiam cohortari, ut vel vincentes, vel cæsi prodessent. Et constat plurimos hac spe ad-

(96) Hist. Boh. cap. LII. Et Chronic. BARTOSSIE apud CL. GELASIUM DOBNER e Cler. Reg. Piar. Schol. Tom. I. Monum. Histor. Bohem.

adductos vitam cum perfidia posuisse. Quo instituto etiam apud Hungaros, a quibus carceri mancipatus est, usum fuisse Windeckius memoriæ prodidit. (97)

Annus Christi 1437

Inter hæc fatalis vitæ annus Sigismundo illuxit: in cujus principio Barbara conjux magno apparatu in Basilica Divi Viti ex ritu gentis tertio idus Februarias regina coronata est, paullum post haud dignam sane hoc favore gratiam viro redditura. Qui cum pacando regno postremas curas impenderet, Procerum hortatu Egram concessit, quo Bavariæ Ducem, & Marchionem Misniæ, ut venirent, per Legatos orabat. Conventus causam dissiones præbuere, quæ juri quidem Bohemico obnoxiæ erant, sed bellis superioribus in istorum potestatem venere. Quid effectum sit, in obscuro est: illud constat, Cæsarem post quinque hebdomadas, quas illic consultando exegerat, morbo tentatum Pragam rediisse. (98)

Regis conjux Bohemiæ regina creatur

Reducem nuntii ex Hungaria mirum in modum recreavere. Referebant Hungaros conflato ex Bohemis, Moravis, ac Polonis exercitu adversum Turcos movisse, consertoque prælio insigni victoria potitos barbarorum supra quadraginta millia cecidisse, exutos castris, ac ex Servia in Epirum retrusos esse. Magnum ad victoriam momentum a Pancratio allatum, qui Myrzæ Wayvodæ, filii sui errorem corrigens, cum bona Valachorum parte nostris suppetias venerit: fractum tamen magis hostem, quam debellatum videri, quod ab accepta clade mutilatas copias instauret, & novam ad detergendum cladis dedecus aggressionem moliretur: Esse tamen periculo ita cautum, ut spes sit, barbarum nihil impune moliturum. (99)

Profligata magna clade Turcis

Hæc non modo regi jucunda acciderant, sed pleraque certissima spe implebant etiam, pacem non Bohemiæ duntaxat, verum ceteris quoque provinciis in solidum restitutum iri, cum repente ex Cæsaris thalamo, unde minime oportebat, novæ rursus turbæ exortæ sunt. Cum enim Sigismundus & ob ætatem gravem, & alvi profluvium, tum, qui sensim interna depascebatur, sacrum ignem haud procul a morte abesse crederetur, Barbara conjux, sive libidine stimulata, (neque enim castissimam fuisse constat) seu regnandi ambitione acta, vivo etiamnum marito ad novas nuptias animum adjecit. Itaque accitis ad se Sternbergio, Georgio Podiebradio, qui postea regno potitus est, ac ceteris Bohemiæ Principibus, quo loco res sint, aperit; Cæsarem in dies pejus habere, certam esse mortem, neque, quo rei publicæ consulerent, exspectandum, dum hanc obeat: satum sibi videri, nec satis ad turbas, quæ eo extincto oboriri possint, accommodatum. Respicerent sese, & quoniam rerum summa penes eos esset, etiam atque etiam viderent, ne quid Bohemia post Sigismundi excessum detrimenti pateretur. Facile periculo caveri posse, si sibi fidas esset: hoc cum deberetur, spem se omnem in eorum sapientia, & quo in patriam feruntur, studio collocare. Simul Wladislai Poloniæ regis, qui defuncto haud ita pridem patri successerat, mentionem, tanquam aliud agat, injicit: ejus potentiam, ætatem, formam, atque hanc, tametsi vetula, eloquentissime tamen prædicat: finitimum eum esse, imperitare genti, quæ Bohemis amicitia ut plurimum copulata fuisset, prolixe refert, nec nihil sibi in Ulrico præsidii collocatum esse. Sensere Bohemi, quo regina evaderet, plena tamen res periculi erat, consilium depromere, idque feminæ, quæ pæne fureret, credere, quod Elisabetha Sigismundi filia, ad quam regnorum possessio attinebat, superstes esset, & Alberto nupta, quem successorem a Cæsare designandum, jusque suum armis persequuturum non vana opinio fuit. Promissis tamen Barbaræ delinitis, in ejus se arbitrio futuros, pollicentur, daturosque operam, ut eam Wladislaus cum dotali regno acciperet. (100)

Rex domestico malo implicatur

(97) Windeck cap. IV. Bartoschius in Chron. Balbin. loco laud.

(98) Bartoschius in Chron.

(99) Idem ibid. sed Pancratium male Hungarum facit, ut constat ex Windeckii cap. CLXXIV.

(100) Æneas Sylv. Hist. Bohem. cap. LIII.

Anno Christi 1437. Eam ob reus Praga discedit.

Non latuerunt Sigismundum infamentis feminæ consilia, ejusque potentiam veritus, dissimulata re, profectionem in Moraviam edicit, tanquam postremum illam visurus esset, re autem ipsa ut Alberto genero utrumque regnum assereret. Ne quid tamen ex discessu turbarum oboriretur, ac Conjugem cum conjuratis tutius falleret, Imperatoriam indutus amictum, sertoque viridi redimitus, tertio idus Novembres cum mille equitibus Hungaris, ac aliquot peditum turmis, ingentique Procerum Satellitio stipatur, aperta lectica per mediam urbem invectus Praga discessit & Znoumam Moraviæ, quæ hæc Austriæ finitima est, urbem tenuit (1) Hic Alberto cum Elisabetha filia per celeres nuntios accersito, ac morbo ingravescente Barbaram conjugem capi imperat, vinciique, cujus periculo Ulricus Ciliensis admonitus, tempestiva fuga se surripuit. Tum adesse jussis Hungariæ ac Bohemiæ Proceribus tanquam cum iis in medium consulere vellet,

Zonnæ moriturus graviter Albertum generum Hungaris commendat.

cum ab adito, inquit, Imperio, in hunc usque diem ad publicam tranquillitatem constituendam omne studium contulerim, decurso jam vitæ spatio, extendum maxime video, ne reliquas meis actionibus extrema non respondeant. Itaque de vestra salute, deque regnorum meorum incolumitate solicitus, hoc primum egi, ut Pragæ mœnibus, atque adeo Bohemiæ finibus sub honesto instaurandæ valetudinis prætextu egrederemur, ne, si apud suspectæ fidei homines mors me contigisset, secus aliquid de vobis statueretur. Nunc vero una res apud animum meum cura residet, quo pacto regnis meis consuli possit, ne post decessum meum turbulentis bellorum, ac dissensionum motibus subvertantur. Ad quam rem cum justo aliquo ac cordato rege opus sit, neminem equidem esse video, qui vel vestro ipsorum judicio, Alberto Austriaco, genero meo præferri debeat. Sive enim generis nobilitatem, sive prudentiam, multo rerum usu instructam, sive virtutes alias viro Principe dignas, quæsivimus, omnia in eo Dei concessu eximia inveniuntur. Hunc ego mihi generum adscivi, hunc filium adoptavi, hunc hæredem ultima voluntatis declaratione constituo. Nec est, quod ipsius tantum, aut filiæ meæ amore moveri me, quantum publicæ incolumitatis ratione quis putet. Video enim feliciores vos fore, qui sub Alberti imperio vivetis. Habetis præter judicium meum, præclara ejus in vos merita, quibus jam dudum ille effecit, ut a vobis non minus, quam a me amaretur, ac magni fieret. Itaque agite, & hunc vobis regem, me etiamnum vivo, & videnti declarate, ut de reliquo securus, æquiori animo spiritum Deo commendem. Hæc locutus in lacrimas erupit (2) Magnum his lacrimis inerat pondus: quotquot enim morituro aderant, bono eum esse animo jubent, neque alterum eo vivo recepturos, jure jurando promittunt. Et ne minora verbis facta essent, Albertum cum Elisabetha intromissum (aberant enim a consultatione) læta acclamatione regem, reginamque salutant. Sigismundus inde ab iteru se colligens, legationem, quæ ab suo obitu ad Bohemiæ ordines mitteretur, ultimæque voluntatis tabulas proponeret, decernit. Rebus ita constitutis haud diu superstes in generi, filiæque complexu quinto nonas Decembres e vivis ereptus est. (3)

Mors ejusdem.

Ejus virtutes, & vitia.

Princeps, si, ut animo magno erat, tam felix rerum eventu fuisset, inter maximos Hungariæ reges merito censendus: primis annis, ut fit, naturæ impetu vehementior, cum senuit, clementia insignis: litterarum & ipse amans, & eorum, qui has profitebantur, censor, ac Mæcenas. Divitiarum minime cupidus, sed idem nulla de causa, ex intempestiva munificentia sæpe profusus: fidei & Ecclesiæ cum regnorum etiam, ac vitæ periculo deditus. Ceterum bello plerumque, & conjugio infelix: regnandi arte, si in tempore, & cœtus dissimulare didicerat, insigniter gnarus, neque tamen, quod scriptorum aliqui inepte prodidisse litteris consignarunt, astute, & fraudis plenus, amansque.

Qua-

(1) Bartosius in Chron. Æneas. Sylv. & Balbinus loc. cit.
(2) Gerardus de Roo Hist. Austr. Lib. V.

(3) Windeck cap. CCXVIII. & Chronic. Bartossii apud Cl. Gelas. Dobner e Cler. Reg. Pium schol.

Quare mirari satis non possum, quid Spondano in mentem venerit, ut, Cuspinianum hominis novi, nec semper veritatem scribentis, auctoritatem præ Sylvio secutus, Albertum Sigismundi astu in potentissima duo regna Hungariæ ac Bohemiæ irrepsisse sibi persuaderet. (4) Hungariam enim libero primum praecipuum Procerum, tum communi omnium suffragio Albertum obtinuisse compertissimum est. Bohemiam contra ex pactis conventis, quorum supra in rebus gestis Ludovici Magni memoriam prolixe fecimus, ad Austriacos devolutam esse perinde constat, ut adeo Spondanus, cum Annales Ecclesiasticos scribendos sibi sumeret, ad Hungarorum, Austriorumque res, in quas fere dicax est, delapsus, nec dignitatis suæ, nec, ut oportebat, officii memor fuisse videri possit.

Anno Christi 1437. Spondani error

Albertus Sigismundi corpus cum Proceribus, qui aderant, Posonium primum, tum secundo Danubio Comaromium, Strigonium, Wissegradum ac Budam denique deduxit. *Miserabile spectaculum & humanarum rerum singulare documentum. Imperatrix captiva, & Imperatoris cadaver una vehitur: occurrunt lugubres Hungari, nec tenere lacrimas in tanta rerum novitate possunt. Hinc defuncti regis corpus fletum ciet, inde reginæ vincula commiserationem excitant.* (5) Inde Varadinum profecto suscepta, & rex, ut testamento sanxerat, eodem, quo Maria conjux, tumulo ante aram Divi Ladislai, cui impense deditus in vivis erat, regium in morem conditus est. (6) Justis rite persolutis, quanquam Albertum, qui morituro Sigismundo aderant, Proceres regem legissent, tamen ne quid ceteri jurium prærogativæ detractum putarent, Comitia indicere placuit: in quibus tametsi regni ordines ultimam defuncti regis voluntatem mirifice probarent, visum tamen est, Albertum non prius inaugurandum, quam is reciperet, se imperium Germaniæ neque ambiturum, nec, si offeratur, absque ordinum consensu accepturum, quod magnopere vererentur, ne, ut Sigismundi temporibus evenit, ipso absente, & Imperii negotiis distento, Hungariam Turcorum, aliorumque hostium injuriis, ac rapinis destitueret. Id cum se Albertus facturum sancte recepisset, Albam regiam in anni exitu deductus, ipsisque Calendis Januarii nemine reclamante, & communi applausu populi cum Elisabetha coronatus est. (7) Diviso tamen, ut reor, in conjugem imperio, quod literas publicas, quas hactenus quidem viderim, utriusque nomine, & consensu signatas fere comperio.

Corpus Varadini tumulatur

(4) Annal. Eccles. ad annum 1437 Num. XII.

(5) ÆNEAS SYLV. Hist. Boh. cap. LIV

(6) WINDECK cap. CCXX

(7) ÆNEAS SYLV. Hist. Boh. cap. LV. & de Europa cap. I.

ALBERTUS.

Annus Christi 1438. Albertus rerum potitus sororem liberam dimittit.

Regni possessionem e pietate orsus Alberto placuit, socrumque, tametsi aliud commeritam, in libertatem restituit: ne quid tamen inquies feminæ turbarum daret, aliquot mulctatam arcibus, & ab aula remotam jussit vivere, pensis in singulos annos duodecim aureorum nummum millibus, ex quibus & vitam cum dignitate tueri, nec tamen largitione munerum, alios ad invadendam tyrannidem corrumpere posset. Sapiens consilium, si id mulier, & libidini supra modum dedita, & dominationi assueta, ut deinceps narrabimus, non frustrata fuisset. (1)

Legati Bohemiæ missi eum regem salutant.

Ita regno cum implicito nuncii ex Bohemia adsunt, qui res minus, quam speratum sit, secundas attulere. Legati enim, quos moriens Sigismundus Pragam destinarat, & quos inter Casparus Schlickius facile Princeps fuit, ut primum conctis regni Proceribus senatus illis datus est, testamentum regis, quemadmodum jussi erant, vulgavere, utque ultimam ejus voluntatem exequerentur, monuere. Hoc ipsum, hoc ipsius fratrem, patrem, avumque esse commentos: nec fraudandam videri hæreditate Elisabetham, quæ ex tam Augusto sanguine sola superstes esset, & in spem nobilissimi regni a teneris educta, tum ei præterea viro, non invitis Bohemis, collocata, qui, si nulla etiam ad regnum jura afferret, optandus esset tamen, legique mereatur. Ad hæc cum Sigismundi filiam, unicam potentissimorum Europæ regnorum hæredem, uxorem habeat, ejusque voluntate rex sit declaratus, nihil omnino esse, quo minus in eo creando Hungarorum studia, judiciumque sequantur. Pactorum etiam meminisse ne non velint, quibus inter Bohemiæ reges, ac duces Austriæ olim cautum sit, ut, si alterutram gentem absque prole deficere contingeret, altera alterius hæres esset. Hæc cum legati prolixe, graviterque dixissent, sanior Procerum pars citra moram Albertum pridie nonas Majas regem salutavit. Intercedebant perpauci, iique fere, quos a Barbara in consilium adhibitos supra memoratum est, sive Polonum sæpe studerent, seu Albertum, quod inter eum regina societatis consciam nossent, odiorem metuerent. Hujus factionis principes Henricus Ptasco, Alexius Sterenbergicus, & Georgius Podiebradius, nequaquam Alberto prius se suffragia daturos, quam, quæ petituri essent, publica fide confirmasset, palam jactabant. Itaque misso propterea cum mandatis Sterenbergico in Hungariam, Albertus respondit, se regnum, quod ex pactis conventis, & potiorum Optimatum suffragatione suum esset, brevi ingressurum, visurumque illic, quem in modum, quæ peterent, cum sua, & regni dignitate conciliari possint. (2)

Casimirum Polonum evocant.

Hoc responso cum satis factiosi intelligerent, quo animo futurus in se Albertus esset, coacto ex suis conciliabulo, variatisque aliquandiu sententiis, Casimirum, Wladislai Poloniæ regis fratrem, puerum tredecim annorum, Alberto opponendum statuunt, mittuntque Legatos, qui regnum ei offerrent, rogarentque, ut quantocius oblatam sibi dignitatem armis tueri pergeret. Optimi quique, ac prudentissimi, qui Wladislao a consiliis erant, quod perspicuum esset, rem eam non a regni ordinibus, sed paucorum seditiosorum cœtu agitari, magnopere auctores regi fuere, ne cum nondum satis omnia domi tuta viderentur, exterorum ditiones immodice appeteret, regnum, quod ab intestinis motibus nondum penitus respirasset, & religionum cultu in partes scinderetur, Alberto sineret, quem a potioribus electum, & jura sua bello vindicaturum constaret. Vicit tamen gloriæ cupiditas, & quæ omnes consiliorum rationes fere conturbat, imperandi libido. His mille equites in Bohemiam cum Legatis missi, factaque spes, Casimirum cum majoribus copiis haud multo post secuturum. Albertus de his edoctus, con-

(1) Idem ibidem.
(2) ÆNEAS SYLV. hist. Boh. cap. LV.

constitutis in Hungaria rebus, Viennam contendit, ut, quæ ad suscipiendam expeditionem facere videbantur, tempori pararet. (3)

Annus Christi 1438

Intentum bellico apparatu præter expectationem Legati ab Imperii Septemviris missi occupant, & Imperatorem XIII Calendas Apriles communi consensu creatum referunt, utque dignitatem capesseret, orant. Adfuere id temporis Viennæ præter Legatos Basileensis synodi Fridericus Tirolensium Princeps, Fridericus item junior, ejusque frater Albertus, Austriaco sanguine omnes geniti, qui cunctantem regem, ad subeundum tantum decus facto ad aulam concursu vehementer exhortabantur. refragatur Albertus, religione, qua se eam dignitatem recusaturum Hungaris promiserat, præpeditus. Itaque ad hos certatim concurritur, & ne gentium omnium vota moraretur, regnique sui ornamento prudentes, volentesque obstruerent, rogantur. Hungari tot Principum intercessione, & Friderici præcipue junioris precibus, ac blanditiis expugnati, & quod fausta omnia ex Alberti virtutibus sibi pollicerentur assensere. Itum extemplo Aquisgranum est, ubi maxima honoris significatione a Principibus salutatus Albertus, ac pridie Calendas Junias fausta omnium congratulatione Imperii corona redimitus est. (4)

Inter hæc Albertus, Romanorum rex eligitur. Neque tamen dignitatem, nisi consentientibus Hungaris admittit.

Ut ab inauguratione Viennam rediit, continuo Legatos ad regem Poloniæ mittendos censet, Joannem Balassium, (5) & Joannem Rabensteinium, illum Hungarum, hunc Bohemum, qui suo nomine Wladislaum orarent, *ne fratrem turbare regnum Bohemiæ patiatur, meminerit inter Bohemos ac Polonos veteris amicitiæ. Albertum ex Sigismundi testamento, & Provincialium decreto regem esse, non potuisse paucos, qui Casimirum regem vocavere, jus regni ad alterum transferre. Si pergat alienum regnum fratri parare, caveat ne de suo certare cogatur.* Polonus ad ea, *Bohemos sibi amicos esse fatetur, cupere benevolentiam perpetuo stare, ac fratri, quem primarii Barones vocaverint, jus auferre non posse. Polonis, ac Bohemis unam esse linguam, & unam utrique genti originem, cum Teutonicis nihil Bohemis esse commune. Nihil provincialibus incommodius, quam sui regis vocem non intelligere, atque in omni loco interpretis egere. Regnum sibi suum satis tutum, solumque esse, neque se externum cum ullo timere. proinde orare, ut fratrem prius recipiat, quam ipsi ab eo recipiantur, donatosque pretiosis pellibus, ut ejus mos gentis, oratores dimisit.* (6)

Tum Casimirum fauentes reges Poloniæ ...

Nondum, quid ab Polonis responsum legatis esset, Albertus compererat, cum se itineri Bohemico accinxit Moraviamque ingressus, Iglaviam cum tribus equitum millibus tenuit, quo in loco ab Ulrico Rosensi, & Maynhardo, aliisque summæ dignitatis Proceribus percupide exspectabatur. Hinc, capta paucorum dierum quiete, ac concurrentibus jam ad signa Bohemis, Cuttam promovit, quam a factiosis desertam nullo negotio occupat, tum quod hostis in latibula se abderet, pugnamque detrectaret, Pragam contendit. Venienti frequentissimus populus occurrit, & ingenti Procerum corona stipatum, ac tanquam ex hoste victor rediisset, celeberrimo triumpho urbi induxit. Erant haud pauci in urbe, qui cum Ptascone, seditiosorum Principe, sentiebant: eorum studia huc in primis evasere, ut novus rursum ordinibus conventus indiceretur, rati, facile se, nondum confirmatis rebus, coronationi impedimentum, aut moram injecturos: multique Pragensium, captato tempore, novas sibi immunitates seorsim atribus postulabant. Melior regni pars, cum primum, quid isti molirentur, intellexit, illorumque conatus matura inauguratione antevertendos censuit. Itaque volentibus, quotquot a factiosis abhorrebant, ordinibus, majoreque civium numero, Albertus tertio Calendas Julias, adhibitis rite ceremoniis, regio diademate insignitus est. (7) Atque ita anno ab Sigismundi obitu nondum evoluto tres coronas ra-

Pragam que ingressus coronatur.

ra

(3) Gerardus de Roo Hist. Austr. Lib. V.
(4) Æneas Sylv. Balb. cit. loco Windeck cap. CCXXII.
(5) Plerique Germani & Bohemi scriptores ignoratiæ linguæ Hungaricæ Plarium scribunt, Dlugossus contra Hungarum fuisse diserte scribit, & Balassi vocatum.
(6) Æneas Sylv. Hist. Boh. cap. 55.
(7) Bartossius in Chron. Æneas Sylv. loco cit. Balbin. Epit. Rer. Bohem. Lib. V. cap. II.

Anno Christi 1438

ra, felicitate adeptus potentissima regna, moribus, coeli gentiumque habitu disparata, mirabili nexu copulavit, ex quo HONORIFICI cognomentum illi deinceps inditum.

Inde bella Taborienses

Coronationem bellum excepit, quod nisi mature dissipatum fuisset, in civiles, & sanguinarias factiones erupisset. Poloni, qui duo equitum millia Bohemiæ infuderant, & Frascons se conjunxere, occupata per insidias Cuma, prædas, & latrocinia latissime agebant: his brevi majores ab Wladislao missæ suppetiæ, ex quibus seditiosi conjunctis viribus exercitum, qui quatuordecim millia excederet, conflarunt. Albertus, tametsi subsidia, ex Hungaria, & Austria præsto sibi esse imperaverat, his tamen non exspectatis, in hostem movit, & prælii, si Poloni modo vellent, copiam fecit. Sed ii aperto campo congressi veriti, Taborium, quo se hæreticorum reliquiæ subduxerant, se recepere, urbisque mœnibus tuti, castra adversus vim communivere. Id ubi Cæsar comperit, quadrato agmine in conspectum hostis advolat, Polonosque in pugnam prolicere frustra conatus, castra Toborio urbi ad jactum lapidis opponit. Erant in castris Alberti Christophorus Bavariæ Princeps, Fridericus Saxoniæ Dux, & Albertus Marchio Brandeburgicus, Achilles Germaniæ, qui subsidiarias cohortes, non contemnendo numero adduxere, facile etiam triginta millia Alberto paruisse fama fuit. Pugnatum singulis diebus est, alterna, ut fere fit, victoria, sed nunquam universis viribus in fortunam belli ventum. Tertio idus Augusti castra Germanorum aggressi Bohemi, & cum clade rejecti. Taboritæ exuti curribus, & Poloni machinis ex campo in urbem compulsi; cum interea Georgius Podiebradius, in alam nostrorum equitum forte fortuna incidens, confertis manibus majorem fugam, quam cædem edidit. Atque hinc primum homini factum nomen, gradusque ad dignitatem, quam postea consecutus est. (8)

Hac per Legatos abrupt fruste,

Inter hæc certus nuntius ad Albertum affertur, Wladislaum duos exercitus Silesiæ infudisse, rectaque in Bohemiam movere, urbes haud paucas in fide nutare, inveniuntque in castris multos, qui consilia ad hostes offerrent. Ad hæc ex gravi cœlo miles laborabat, neque Taborium, nisi fame, capi posse videbatur: coacto igitur ex Ducibus conventu decretum est, obsidionem solvendam; copias bifariam dividendas, quarum pars Taboritas commeatu excluderet, altera Polonis in Silesia opponeretur. Utrumque ex sententia evenit: nam & Brandeburgicus adversus Wladislaum, quem confertis aliquot præliis ex Silesia exegerat, rem feliciter gessit, & Poloni, qui in Taborio urbe a nostris conclusi erant, fame enecti, exhausti argento, amissis equis, pedibus in Polonum redire coacti sunt. (9)

Ulricum Cilejes sem Præfectura Bohemia privat

Albertus Pragam veniens Ulricum Ciliæ Comitem, quem nuper conjugis rogatu in gratiam receperat, Bohemiæ vicaria potestate præfecit, ratus hominem & præteritorum venia, & novo beneficio donatum, in fide constantem futurum: sed ubi paullum post, novas res moliri, sensimque regnum parare intellexit, redacto in ordinem materiam, qua Bohemorum animos sibi conciliarat, ademit; & rei publicæ curam, si se abesse contingeret, Duumviris, Ulrico Rosensi, & Maynhardo de Nova Domo credidit. Constitutis ita rebus tertio calendas Majas Praga discedens in Silesiam contendit, ubi a Conrado, Wratislaviensi Episcopo, effusis obviam Civibus, honorificentissime acceptus, & salutatus est. Advenerat Wratislaviam pauco post tempore Rodericus Episcopus Burgensis, quem Patres Basileenses eum in finem misere, ut pacem inter Albertum, & Casimirum conciliaret. Diu disceptatum est cum Legatis Poloniæ, nihil tamen, quod ad summam rei pertineret, confectum, quod utraque pars summo jure, nec quidquam sibi inde decerpi pateretur. Qua re intellecta, Albertus Episcopum Seguensem Romam ad Eugenium abire jubet, oratum, ut suam Pontifex in gravissima hac controversia auctoritatem interponere ne gravetur, & afferto sibi in

Boh-

(8) Idem ibidem.
(9) Idem ibidem.

Christi Anno 1438

Bohemiam jure, Polonum in ordinem redigeret. (10) Quo eventu Legatio confecta sit, ad annum sequentem exponemus.

Elisabetha absente rege Hungariam gubernat.

Rege in Silesia detento, Elisabetha Hungariam minime femineo imperio regebat, cui haud leve negotium in Transilvania per mariti absentiam conflatum est. Amurathes, trajecto Danubio, copias in eam provinciam immiserat, prædarum magis, quam belli caussa: quæ cum Saxonum ditionem fœdissima populatione corrumperent, & Sabesum urbem, vi occupatam, expilarent, metusque esset, ne spoliorum cupiditate illecti arma porro in mediterranea traducerent, Losoncius Transilvaniæ Vayvoda raptis celeriter copiis, jussisque, ut se in hostem consequerentur, provinciæ nobilibus, Turcos ad montium fauces, qua reditum parabant, nactus, aggressusque, recepta maximam partem præda ex Transilvania exegit. (11) Sed a profligato hoste intemperanter auctoritate usus, nobiles pleroque, ac Bathorios in primis, quod ob temporis angustiam militem pro more cogere, ac in hostem proficisci nequirent, fundis, fortunisque per summam avaritiam privavit. Ea injuria cum animos præcipuorum vehementer exulceraret, essetque periculum, ne, qui ea pœna affecti erant, viro absente turbas concirent, Regina scriptis ad Wayvodam litteris, ut omnes, in quos animadvertisset, Bathorios præcipue, pristinæ dignitati, & juribus restitueret, graviter præcepit. (12)

„ Elisabeta Dei gratia regina Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Au„ striæque, & Styriæ Ducissa, nec non Marchionissa Moraviæ, fideli nostro,
„ Magnifico viro Desö de Losoncz, partium nostrarum Transilvanæ Wayvodæ
„ salutem, & gratiam. In persona fidelium nostrorum Ladislai, & Stephani,
„ filiorum Stanislai de Bathor nostræ exponitur serenitati querulose, quomodo vos
„ quandam villam ipsorum - - - in prædictis partibus nostris Transilvaniensibus habitam,eo quod ipsi - - - contra nefarios Turcos more aliorum nobilium, & Proce„ rum illarum partium exercituari neglexissent, pro vobis occupassetis, & occu„ patam conservaretis etiam de præsenti, in eorundem damnum, & præjudicium
„ multum grande, super quo fidelitatem vestram attente requirimus, eidemque
„ nihilominus seriosius præcipimus, & mandamus, quatenus statim visis præsen„ tibus, rebus promisso modo se habentibus, prænotatam possessionem ipsorum - - -
„ pro nunc, ut præfertur, circa manus vestras occupative habitam, talis modo
„ exercituationis negligentiam ipsis pro hac prima vice duntaxat ignoscendo,
„ præfatis Ladislao, & Stephano, absque omni difficultate, & retentione, modis
„ omnibus remittere, & resignare debeatis; nec amplius ipsos ratione hujusmo„ di negligentiæ exercituationis impetere, molestare, perturbare, aut quovis mo„ do damnificare præsumatis. Aliud in præmissis non facturi - - - - Datum
„ in villa Harsuy vocata in festo beati Laurentii martyris anno Domini MCCCC
„ XXXVIII. „ Ex quibus facile conficitur, quæ mulctæ rano olim apud nostros obtinuerit, si quis, cum hostis in regnum irrupit, militiam sub signis profiteri ex legum norma neglexisset.

Despota Rasciæ urbem [illegible] fugatur

Turci quamquam cum aliqua ex Transilvania clade ejecti fuissent, viribus tamen nihilo fractiores novum in Servia bellum minabantur. Periculum provinciæ illius Despotæ Georgio, &, in qua sedem defixerat, urbi Senderoviæ imminebat: cui propulsando cum se imparem videret, commutato, quantum ad vim ferendam poterat, quam propulsandam satis videbatur, oppido, relictoque, qui locum tueretur, Stephano filio, in Hungariam se contulit, proceres etiam atque etiam obtestans, ne se in tanto discrimine tam barbaro hosti destituerent. videri molem belli sin minus hoc anno, futuro certe suis ditionibus incubituram, quæ cum ad defensionem male comparatæ essent, futurum, ut his in potestatem redactis, Hungaria eodem malo involvatur. Quam ob rem & clien-

Tt telæ

(10) BARTOSSIUS, & ROZITIUS in Chronicis suis. MS. Diplomatarium apud Cl. SOMMERSBERG. Tom. II.

(11) SIBLERUS in chronolog.

(12) Ex Mss. collec. HEVENESIANIS.

Annus Christi 1438.

telæ caussa, qua Hungaris obnoxius esset, & vicem mali periculo admonitos velle, ut regem de discrimine edocerent. Æquissima videbatur hominis de Hungaria non male meriti oratio: itaque celeres ad Albertum nuntii mittuntur, qui, quam malo loco Serviæ res constitutæ essent, referrent, orarentque, ut rex primo quovis tempore in Hungariam properaret, quo & regno suo, & Serviæ pro sua sapientia consultum iret. (13)

1439. Albertus in Hungariam properat.

Hæc, cum annus jam in fine esset, acta. Albertus, qui Wratislaviæ ad VI. calendas Februarias, rei publicæ caussa morabatur, ubi de periculo edoctus est, maximis itineribus in Hungariam maturavit. Postquam Posonium venit, commodum Episcopus Segniensis Eugenius ad Wladislaum Polonum nuntius redierat, inducias afferens, quæ inter Albertum, & Casimirum Pontificis auctoritate coaluissent. Earum hæc præcipua capita erant: inducias bona fide ad VIII. calendas Julias starentur, quoad de conventu, in quo pax communi arbitrio constare posset, utrinque decretum esset: interea qui superiore bello capti fuissent, liberaliter haberentur. Induciarum tabulæ quarto idus Februarias Namslovæ Optimatum Poloniæ nominibus consignatæ, ad Albertum, ut suo itidem judicio confirmaret, ab Segniensi Episcopo Posonium allatæ sunt. (14)

Ex foedere cum Polono inducias

Erant induciæ pro temporum habitu non solum utiles, sed propemodum necessariæ: itaque haud gravate ex Procerum consensu ratas Albertus habuit. Abhinc curas omnes in Turcicum bellum convertit: & jam scriptis ad singulas provincias litteris conventum generalem regni ordinibus indixerat, cum repente Barbara regis socrus novas turbas concivit. Etenim mulier dominandi cupida ægerrime ferebat, se in ordinem redactam, & vindictæ studio ardens consilia cum Alberti hostibus contulit, pactaque conventis arces, quas ex genere indulgentia possidebat, traditurum se recepit. Commode machinationis indicium ad regem perlatum est, qui extemplo, ne quid discriminis regno crearetur, locorum præfectos de re admonuit, & sacramento solutos jussit, ut præsidium militare in omnem eventum comparare ne intermittant, comminatus, si desidia quid peccaretur, perfidiæ crimine notatos ex legum ritu mulctatum iri. Barbara detectis consiliis iram regis metuens tempestiva fuga in Poloniam se recepit. Inde non vana Hungaris injecta suspicio, feminam nuptiarum æstu agitatam Montanas urbes, quæ illi ab Sigismundo in dotis loco consignatæ erant, Wladislao obtulisse, quo facilius amore juvenis, quem olim insana deperibat, potiretur. (15)

Missique propterea Legati

Metus erat, ne furens mulier aliquid mali in Polonia conficeret. Quare oratores cum hanc ob caussam, tum propter inducias ad Wladislaum mittendos Albertus censuit, qui & Barbaræ molitiones irritas redderent & conficiendæ pacis, ut prioribus induciis cautum erat, potestatem haberent. Adjecit quoque litteras Posonii quinto nonas Majas exaratas, quibus fidem facit, Legatos, quidquid acturi essent, suo nomine patraturos. (16) Tum habito per Austriam delectu Strigonium secundo vectus Danubio appulit, novosque Legatos pridie calendas Julias in Poloniam misit, qui si pax confieri non posset, conventum in aliud tempus prorogari peterent. (17) Neque enim satis tutum videbatur, dum Amurathes, quem in Servia bellum circumferre, & Senderoviam obsidere crebri nuntii afferebant, Polonos irritare, quando Bohemicæ res haud satis pacatæ erant.

Conventum Pesti celebrat.

Strigonio Budam delatus, frequentissimos regni totius Proceres, qui ad præstitutum Comitiis diem concurrere, in Pestiensi campo, offendit. Ab his salutatus, rogatusque, ut prius, quam consultationibus initium darentur, pro suo in Hungaros studio, ordinum immunitates, quas a Ludovico accepissent, confirmare vellet, haud gravate assensus est, neque iis solum, quæ postulassent, robur se adjecturum, sed alia quoque, quæ ad gentis, regnique commodum, ac decus facerent,

(13) ÆNEAS SYLVIUS. Hist. Boh. cap. LV.

(14) Diplomatar. MS. Polonic. apud Cl. SOMMERSBERG loco laudato.

(15) Ex Repertorio MS. P. ANTONII STEYERER. S. J. Tom. III. ex Tabular. Cæsar.

(16) Diplomatar. MS. Polonic. apud Cl. SOMMERSBERG. Tom. II.

(17) Ibid.

cerent, publico edicto vulgatarum promisit. Id quia in leges deinceps relatum est, multaque complectitur, quæ a priorum regum sanctionibus non nihil differunt, locusque id postulare videtur, inferendum Annalibus putavi. (18)

Anno Christi 1439.

Promulgatio decreti, quo regni leges condit.

„ Albertus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex, & Dux Austriæ &c. Memoriæ
„ commendamus, tenore præsentium significantes, quibus expedit universis, quod
„ excellentissimo Principe domino Sigismundo Romanorum Imperatore, ac præ-
„ fati regni Hungariæ, &c. Rege, patre nostro charissimo, laudandæ memoriæ,
„ tempore noviter præterito, Deo cœli, cujus nutu humana fragilitas nequit ob-
„ viare, volente viam universæ carnis ingrediente, nobisque favente divina cle-
„ mentia, in regimen, & solium ipsius Regni Hungariæ votive succedentibus,
„ Prælatorum, & Baronum, nec non Procerum, & Nobilium Regni nostri Hun-
„ gariæ, cœtus, & universitatis idemtotas, nostrum Regium conspectum adeundo,
„ & libertates ipsius regni nostri, quibus ipsi Prælati, & Barones, & Nobiles,
„ eorumque prædecessores, temporibus divorum Regum, præsertum quondam
„ serenissimi Principis Domini Ladovici Regis, felicis recordationis, prædecesso-
„ ris nostri, usu fuere, & gavisi, æquum, plurimis suis articulis, diminutas esse
„ recitantes, & nostram regiam serenitatem, super reformatione status dicti re-
„ gni nostri, precibus, & instantiis propulsantes, infra scriptos articulos, in eis
„ contenta, nostris litteris inseri, & confirmari facere, approbare, & in eisdem
„ se, per nos illibate conservari humiliter supplicarunt; nos quoque promisimus,
„ immo promittimus bona fide, quod articulos infra scriptos tenere, & implere
„ volumus, & debemus.

„ Primo quod antiquas leges, & consuetudines hujus regni, & liberta-
„ tes Regnicolarum Ecclesiasticorum, & secularium, cujus liber status ad prio-
„ rem suum modum, & statum, quantum de jure, & cum honore, eorundem-
„ que Prælatorum, & Baronum, ac Regni Nobilium consilio, & auxilio possu-
„ mus, reducemus, redintegrabimus, reformabimus, & de cetero in easdem ma-
„ nuteuebimus, & conservabimus.

„ Insuper quod regia Majestas Palatinum Regni, antiqua consuetudine re-
„ gni ipsius requirente, eo quod idem Palatinus ex parte Regnicolarum regiæ
„ serenitati, ex parte ipsius regiæ Majestatis Regnicolis, judicium, & justitiam
„ facere potest, & tenetur, ex consilio Prælatorum, & Baronum, ac regni No-
„ bilium, pari voluntate, eligat.

„ Quod regia dignitas, pro tuitione regni, & confiniorum ipsius conser-
„ vatione, hominibus suis exercitualibus, de stipendio regali, dispositiones faciat,
„ sic quod Regnicolas, ipsi stipendiati exercituantes, non prædentur. Exerci-
„ tus vero generalis Regnicolis tam diu, donec hujusmodi stipendiati exercituan-
„ tes adversariis resistere poterunt, non proclametur. Ubi autem ipsi exerci-
„ tuantes Regnicolas prædati fuerint, tunc tales pronuncientur ad instar aliorum
„ patratorum actuum potentiariorum. Dum vero necessitate urgente, exerci-
„ tum generalem proclamari contigerit, tunc Nobiles regni, ultra metas, & con-
„ finia regni, ex quacunque parte ejusdem regni, inviti, more exercituantium,
„ non ducantur, antiqua eorum libertate requirente.

„ Item alienigenis, & forensibus hominibus, cujuscunque nationis, & lin-
„ guagii existant, officia in ipso regno nostro non committemus, nec castra, for-
„ talicia, metas, possessiones, honores, prælaturas, Baronatus, Comitatus vel
„ quascunque Ecclesiasticas, vel seculares dignitates, ad tempus, vel in perpe-
„ tuum extraneis, & forensibus, sed hominibus Hungaris conferemus. Quod-
„ que Prælati, & Barones homines extraneos, & forenses non conservent.

„ Item de tricesimis, lucro Cameræ, montanis, urburis, custodibus mo-
„ netarum, Cameris, & quibuscunque officialatibus, in arendam administrative,
„ seu aliter quovis modo, similiter hominibus idoneis Coronæ Hungariæ suppo-
sitis,

Tt 2

(18) Exstat in Codice Juris Patrii.

Annal. Reg. Hung. Part. III.

Anno Christi 1439.

fitis, & non extraneis liberam disponendi facultatem, modo consueto, habeamus.

„ Lucrum Cameræ, in regno Hungariæ, quinquagesimam in partibus Transilvaniæ; ac Marduriis regno Sclavoniæ, exigi consuetas, more alias ab antiquo consueto, exigi faciemus: reducentes ad statum tempore præfati quondam domini Ludovici Regis observatum.

„ Prælati, & Barones duas dignitates, honores, Baronatus, scilicet seculares, & Ecclesiasticas simul tenere non valeant: nec homo sæcularis, sive vir Ecclesiasticus, dignitates Ecclesiasticas occupative servare possit.

„ Nullus mercatorum forensium, & extraneorum, cujuscunque nationis existat, ad mercandum, seu forisandum, in medium regni, se ad loca tempore præfati quondam Domini Ludovici regis, ad forisandum, & emendum, & cambiendum, deputata, negotiationes suas peracturus, more consueto, accedat.

„ Quod monetam auri & argenti, in valore, & cursu, quibus pro nunc existit sine consilio Prælatorum, Baronum, & regni Nobilium non mutabimus: sed cudantur oboli, in eadem liga, qua ipsi majores denarii cuduntur, quorum obulorum duo, unum integrum denarium valeant. Et quod per dominum Archiepiscopum Strigoniensem, & Magistrum Thavernicorum, unus fidelis, & idoneus vir in probatorem hujusmodi cusioris monetæ, auri scilicet & argenti, deputetur.

„ Monetæ, & pecuniæ extraneæ, atque sales forenses, in regnum non introducantur, & nec acceptentur, & de hoc fiat provisio celerius, quantum potest.

„ Quod dispositio pro serenissima principe, domina Elizabeth regina, & ejus status honoris conservatione, ex quo est hæres hujus regni, fiat, ubicunque vult in regno: sic tamen, quod ipsa domina regina, honores, & officiolatus suos non extraneis, & alienigenis, sed incolis hujus regni, quibuscunque maluerit, conferendi, & collatos, dum sibi placuerit, ab eisdem, secundum suum arbitrium habeat facultatem auferendi.

„ Dum in exercitibus, & pugnis, seu quibuscunque rixis, cum inimicis regni committendis, Hungaros aliquos de hostibus captivare, vel aliquid aliud lucrari contigerit: tunc ipsi Hungari hujusmodi captivos, & lucrum (exceptis notabilibus personis, vel capitaneis ipsorum exercituum inimicorum, regiæ Majestati, in captivos pertinentes, quos nos ab ipsis captivantibus, pro dona condigna recipere valeamus) pro se retinendi, vel vendendi, aut Ecclesiis perpetuæ servituti jugo tradendi, & donandi habeant facultatem.

„ In defensionibus, & conservationibus metarum, & confiniorum hujus regni consiliis Regnicolarum utemur.

„ Honores seculares, absque quolibet consilio, hominibus istius regni Hungariæ, & non advenis, liberum arbitrium conferendi, & ab eisdem auferendi habeamus facultatem.

„ Possessiones, & jura possessionaria, non forensibus, sed benemeritis incolis tantum regni & coronæ Hungariæ subjectis, juxta eorum merita, & obsequia, & non pro pecunia conferemus. Perpetuas vero venditiones, vel impignorationes jurium regalium, & Coronæ, nec cum consilio, neque sine consilio quorumcunque faciemus.

„ Præscriptiones, seu dispositiones, super metis, & granicielus, inter Hungariam, & Austriam prius factæ, in suo robore perdurent: de metis vero & graniciebus, inter Hungariam, & Moraviam, quicquid de consilio eorundem Prælatorum, Baronum, & regni Nobilium, de jure facere debemus, libenter faciemus.

„ Item quod in possessionibus, & bonis nobilium, & Ecclesiarum, seu quarumcunque secularium, & Ecclesiasticarum personarum, violentas exactiones victualium, procurationes hospitalitatum, & alias quascunque aggravationes, præter voluntatem invitatorum non faciemus, nec fieri permittemus, nec in domibus, & in locis Prælatorum, Baronum & aliorum quorumcunque secularium, & Ecclesiasticarum personarum, pro tractatibus habendis, & aliis quibuscunque

„ bufcunque negotiis difponendis, ipfis invitis morabimur, aut eos expenfis, victualibus, curruum & fareinarum vecturis, nunciorum & familiarum, & quorumcunque ad nos pertinentium procuratione, ultra eorum fpontaneam voluntatem in aliquo gravabimus, ficut abufive, & contra voluntatem eorum, ab antiquo tempore retroacto fieri erat noftrum.

„ Ecclefiæ, & Ecclefiafticæ perfonæ, a taxis non diu abufive introductis liberæ, & abfolutæ relinquantur. Servitia tamen Exercitualia, more alias confueto facere teneantur.

„ De maritatione filiarum noftrarum agemus cum confilio Prælatorum, & Baronum, ac nobilium regni noftri Hungariæ, nec non cognatorum, & proximorum atque fubditorum regnorum, ac ducatuum noftrorum.

„ Item quod Ecclefiaftica beneficia vacatura non faciemus, neque permittemus per fæculares occupari perfonas.

„ Item, quod habitationem noftram hic in Hungaria more aliorum regum faciemus, & continuabimus.

„ Procuratores regiæ, & regnalis majeftatum, in fede judiciaria una cum judicantibus, federe non poffint, inter caufantes, tempore, quo videlicet caufa ipfarum, regiæ, & regnalis majeftatum agitur, ftare debeant. Literas etiam per caufidicos, in ipfa fede exhibendas, per fe non confpiciant, nec tractent fuis manibus, nifi magiftri judicantes.

„ In facto poffeffionum, per regiam, vel regnalem Majeftatem, aut eorum procuratores, a talibus, qui prius in dominiis earundem extiterint, recaptivandarum, & juri regio acquirendarum, quas regalis, feu regnalis Majeftas, jure mediante vigore hujufmodi recaptivationis, fibi appropriare non poffint, contra tales, qui fic indebite, & abfque jure impediti, & expenfis fatigati fuerint, ipfæ Majeftates jure mediante, in æftimatione talium poffeffionum ad inftar aliorum fimilia facientium Regnicolarum, convincantur. Et fimiliter, fi quidpiam aliqua jura poffeffionaria, nomine juris regii, pro fe impetrarent, & eadem ipfi juri regio pertinere, comprobare non valerent, in æftimatione eorundem: fi vero tales impetrantes, ante decifionem caufæ in facto hujufmodi jurium impetratorum motæ, fe de dominio ipforum jurium, ac de proventuum eorum perceptione occupative, five alio quovis modo, intromitterent, nec tandem judice fibi appropriare poffent: contra partem læfam, feu litigantem, & expenfis fatigatam, in facto potentiæ, prout ordo juris requirit, convincantur.

„ Juxta requifitionem Regnicolarum noftrorum, nos una cum eifdem operabimur, quo Defpotus Rafciæ, & Comes Ciliæ, ceterique Magnates, dominia, vel poffeffiones, caftra, fortalitia, civitates, oppida, & alia bona in hoc regno Hungariæ habentes, & tenentes hujufmodi caftra, fortalitia, oppida, civitates, & poffeffiones, non advenis, & forenfibus, fed Hungaris hominibus, pro honore dare debeant.

„ Item honores, & officia noftra aliis Hungaris Regnicolis noftris quibus voluerimus, more ab antiquo confueto, juxta hujus regni noftri Hungariæ confuetudinem conferemus.

„ Item quod nullus Nobilium regni, pro quibuscunque factis, per quemcunque præter talem, contra quem fententia capitalis juridice lata fuerit poffit detineri, feu quoquo modo captivari.

„ Nobiles tam Jobagiones habentes, quam non habentes, decimas dare non teneantur, antiqua eorum libertate requirente. Verum quia frequenti querela regnicolarum noftrorum, imo quadam palpabili experientia tefte, noftra percepit celfitudo, per nonnullas novas poffeffionum occupationes, & potentiarum actuum illationes, eofdem regnicolas inferiores videlicet a potentioribus, multipliciter opprimi & gravari. Ideo volentes infolentiis, & novis attentationibus, per media opportuna, viam præcludere: ftatuimus, & ordinavimus, ficut etiam in decreto majori, antefati quondam Domini Sigifmundi Imperatoris, alias Pofoniæ, de unanimi Prælatorum & Baronum, ac Procerum hujus regni noftri, & nobilium confilio, affenfuque, & voluntate edito aperte continetur, quod

Anno Christi 1439.

„ quandocunque, & ubicunque fuerint factæ novæ possessionariæ, aut terrarum occupationes, potentiariæ vadationes, seu rerum & bonorum ablationes, fuccisiones sylvarum, interemptiones, vulnerationes, & verberationes hominum, dominorum, & possessionum invasiones, & deprædationes, ac alii similes novi actus potentiarii majores: ex tunc læsi ac damna & injuriam passi, impetratis literis nostris regalibus querimonialibus, & præceptoriis, Comites parochiales, & Judices Nobilium comitatus illius, in quo facta hujusmodi patrata extiterint, accedant, & requirant. Qui quidem Comites, & Judices Nobilium, cum testimonio Capituli, vel Conventus, illi comitatui deservire soliti, a vicinis & commetaneis, ac Nobilibus comprovincialibus, sub certis pœnis, in hujusmodi literis nostris regalibus declarandis, in sedem eorum judiciariam, per modum proclamatæ congregationis, partibus quoque litem habentibus convocatis, ad fidem eorum Deo debitam, fidelitatemque nobis, & sacræ coronæ observandam, tactis sanctorum reliquiis præstitam, super hujusmodi novis occupationibus possessionariis, & aliis actibus potentiariis, plenam & indilatam requirant veritatem: qua requisita & inventa possessiones occupatas, autoritate in hac parte eis attributa mediante, restituant eisdem, a quibus fuerant indebite occupatæ, ipsosque dominio in earundem protegant, & conservent. Alia vero bona, & vada potentialiter ablata, absque defectu reddant, & restitui faciant. Super facto autem potentiæ, in talibus commissæ, partes utrasque discussionem & sententiam finalem recepturas, ad certum terminum mediantibus eorum & dicti Capituli, vel Conventus literis seriem totius facti exprimentibus, ac propriis, & possessionum, factum hujusmodi attestantium nomina continentibus, in personalem præsentiam nostram regiam, aut Palatinalem, seu Judicis curiæ nostræ transmittant, ubi absque ulterioris termini & longioris processus observatione, & continuatione, etiam parte non veniente absentia non obstante, nos, vel judex alius, ad quem causa transmissa fuerit, juramentum earum decernentes, tandem finalem sententiam preferemus, & proferre tenebuntur.

„ Volumus etiam, & præsentibus decernimus, ut talis modi præmissorum executio, seu causa, per modum proclamatæ congregationis exinde mota, sive vertenti, nec nostris regalibus, seu reginalibus, neque Prælatorum, seu Baronum quorumcunque, etiam confinia regni nostri tenentium literis, nec videlicet ratione exercitualis expeditionis, neque conservationis castri cujuscunque possit quoquo modo prorogari, sed eadem causa in uno termino, ad hoc deputato finaliter concludatur.

„ Quilibet Patrator novorum actuum potentiariorum, qui coram regia Majestate, aut Palatino, seu Judice curiæ nostræ regiæ, per querulantes personaliter reperietur, in continenti, sine ulla prorogatione ullaque cautela adiverta, super omnibus sibi objiciendis, ipsi querulanti debeat respondere. alioquin contra tales tanquam absentes, ipsa congregatio generalis detur.

„ Partes tamen litigantes, quandocunque voluerint, absque requisitione judicis, & onere solutionis birsagiorum, liberam concordandi habent facultatem, quemadmodum antiqua, & laudabilis regni nostri consuetudo, hujusmodi concordiam in quibuscunque, factis potentiariis, & aliis, libere faciendam dictat, & consuevit.

„ Redemptiones autem literarum, & abductiones testimoniorum capitularium, seu conventualium & qualiter, aut quomodo falsæ viæ tributorum custodiantur, in eodem statu, quo in ipso Decreto Domini Sigismundi Imperatoris Regis continentur, relinquantur.

„ Item alia facta potentiora minora, pro quibus videlicet proclamata congregatio non datur, in tribus terminis, seu octavis, finaliter in judicio concludatur, sic videlicet, quod duas evocationes præcedentes, tertia forensis proclamatio subsequatur.

„ In

„ In factis autem, seu acquisitionibus quarumcunque possessionum, similiter duabus evocationibus, & trina forensi proclamatione præcedenti, pars adversa respondere teneatur, tali modo: quod si aliqua literalia instrumenta apud se habere asseruerit, tunc semel sine onere, binis autem vicibus, cum oneribus judiciorum absque confidentia ulterioris prorogationis exhibere teneantur: aut si ad primum terminum exhibitionis non venerit, tunc etiam duo termini, & si ad secundum non venerit, tunc unus terminus compleatur, causaque in facto possessionario, mota, finem sortiatur effectivum.

Anno Christi 1439.

„ Si vero pars adversa sua literalia instrumenta, apud manus alienas habere asseruerit, tandem pro requisitione hujusmodi suorum literalium instrumentorum unus annus assignetur, ut contra adversarium, in facto ipsorum instrumentorum terminus compleatur: sic, quod elapso ipso anno, in primo termino judice assignato, dicta instrumenta sua adhibeat: vel si exhibere nollet, aut non posset, tunc absque ulteriori prorogatione, ipsa causa similiter finem sortiatur effectivum.

„ Si vero in accusatione alicujus possessionis, tres, vel quatuor, aut quinque sive plures personæ, unius tamen & ejusdem generationis, in causam fuerint attractæ, non obstante absentia, & non venientia unius vel duorum, aut plurium, aut si ex ipsis unus, vel duo, aut plures in exercitu, sive in conservatione confiniorum, seu castri, vel aliis quibuscunque servitiis regalibus fuerint constituti: tunc ratione horum, causa, cum uno, vel pluribus eorundem, in propriis residentibus, termini legitimi similiter compleantur.

„ Ubi autem omnes hujusmodi in causam attractos, nullo penitus eorum in propriis remanente, in notabilibus regiis, vel regni servitiis occupari, contingeret: ex tunc causa ipsa, dempto facto proclamatæ congregationis generalis, ad ulteriorem terminum, more alias consueto, poterit prorogari.

„ Item, quæcunque Ecclesiastica persona aliquem Nobilem, in præsentiam cujuscunque judicis ordinarii citaverit, vel evocaverit: & si idem Nobilis contra ipsam personam ecclesiasticam, ordine judiciario, & sententia convictus fuerit, tunc gravamina majora incurrere non possit idem Nobilis, nisi homagium suum, scilicet emendam capitis sui preciosi, eo modo, sicuti ipsa Ecclesiastica persona, & de damnis, tam ex parte Ecclesiasticarum, quam sæcularium personarum, judex damnum patienti satisfactionem impendere teneatur.

„ Item decrevimus, prout etiam per ceteros prædecessores nostros Reges decretum fuisse intelleximus, quod pro funeribus hominum, per aliquem, vel aliquos interemptorum, Archidiaconi, seu Plebani parochiales, prout huc usque de mala consuetudine fuit observatum, nullam solutionem pecuniariam recipere valeant neque possint.

„ Nos itaque hujusmodi petitionibus Prælatorum, Baronum, Nobilium, ac Regnicolarum nostrorum aures exaudibiles, regio cum favore, inclinantes, supra dictos articulos, quoad omnes suas continentias, & clausulas, mera nostra authoritate, & potestatis plenitudine, ex certa nostræ Majestatis scientia, nec non de consensu, & beneplacito præfatæ Dominæ Elisabeth Reginæ, consortis nostræ prædilectæ, præsentibus literis nostris adsen fecimus, ipsos Prælatos, Barones, Nobiles, & Regnicolas nostros præmissis libertatibus, in eisdem articulis superius expressis, perenniter fruituros, & gavisuros committentes. Adjicimus præterea ac nostro, ac prædictæ Dominæ Reginæ consortis nostræ nominibus spondemus, quod memoratos regnicolas nostros, & totum regnum nostrum in quibuscunque eorum necessitatibus, non deseremus, sed fideliter, & toto posse nostro, pariter cum eisdem ipsum regnum, ac præassertos omnes regnicolas nostros, ab omnibus æmulis defensabimus, ac cunctis tam præmissis, quam etiam in aliis singulis bonis, & laudabilibus, ac justis antiquis consuetudinibus eorum, & regni nostri Hungariæ prædicti, inviolabiliter, semper, & ubique tenebimus, & conservabimus effective. Quicunque autem hominum, cujuscunque status, & conditionis existat, hæc ipsa, quæ in superioribus continentur, quavis scilicet occasione, impugnare molirentur: contra omnes, &

„ quos-

Anno Christi 1439.

„ quoslibet tales, & eorum protervium domandam, & compescendam, pariter
„ cum eisdem Regnicolis nostris, prout & ipsi omnes universaliter id ipsum se
„ facturos spoponderunt, operabimur, toto posse. Præsentium literarum nostra-
„ rum, quibus secretum sigillum nostrum, quo ut Rex Hungariæ utimur, est ap-
„ pensum, vigore & testimonio mediante. Datum Budæ feria sexta proxima ante
„ festum sanctæ Trinitatis, Anno Domini, Millesimo, quadringentesimo trigesi-
„ mo nono. „

Et Barbaram hostem reipublicæ declarat.

Barbaræ quoque, quæ ad Polonos transfugeret, causa in quæstionem vocata est, & communi procerum consensu decretum feminam, quæ violata, quam regno debebat, fide ad hostes secessionem fecisset, pro hoste eidem haberi oportere: tum fundis omnibus privandam, rogandamque regem, ut hos conjugi suæ Elisabethæ inscribi pateretur. (19) Ita mulier ex summo dignitatis gradu, fortunisque ad miserrimum statum, & inopiam redacta humanæ calamitatis exemplum fuit. Ex Polonia haud multo post sive ejecta, seu emissa Reginohradecum in Bohemiam concessit, ubi duodecimo post anno extremum diem obiit. Profligatæ pudicitiæ, cum vixit, & sui temporis Messalina, neque de Deo, & religione satis castigate sentiens: hoc uno laudem commerita, quod dissimillimam sibi filiam enixa, & prius fato, quam fungeretur, Deo conciliata est. (20)

Inde in Turcas profectus nihil profecit.

Soluto conventu fama percrebuit, Senderoviam acerrima obsidione a Turcis premi, brevique post tempore ex nuntus, quos Despota miserat, compertum est, urbem, nisi auxilia celerrime mitterentur, deditum iri. Periculo quod Hungariæ ex urbis illius casu immineba t, rex admonitus, non exspectatis auxiliaris, viginti quatuor millia partim terrestri itinere, partim secundo Danubio in hostem duxit, & castra ad Tibiscum metatus est, quo ceteris, consuetudinis tempus, & spatium daret. Serum tamen auxilium fuisse ex eventu patuit. Amurathes, qui cum centum, ac triginta suorum millibus ad locum, nec ab arte, nec operibus ad defensionem satis comparatum quatuor menses adhæserat, urbem tamen maxima cum strage, afflitim occupavit, & Despotæ filio oculis privato, hujusque sorore, tanquam belli præmium fuisset, in matrimonium ducta, domum abiit.

Quam ob causam,

Hæc non paucorum belli illius narratio est. (21) Alii Albertum priorem abiisse memorant, sed quam ob causam, non omnibus convenit. Windeckius illorum temporum Scriptor paucorum Procerum perfidiam accusat, qui scriptis ad Amurathem litteris, Albertum prodere conati sint. Barbarum autem missis clam nuntiis egisse, ut ne temere prælii fortunam rex subiret, quod & numero facile superaret, & suorum fraude manifesto discrimini objectus esset. His adjecit litteras a Proceribus scriptas, ex quibus proditoria ferem nullo negotio cognosceret. Hos, ubi, quid agerent, comperiisset, intempesta nocte fugam dedisse, atque ita Albertum suorum dolo coactum, ut ne tentata quidem pugna rediret. Alii contra, quod miles magnam partem morbo absumtus esset, ut receptui caneret, compulsum perhibent. Quidvis fit, illud constat, Turcos occupata Senderovia domum reversos, Albertum vero, quod annus jam in exitu esset, belli curas ad aliud tempus traduxisse. (22)

Budæ Viennam contendens,

Budam reduci Oratores ex Polonia occurrere, qui Casimiri, tum Barbaræ causam agerent. Sed cum neutris convenire posset, hi re infecta domum, Albertus, ut futuro bello res necessarias appararet, Viennam contendit. In itinere ex profluvio ventris, quod immodico peponum esu exasperaverat, tentatus in vico, quem longum pagum nostri dicunt, subsistit. Ingravescente morbo, quod conjux Varadini abesset, testamentum condidit, quo caverat, si puerum pareret, is Posonii in Hungaria nutriretur, cum octoviros constituit, ex Hungaris duos, duos ex Bohemia, ac totidem ex Austria & Moravia, qui illius, donec adolesceret, non modo curam diligentem haberent, sed partes quoque adversus quemlibet hostem

tueren-

(19) Repertorium MS. P. STEYERER S.J. Tom. III ex Tabular Cæsareo.

(20) ÆNEAS SYLV. epist. 130. ad Joannem de Carvial, Cardinalem.

(21) Idem Hist. Boh. cap. LVI.

(22) WINDECK cap. cit.

turentur (23) Configuatis tabulis, præter omnium exspectationem VI. calendas Novembres exstinctus, spes maximas, quas de eo boni omnes conceperant, abrupit. (24) *Princeps longe optimus, - - - statura paulo supra mediocrem, colore subfusco aspectu venerando, fortitudine mira, intentus in religionem, & singularis pietatis cultor: vestibus utebatur non nimis splendidis, sed quas Balthеus pretiosus decorabat.* (25) Et quæ non postrema Principum laus esse solet, plurium liberorum pater: cujus nomen primum ex Georgio sumsit, quem tamen eodem, quo natus est, die exstinctum constat. (26) Filias duas, Annam, quæ Gulielmo Saxoni, & Elisabetham, quæ Casimiro Polono postea nupsere, superstites reliquit; tum, quem regina a viro excessit enixa est, Ladislaum Posthumum propterea dictum, & magnarum olim luctum, ac probatæ serpionis argumentum. Corpus defuncti Albam regiam, non item, ut non nulli volunt, Viennam Austriæ deductum, regio tumulo lugentibus plerisque seque ipsos magis, quam ipsum miserantibus, illatum est. (27)

Anno Christi 1439. In itinere exstinctus profusus ... exstinguitur

Uu

ELI-

(23) ÆNEAS SYLV. in rebus Friderici III. Tom. II. analect. Biblioth. Aug. Vindob.

(24) Sunt qui eum in *Nesmil*, haud procul Comaromio, alii in insula Csiliscum prope vicum *Megyer* mortuum existiment; ego malui eu in re Windeckio, & Bartolfio, utrique coævo Scriptori, quam illis deferre.

(25) Gerardus de Roo Hist. Austr. Lib. V.

(26) Vidi ipse tumbam Viennæ ad D. Stephani, in qua Georgius conditus est, cum hac Epigraphe: GEORGIUS DUX AUSTRIÆ, ALBERTI V. DUCIS AUSTRIÆ FILIUS MCCCCXXXV. ÆTAT. X ANNO. Sed errorem in ætatis anno cubare patet ex chronographo coævo apud Cl. Hieron. Pez. Tom. II. Scriptor. rer. Austr. pag. 550. ita scribente ad annum 1435. Darnach an Sant Juliana Tag der heiligen Jungfrauen genaß die Herzogin eins Kinds, eins Knaben, der lebt auf dem Stand. Consentit Haselbach coævus itidem Scriptor apud eundem Cl. Pez. Tom. eod. pag. 853. Neque tumba, aut ossium magnitudo decem annorum puero respondet, utrumque enim magis viro mediocris staturæ congruit. Itaque cum inscriptio recentius maius sit, tumbæque penitus novæ, facile & ossa commixtum, & error in ætatis anno obrepere poterat. Quod mirum videri prorsus non debet. Ipsum enim Friderici III. Imperatoris Superbissimum Mausoleum, quod anno 1763 ad D. Stephani Viennæ spectavi, error talem annum mutatum integre refert: quæ profecto ostentatio minime ferenda videtur.

(27) Petrus de REWA Viennæ sepultum scribit contra omnes Albæ regiæ.

ELISABETHA.

Annus Christi 1440.

Elisabetha regiam potestatem adepta.

ALberto vivis erepto, Elisabetha *ad regia, paternæ scilicet sublimitatis solium, tanquam vera, & legitima regni Hungariæ hæres evocata* (28) summam potestatem adepta est. Cujus res gestas prius narrare quam aggredior, operæ pretium me facturum puto, si caussas, quas prudens volensque hunc loco servavi, in medium attulero, cur eam in regum nostrorum numero, ex quo ab omnibus, quod sciam, Scriptoribus injuria expunctam lego, unus fere sine exemplo collocarim. Postquam Sigismundus (isthoc enim ordine juvat) Electorum suffragio Rex Romanorum creatus, eam dignitatem, ut alias memoratum est, primus regno invexisset, Hungariæ Proceres, ut abiens grati animi significatione regem colerent, publicis litteris professi sunt, se, si ipse aliam prolem ex conjuge non tolleret, Elisabetham pro regni hærede omnino habituros, daturosque virum Reginæ, cum quo rem publicam capessat. Defuncto postea patre, atque Alberto omnium votis subrogato, rursum fidem novo regi obstrinxere, Procerum sacræ, & profanæ vel publicæ nominibus roboratam, si prior Albertus decederet, viduam cum prolibus hæredem ex asse futuram: quæ prærogativa cum a quibusdam in controversiam vocaretur, biennio abhinc iisdem pactionibus successionis fœdera instaurari placuit. Iterumque ab Alberti excessu, & prius, quam filium enixa fuisset, sacramentum ab regni ordinibus dictum, se in reginæ, &, quem utero gestabat, prolis fide permansuros esse. Quæ si omnia complectamur, nihil ab æquitate alienum fecisse existimandi sumus, dum feminam, ceteroquin lectissimam, pristino, quem pro filio jure tenebat, loco reposuimus. (29)

Dignitate volens decedit.

Neque diu tamen hunc tueri reginæ licuit, quod reipublicæ rationes, si hæc femineo imperio regeretur, conturbatum iri non pauci existimaverunt. Turci enim occupata superiore anno Sendenovia, bellum in Hungariam traducere minabantur, atque ex sententia id conficerent, Amurathes Legatos ad Wladislaum Polonum miserat, pecuniam, ac militem large offerens, si, cum ipse in Hungariam irrumperet, Polonus Albertum, neque enim mortuum adhuc compererat, in Bohemia

(28) Exstat de ea re diploma, signatum Budæ in festo beati Pauli I. Eremitæ anno 1440. in Tabulario Cæsareo Græcensi forulo 41 Num. 81

(29) Tom. II. Analect. Biblioth. Vindobon. Cl. Kollarii habetur Epistola Elisabethæ Friderico Imperatori scripta, desumta ex publ. Actor. Comment. civitatis Vindob. pag. 915 ubi horum, quæ diximus, regina diserte mentionem facit in hæc verba: *Lieber vetter nu pitt ich ew in sunderheit eber lieb, ir wellet ansehen, und merchken die blosse, unsonstlich und bewerlich Gerechtigkeit, die mein Sun, und auch ich haben zu dem Kunigreich zu Hungern, und uns auch des genissen lassen, und fachen willen, die ich ew aufsatzlich well erzellen des ersten darumb, als unser lieber herr, und vatter Kaiser Sigmund seliger gedechtnus in einem Romischen Kunk erwelt ward, da verschriben im die herren geistlich, und weltlich in Ungern die mayestat, ob er nicht mer erben gewinnet, und liesse - - - dann mich ainige Tochter, so wollten sie mich als erben haben, und zu dem Kunigreich lassen angeen geruehgklich, und einen Herrn mit mir erwellen. Nachmals als unser lieber herr und gemahl Kunigk Albrecht, dem Got barmherczig, und genedig sey, und ich zu dem reich Hungern erwelt, und gekrönt waren, da gab mir derselb mein herr und gemahl solch brief, und urchund mit insiegel, und wolten auch noch aller der Prelaten, und Landherren zu Hungern, und wo irer insigeln, ob das wurde, das er abgang mit tod, ee dann ich, das die Hungrischen Herren geistlich, und weltlich, mich und mein erben, als rechte erbliche Herrschaft zu Herrn und Erben des Kunigreichs zu Hungern aufnemen, und halten sollen; darnach aber im Pfingsttag nachst zer vergangen, habent die selben Herren geistlich und weltlich zu Hungern dieselb verschreibung zum andernmall vernewet mit iren aiden, briefen, und sigeln, also begreiffen, das sie mich, und mein erben, sun und tochter, was ich der gewinne, zu rechten Erbherren, und erben des Kunigreichs zu Hungern haben, und halten sollen den gleichen aber die massen und pessen Herren in dem Land zu Hungern dieselb verschreibung vernewet, und besigelt haben, da ich wittib ward, und ee ich meinen sune gewesen was - - -*

hemia infestarent. A quibus tametsi vehementer Polonum abhorrere Hungari non ignorarent, periculo tamen haud ſeta propterea cautum videbatur, quod & hostis ex superioribus victoriis ferox immineret, & parum præsidii a regina ad retundendam vim ſperarent. Neque placebat, quod aliqui rebantur, exſpectari oportere, quoad poſito utero, quid enixa eſſet, ſciretur: nam ſi feminam peperiſſet, haud ſublatum, ſed mutatum duntaxat periculum videri: ſin marem, ab infante, quoad adoleſceret, nullum rei publicæ auxilium afferri poſſe. Tum ſi tutores puero darentur, facile futurum, ut, qui conditione prius pares fuiſſent, dignitatis æmulatione in contraria ſtudia abriperentur, ac dum inteſtinis ſcinduntur factionibus, ſpatium hoſti præberent, non modo ad invadendam Hungariam, ſed penitus ſubjugandam: verſari ante omnium oculos finitimorum Principum exempla, quos aut ſervitutem, aut clientelam ingratis profiteri conſtaret. Legendum igitur reginæ, & regno virum, qui dignitate idoneus, & ad propulſandum hoſtem, ſi quid moveret, par omnino eſſet. Neminem autem videri aptiorem Wladiſlao Polono, qui haud ita pridem puberem ætatem ingreſſus ſit, & conjunctis Poloniæ cum Hungariæ viribus, ſatis ad res cum domi, tum foris tuendas auctoritatis, & potentiæ habeat. Conſilii hujus auctorem Joannem Hunnadem fuiſſe comperio, jam tum ſupremo Tranſilvaniæ magiſtratu ac Banatu, ut noſtri vocant, Severinenſi, rebusque bello geſtis inſignem. (30) Itaque ad Eliſabetham, Budæ tum commorantem, itum eſt: quid Proceribus in tam difficili, ambiguoque rerum ſtatu videretur, prolixe expoſitum, datumque illius arbitrio, ut quod rei publicæ ſuæque intereſſe exiſtimaret, conſtitueret. Regina, in quam partem ſe daret, anceps, Dionyſium Szécſium, quem haud ita pridem Archi-Epiſcopi Strigonienſis dignitate exornarat, virum magnæ prudentiæ, tum fidei, ad ſe acciri jubet, hujus conſilio ſtaturam ſe promittit, obteſtata, ut regni ſtudiis rationes ſuas ita temperarent, ne ſibi, aut, quam utero geſtabat, proli quidquam injuriæ, ac detrimenti crearetur. Re diu multumque deliberata, ita pleriſque, nec imprudente, aut invita regina, convenerat, ut dotale regnum cum Eliſabetha Wladiſlao offerretur: ſi poſito onere, puerum regina ederet, hic Auſtriæ, ac Bohemiæ præeſſet: liberi contra novi regis in Hungaria rerum potirentur. His in hunc modum conſtitutis, oratores in Poloniam deſignare placuit, Joannem Epiſcopum Segnienſem, Matthæum de Thalocz, Dalmatiæ, Croatiæ, ac Sclavoniæ Banum, Joannem de Peréry Tavernicorum, Ladiſlaum de Palocz, curiæ regalis, ac Emericum de Marczali Dapiferorum magiſtros: adjectæ literæ XV. calendas Februarias ſignatæ, quibus fidem Proceres faciunt, Legatos quidquid de conſtituendo rege acturi eſſent, Eliſabethæ, ac ſuo nomine acturos eſſe. (31)

Nondum Oratores Poloniam attigerant, cum regina octavo calendas Martias puerum Comaromii enixa eſt, Ladiſlaum poſtea, quam ab Dionyſio Archi-Epiſcopo Strigonienſi ſacro fonte ablutus fuiſſet, nuncupatum. (32) Scitulus infans, & qui maternum avum, patremque vultu referret, Proceres Eliſabethæ addictos, mirifice recreabat, ſenſimque eorum, quæ feciſſent, pœnitentiam animis plerorumque ingeſſit. Ulricus Ciliæ Comes, Friderici filius, qui ſe tutorem poſthumo fore, ac ſummam rerum obtenturum credebat, tempore utendum ratus, ſingulos captare cœpit, & quantam puero injuriam intuliſſent, prolixe exponere. Indignum prorſus videri regem aliunde accerſere, cum domi jam natum haberent, cui prius, in lucem quam eſſet editus, fidem dicto ſacramento promiſiſſent. Non impune id Deum laturum, cujus interpoſita religione, infantis matrem regni heredem

Anno Christi 1440.

Et Wladislaum Polonum accersi in regem placuit.

Edito postumo post Ladislao posthumo.

U u 2

(30) CALLIMACHUS in rebus Wladislai lib. I.

(31) Idem ibid. tum epistola Wladislai ad Fridericum Imp. ſcripta. Tom. II. Analect. Biblioth. Auguſtæ Vindobon. pag. 830. & MS. Diplomatar. Polon. apud Cl. Sommersperg Tom. II.

(32) Ita enim inſcriptio Templi Parochiani Coſſoviæ Gothicis litteris exarata habet. *Anno Domini MCCCC XL in die cathedræ Beati Petri Apoſtoli circa auroram in caſtro Comarom ex præclariſſima regum proſapia - - natus eſt Princeps glorioſiſſimus, Dominus Ladislaus, verus rex, ac heres in ſucceſſionem horum regnorum, & Ducatuum hereditarie poſſidendorum - - -*

Annus Christi 1440.

redem constituerat. Neque Fridericum, quem Imperii Principes Romanorum Regem creassent, commissurum, ut puer, cui sanguine conjunctissimus esset, paterna haereditate privetur: bellum instare necessarium, nisi Legationem ad Wladislaum missam infectam reddant: id reginam vehementer cupere, praeterea que, se tam propere, nec, explorata satis re, Optimatum voluntati consensisse. Rogatos velle, ut missis celerrime nuntiis, Legatos ex Polonia revocent, quoad concilia regni ordinibus coram exponeret, quid animo interea constituisset. Fuere multi, qui ea in re gratificandum reginae censebant, imprimis Dionysius Strigoniensis Archi-Episcopus, cum Ladislaus Gara, ac plerique, si Episcopum Agriensem demas, ex Rosgoniis, magistratibus plerique insignes. (33) Quare ex templo nuntii decreti, qui maximis itineribus in Poloniam contenderent, referrentque Oratoribus, reginam puerum enixam esse, velleque, ut suppressis, quae prius dederat, mandatis reverterent. (34)

Inde factionum domesticarum origo.

Haec, ut supra indicavi, post VIII. calendas Martias acta fuere: serum tamen id consilium erat, quod Legati, postquam renitentem aliquamdiu Wladislaum, ut ne oblatum regnum aspernari velit, exorassent, reginae, ac totius regni nomine polliciti sint, ad futuras Maji calendas corona ornatum iri; idque publicis tabulis VII. idus Martias Cracoviae vulgatis facturos se recepere. (35) Eadem Proceribus Hungariae, qui Wladislao studebant, mens, & concors sententia fuit. Nam cum primum, quid Elisabetha cum Cilegensi, ceterisque Optimatibus ageret, comperissent, ut erant Budae collecti, unanimi consensione litteras IV. idus Martii ad Legatos suos dedere, quibus non modo ratam Wladislai electionem habent, sed regem praeterea orant, ut quam posset celerrime ad capessendum regnum in Hungariam advolaret. (36)

Proceres Hungari dignitatem Wladislao confirmant.

Wladislaus, quanquam illi Hungarorum in se voluntas gravissima esset, veritus tamen, ne aut occulta machinatione regnum ambisse videretur, aut molestiam sibi propterea apud Bohemos, & Austriacos conficeret, quos reginae, ac posthumi partibus studere perspicuum erat, literas ad Fridericum Romanorum regem dedit, quibus & obtentam recens dignitatem illi gratulatur, & quem in modum Hungariae regnum consequutus sit, explicat; impense orans ut se eadem, qua patrem suum, amicitiae significatione complecti velit. (37)

Qui properis literis Fridericum Caesarem convenit.

„ Serenissimo Principi, Domino Friderico, Dei gratia Romanorum regi
„ electo, ac Duci Austriae &c. Fratri nostro carissimo, Wladislaus tertius eadem
„ gratia Rex Poloniae, electus regni Hungariae, Lithuaniaeque Princeps supre-
„ mus, & haeres Russiae &c. salutem, fraternamque caritatem, & prosperos ad
„ vota successus. Serenissime Princeps, frater noster carissime, gratulabundo ad-
„ modum audivimus animo, quae de felicitatis vestrae fortunatis eventibus pri-
„ mum fama volante, & demum fide dignorum relatione, his currenti-
„ bus diebus ad audientiam nostram fuit perlata. Intelleximus siquidem, quali-
„ ter reverendissimi in Christo Patres, & illustrissimi Principes, Sacri Romani Im-
„ perii Electores Serenitatem vestram, in regem Romanorum concordi voce, &
„ sententia elegerint: & laeti sumus, vos alti generis Principem ad tantae di-
„ gnitatis fastigium feliciter evectum, qui merito de sacrosanctis summi Pontificis,
„ Vicarii Jesu Christi manibus Imperii Sacri, & Monarchiae mundi susciperet dia-
„ dema. Proinde quoque Princeps praeclarissime, Serenitati vestrae congratula-
„ mur, & congaudemus sincero cordis affectu, tum pro illo naturali instinctu, qui
„ nos cognationis proximitate conjunctos tenet, tum etiam, quia hujusce modi Se-
„ renitatis vestrae sublimationem plurimum confidimus, magnum consolationis mu-
„ nus Ecclesiae sanctae Dei partituram. Verum certam, & indubitatam in corde
„ no-

(33) Patet id ex diplomate Ladislai Posthumi de Anno 1453. ut suo tempore referemus.

(34) CALLIMACHUS loco cit. & domestici passim.

(35) Diplomata MS. Polon. apud CL. SOMMERSBERG Tom. II.

(36) Ibidem.

(37) Tom. II. Analect. Biblioth. August. Vindobon. pag. 830. ex Codic. MS. Caesar. CCV. fol. 303

nostro de vestra Serenitate gerimus fiduciam, quod etiam vice reciproca de nobis audire felicia affectamus. Eidem Serenitati vestræ præsentium serie declaramus, personam nostram, vacante regno Hungariæ per obitum serenissimi divæ memoriæ Principis, Domini Alberti, olim Romanorum, & Hungariæ per regni ejusdem Prælatos, Principes, Barones, Comites, Nobiles, & civitatum, locorumque communitates unanimi desiderio electum esse (38) Qui pro confidentia hujusmodi electionis solennes Ambasciatores suos, videlicet, Reverendissimum in Christo Patrem, Dominum Joannem Episcopum Segniensem, ac Magnificos Dominos Matkonem de Talocz Dalmatiæ, Croatiæ, & totius Sclavoniæ regnorum Banum, Johannem de Perény Magistrum Tavernicorum regalium, Ladislaum de Palocz curiæ regalis Magistrum, ac Emericum de Marczali Magistrum Dapiferorum regalium, & Comitem Siculensem &c auctoritate, & mandato sufficienti fulcitos ad nostram præsentiam in civitatem Cracoviensem his novissimis diebus transmiserant, ubi & nos electionem hujusmodi, & in dono altissimi amplitudo dominiorum regni Poloniæ nobis ad plenum suppetit ad dominandum, tamen, ne vilicamus divinæ voluntati contra ire, & fidei Catholicæ curam negligere, de consilio Prælatorum, & Baronum nostrorum pro honore regis æterni, quo auctore omnium disponuntur gubernacula regnorum, proque fidei suæ augmento, & bono statu regni illius, tot insultibus ethnicorum, & blasphemorum Crucis Christi afflicto, consensum nostrum præbuimus, omnem spem nostram in ea re in solius misericordia Dei clementia ponendo, cujus causa in hujuscemodi negotio agi potissimum videtur, ubi & nobis cum magna confidentia pollicemur, quod in his, quæ nos pro defensione fidei Catholicæ aggredi, atque pro tempore contigerit, & vestræ serenitatis, & ceterorum regum, Principumque Catholicorum opportuna præsidia non debeant deesse. In qua re & id magnopere felicitati utriusque nostrum arbitrata nostro videtur conferre, quod Serenitatem vestram fortuna nobis effecerit vicinum, ut, quemadmodum sanguinis propagatione, sic etiam simus connexi dominiorum propinquitate, per quam mutuis potentiis nostris robur, terrorque hostibus nostris accedet.

Sane Princeps Serenissime, quia certa relatione nostrorum didicimus, quod nonnulli hostiles incursus fierent in confinibus Ducatus vestri Austriæ, & Hungariæ regni, per homines, & subditos vestros, & e regione nostros, per quod non nisi depopulatio partis utriusque paratur, Serenitas vestra, de qua, ut de amico, & fratre nostro magnam semper, & nunc majorem habemus fiduciam, dignum censuimus, partes nostras offerre, quatenus, ut hujuscemodi conflictus conquiescerent, prout nos nostris jussimus, ita & vos vestris subditis demandare velitis, & maxime illi de Liechtenstein signanter affectamus. Dignetur Serenitas vestra ab impugnatione Comitis Ciliæ gentis armorum potentiæ vestræ cohibere, & hæc omnia in sufferentia pacis nostra contemplatione suspendere, quoad nos, auspice Deo, de proximo ad regnum id venemus, dabimus enim operam, quod hujuscemodi omnes differentiæ, & displicentiæ qualitercunque exortæ, optimis modis cum nostrorum Prælatorum, & Baronum consilio, complanabuntur adeo, ut nulli precium relinquetur, de altera materia conquerendi, exigit (39) profecto, tum impellit religio, extorquet natura, & affectio persuadet, ut nostras nosmetipsos potentias, & copias supportamus, ipsas magis contra hostes nostros, & præsertim fidei sanctæ æmulos, & blasphemos Christi convertamus, quibus tanto terribiliores superioresque viribus erimus, quanto submotis cunctis simultatibus, unione, fœdere, & charitatem

(38) Et tamen Elisabetha in laudata epistola ad eundem Fridericum ita de hoc scribit: *Nachdem als der allmechtig Got meinen sun lebenden auf die erd bescheffen, und sein geburd laut kundik wart, und da ich es den Herren, die gen Polan gesand waren, verkundett, darauf ward der von Polan von etlichen Land Herren, die nicht die wirdigsten, und die pesten sind, zu Kunig erwelt in Hungern* - -

(39) Exemplar habet: *exilit profecto, cum impellit religio*: sed id obscurum reddit sententiam, atque arbitrabar, ut feci, corrigendum esse.

Anno Christi 1440.

„ tui nutuæ ampliores fuerimus amatores. Atque omnia, quamvis Serenitatem
„ vestram benivolam esse non dubitamus, & pro votis nostris sincere affectamus,
„ si tamen super his Serenitas vestra aliquid scripserit, gratum nobis computabimus,
„ & acceptum. Datum Cracoviæ XII mensis Martii, anno Domini MCCCCXL. „

Albertus Austriacus Ladislao tutor constituitur.

Fridericus nihil his litteris motus, posthumum, ut postea referetur, acriter tuendum suscepit, tametsi ea in re majores partes auri cupiditas, quam amicitia haberet. Ceterum Elisabetha rem hinc evasisse cernens, ut divisis in factiones Proceribus turbas oboriri necesse esset, peeroque metueret, diligenter cum Alberto Austriæ Duce egit, ut & filii partes tutoris nomine amplecti velit, & Austriæ interea curam susciperet. Acta res per nuntios est, & diplomate confirmata, cujus hæc fere capita sunt. Albertus puero tutor esset. Austriæ qua supra, & infra Anasum fluvium porrigitur, ditius nomine regeret: arces fundosque quos reginæ in dona loco mariti olim tribuisset, iisdem cura sua complecteretur: reditus tamen sibi servatos velle: præterea fidem faceret, nihil Austriæ ordinibus, quantum ad immunitates attinet, derogatum iri: denique, si Ladislaus sextum ac decimum ætatis annum ingrederetur, tutoris nomen cum dignitate poneret, ac provinciam filio suo restitueret. Datum Comaronii IV idus Aprilis, anno Domini MCCCCXL. (40) Sed pacta conventa haud multo post, ob exortas inter Fridericum Romanorum regem, & Elisabetham dissensiones, rescindi oportuit, quemadmodum in loco exposituri sumus.

Polonia Hungariam appropinquante

Hæc inter Proceres Hungari, quod Wladislaus venire tergiversaretur, indicto Budam conventu nova de evocando rege decreta tertio calendas Julias condidere. (41) Retinebant Wladislaum, & insolitum reginæ factum, quo reduces ex Polonia Legatos carceri manciparat, & turbæ, quæ aliæ ex aliis in Lithuania nascebantur. Quibus ad extremum compositis, constitutisque, qui per absentiam suam Poloniæ, ac Lithuaniæ vicaria potestate præessent, ingenti Procerum, & militum numero stipatus iter versus Hungariam ingressus est. Prima castra Kesmarki ex composito statuit, ut quid in Hungaria ageretur, ex nuntiis intelligeret. Ibi regem Simon Rozgonius Agriensis Præsul post interceptum insidiis Eperiesinum privatus convenerat, hortatoque exstitit, ut abrupta omni mora maturaret, labascere in dies reginæ partes, Procerum, ac Nobilium animos Polonis vehementer affici, uteretur tempore, & reliquos in fide nutantes præsentia sua sibi conciliaret. His permotus Wladislaus in Hungariæ interiora profectus, magnis itineribus Agriam tenuit. (42)

Regina puerum diadema Albæ coronari jubet.

Regina cum Polonum appropinquare comperisset, periculo trepida, Proceribus, quos suas partes sectari norat, conventum Albam indicit, venturam se isthuc cum filio, adessent frequentes, & pro suo in patriam studio, re, & consilio se adjutum irent. Facile quid animo regina agitaret, intellectum est; nec inviti erant, si puer, quem hæredem prius legitimum declarassent, corona redimitus, regni possessionem adiret. Ladislaus Gara Vissegradensis arcis, in qua sacrum illud depositum servabatur, Præfectus Elisabethæ precibus non ægre flecti se passus est, & diadema Albam deportari jussit. Confluxere in urbem præter Dionysium Strigoniensem Antistitem, Episcopi Jaurinensis, & Vesprimensis; ex profanis Ladislaus Gara, Nicolaus Vilackius, Ladislaus, & Emericus Kanisa, tum Joannes, Osvaldus, Raynaldus, Stephanus, & Laurentius Rosgonii, ac frequentissimus Nobilitatis ordo. Infantem Dionysius oleo delibutum, materque tenens ex ritu gentis Pentecostes die (43) corona insignivit: in cujus loco Ulricus Cileje Comes sacramentum ordinibus dixit, leges, ac immunitates regni sartas, tectasque conservatum iri. Nicolaus autem Vayvoda puerum militari bal-

teu

(40) Ex sanction Tabular Augustæ Domus Apographum germanico idiomate inseruit Tom. II. Analect. Biblioth. Vindob. Cl. KOLLARIUS.

(41) Diplomatar. MS. Polon. apud Cl. SCHMEIZELIUM Tom. II.

(42) CALLIMACHUS loc. cit.

(43) Laudata Cassoviensis Templi inscriptio ita habet: *Eodem etiam anno, hoc est 1440 in festo Pentecostes, sacra regni Hungariæ corona cum solemnitate in Alba regali legitime coronatur*

teo munxit. (44) Regina peracto ritu Wissegradum cum Proceribus rediit, ubi dum coronam pro more recondunt, tanquam futurarum rerum præsaga, famulæ suæ astu, sacrum diadema inspectantibus Optimatibus dexterrime subductum, in suam potestatem vindicavit. (45) Quod factum tametsi feminæ in tam arctis rebus condonari utcumque possit, ingentium tamen postea litium, ac bellorum semen fuit.

Anno Christi 1440. Corona quæ subducta est.

Ut primum de coronato Albæ Ladislao Poloni, &, qui hos sectabantur, Hungariæ Proceres compererunt, nihil morandum rati, auctores Wladislao erant, ut Budam regni Metropolim præoccuparet, ne, si in reginæ potestatem, ut metus erat, concederet, susceptus hactenus labor frustraneus, & manis esset. Datum id negotium Agriensi Episcopo est, qui cum aliquot Polonorum cohortibus advolans, a civibus haud gravate admissus, Ulricum Ciljeæ Comitem, quem regina eandem ob causam cum quingentis equitibus illuc destinarat, ex Budensi agro submovit. Occupata urbe nihil cunctatus Wladislaus, ut erat frequentissimo Hungarorum, ac Polonorum numero stipatus Budam maxima pompa, & accurrentis populi acclamatione ingressus est. Quæ res non modo reliquos fere Optimatum, qui a regina hactenus stabant, illi sensim conciliavit sed finitimorum quoque Principum Legatos exciverat. Adfuere a Stephano Thomasco Bosnensium rege oratores, qui & obtentam recens dignitatem gratularentur, & fœdus adversum Turcos conficerent. Quibus benigne responsum, Wladislaum a fœderibus non abhorrere, differenda tamen videri, quoad pacata omni Hungaria consilus modus, & tempus daretur. Tum Georgius quoque Serviæ Despota, ditionibus nuper a Turcis exutus, Legatos suos miserat, non tam amicitiam, quam gratiam postulaturos: cujus viri casum cum Wladislaus miseraretur, fidem Legatis fecit, se Despotam, si partes suas sectaretur, eadem, qua olim ab Hungariæ regibus altus erat, munificentia complexurum.

Qui cœperint Poloni Budam occupant.

Secundum hæc placuit generalem conventum regni ordinibus Budam indici, in quo non solum de coronando novo rege, sed de rationibus etiam, quibus regina ad amplectendam pacem adduci possit, in commune statueretur. Quo comperto Nicolaus Transilvaniæ Vayvoda comutato repente animo ad Wladislai partes secessit, suoque exemplo provinciam, cui præerat, ad Poloni obsequium traduxit. Dionysium contra Strigoniensem Archi-Episcopum, & Ladislaum Garam difficiliores expertus Wladislaus, auctor Optimatibus fuit, ut eos data publica fide ad conventum invitarent: verebatur enim, ne quod magna illorum in regno esset potentia, & auctoritas, quidquid in Comitiis decretum fuisset, eorum absentia irritaretur. Itaque missæ ad utrumque litteræ, quibus cautum erat, si venire, ac consultationi interesse velint, impune venturos. Sed venientibus fides minime servata est: in custodiam traditi, nec prius dimissi sunt, quam Archi-Episcopus se regem inauguraturum, Ladislaus autem in ejus fide mansurum pollicitus essent. (46)

Electionem illi celebrant.

Elisabetha, ubi hæc ex nuntiis intellexisset, tametsi animo ægra erat, nusquam tamen situ excidit, communicatisque cum Ulrico Ciljejensi consiliis, nuntios Cassoviam, & ad reliquas urbes, quæ obsequium Wladislai detrectarunt, misit, qui cives in fide confirmarent, & auxilia, quæ propediem ex Bohemia adfutura speraret, opemque pollicerentur. Adfuere haud multo post non temnendo numero illhinc suppetiæ magnis Ducibus, quive pro Ladislao omnia periclitari constitutum habebant, & bellico apparatu egregie instructæ. Ex his Georgio, & Joanni Giskræ Montanas urbes cum summo imperio tuendas tradidit. Axinthum, & Telesum Scepusiensi, & Cassoviensi, agro præfecit: ipsa, communito Jaurino, & hujus præfectura Ulrico Ciljejensi tradita, Posonium, unde desperatis rebus facilis erat in Austriam aditus, cum puero rege contendit. (47)

Elisabetha auxiliis Bohemorum suppetiis res suas tuetur.

Atque

(44) ÆN. SYLV. in rebus Friderici III. hactenus ineditis Tom. II. anal. Biblioth. Vindob.

(45) Idem ibid. Gerardus de Roo Hist. Austr. Lib. V. ÆNEAS SYLVIUS epistola 402.

(46) ÆNEAS SYLV. Epist. LXXXI.

(47) Idem ibidem. BALBINUS Epit. rer. Boh. Lib. V. cap. III.

Annus Christi 1440. Chroni auctoris de rebus eorum temporum narratio.

Atque hæc a domesticis Scriptoribus fere prætermissa, aut leviter perstricta reperio. quæ ne quis temere a me huc congesta existimet, operæ pretium est, Æneæ Sylvii epistolam, quam ad Pataviensem Episcopum tum, cum hæc fiebant, dederat, quantum ad res, quas hactenus narratione complexi sumus attinet, annexere (48) *Reverendissimo in Christo Patri, & illustri Principi Leonardo, Episcopo Pataviensi - - Æneas Sylvius Secretarius Imperialis - - salutem plurimam dicit. Quoniam res Hungaricas post obitum Divi Sigismundi partim videris, partim audiveris usque in hanc diem, quo pacto sint gestæ, scripturus tamen ego nunc aliqua de Hungaris, tibi magis, quam tuæ dignationi talia dirigam, non scio. Nam & si vera scripsero, auctoritatem epistolæ dabis, & si falsum aliquid intercederit, lima tua eradetur. Referam ergo brevissime, quod meus solet, ut sciant posteri, & a quibus impugnatum Ladislai regis Hungariæ jus fuerit, & a quibus defensum, ac ipse postea, cum grandiusculus fuerit, nostra legens scripta, si quando illa in manus suas devenerint, qui de se bene, & qui male sint meriti, sciat, ut illis præmia, & illis, si se humiliaverint, veniam tribuat, pertinaces autem in pœnam rapiat. Est enim Principis officium parcere subjectis, & debellare superbos. Sed ne modum propositæ brevitatis excedam, narrationis hoc principium erit. In Hungaria mortuo Sigismundo, gener ejus Albertus, Dux Austriæ regnum suscepit, qui dum variis bellorum strepitibus fatigatur, demumque caloribus insuetis se miscet, contracto morbo, relicta Elisabeth uxore prægnante, brevi tempore exstinctus est. Hungari more hominum, qui novitatibus oblectantur, regnum adeunt, regnum amplissimum, multisque hostibus circumdatum rege carere non posse ducunt, Viduam quoque nubere admonent, exoriquam denique Wladislaum Poloniæ regem adhuc ephebum vocari. Illa, etsi partum expectare cuperet, ubi tam precibus lucem furor vegat, oratores mitti annuit, qui Wladislaum accersant, eumque legem adjiciat, ut si marem enixa pariat, nulla legationi vis insit. Dum Legati viam faciunt, priusquam Wladislaum conveniant, pariente regina Ladislaus Alberti filius nascitur, fœtulus infans, & in orbe toto nobilissima progenies. Scribitur Legatis, ne quid ulterius attingant. Ladislaus apud Albam regalem ex Dionysii Strigoniensis Archiepiscopi manibus coronam, quam beati Stephani fuisse, sacramque putant, unctus recepit. Nicolaus autem Vayvoda Transilvaniæ militem olio conculit, eumque gladio cinxit. Legati in Poloniam missi spretis reginæ jussis, sive corrupti auro, quis enim non munere vincitur, seu Teutonici nominis odio, nam rara inter eas gentes concordia est, tanquam nihil de puero fieret, Wladislaum accedunt, promissoque regno in Hungariam ducunt, sibique Budam in adventu tradunt. Subditur e vestigio regnum, & hinc regina puerum d[e]fendente, inde Polonis impugnantibus, infinitæ rapinæ, cædesque fiunt. Nicolaus Wayvoda Transilvanus, sive novarum cupidus rerum, sive reginæ lacessitus injuriis, quam enim non fidem contemptus frangit, ad Polonum defecit. Et quia ubi fortuna favet, illuc & favor hominum inclinat, intra paucos dies major Procerum pars Wladislaum sequitur. Erat Wladislaus adolescens, quamvis facie, & corpore deformis, liberalitate tamen, & animi magnitudine dignus laude. Alloquebatur populum absque interprete, quos virtute præstantes viros novit, muneribus sibi conciliavit. plura donavit, quam sibi retinuit. Itaque dives in modum regis, videri tamen pauper poterat. Nulli rei difficili, atque periculosæ se ipsum negavit, quibus artibus, & vulgi, & nobilium animos conciliavit. Fit ergo conventus regnicolarum apud Budam, vocantur utriusque partis Prælati, atque Barones, tanquam de communi totius regni utilitate sit tractandum. Et ne quis venire formidet, literæ salvi conductus quibuslibet accedentibus exhibentur, sub quarum fiducia, & Dionysius Archi-Episcopus, & Ladislaus Banus de Gara Budam proficiscuntur. Sed nulla est regni societas - - nulla pietas, fidesque locum habet, ubi dominium quæritur. Capiuntur igitur Archi-Episcopus, Banusque, licet coactum, & amplius fidelis si se tutos arbitrarentur, & usque mortem subire velint, alter coronare novum regem, alter jurare, & fidelitatem Polono promittere coguntur. Quod si neque Cato fecisset, neque Regulus, qui vitam submittebant honori, non tamen improperandum hoc est nostro tempore, si propter vitam*

(48) Epistol. LXXXI.

Anno Christi 1440.

tam facimus, quæ non videntur facienda. Nec enim hi hodie sumus, qui pro justitia cœpta nostra ponamus, quamvis & statutum est propter justitiam mori, si nullum justitiæ commodum, nullumque juvamen mors ipsa contulerit. In reginæ partibus Albertus Dux, Ulricus Ciliæ Comes, consilio maturus, Giskra Bohemus munciis se ver fidei, cum nonnullis civitatibus, & aliquibus Baronibus permanserunt. Sed regina, cum se debiliorem videt, imparemque Polono, filium parvulum cum corona ad Fridericum Cæsarem transmittit, sibique patruelem commendat. Arcis Episcopus autem Bonusque, ut primum libertati redditi sunt, ad reginam redeunt, quia non potest esse diuturnum, quod violentum est, nec stabile fieri potest, quod animis promittitur invitis. Hactenus Æneas, cujus deinceps etiam quod rerum ea tempestate gestarum magnam partem spectator erat, inseruturum, ubi usus erit, sequemur.

Jaurinum a Polonis obsessum.

Postquam ex Hungaria reginam excessisse compertum est; placuit Jaurinum obsidione prius premi, quam ductis operibus ad defensionem urbs se se compararet. Itaque conflato ex Hungaris, & Polonis exercitu, Ducibus Joanne Hunnade, & Sandivojo Ostrorogeo cœpta obsidio est. Præerat urbi Ulricus Cilejanus, qui præsidiarios ex veteranis fere Bohemis arci imposuerat; his breviter admonitis, quantum Elisabethæ interesset, si locus is illi servaretur, quantumque gloriæ sibi parituri essent, si Hungaros re infecta solvere obsidionem cogerent, præfecturam urbis alteri credidit, sibi Posonium ad reginam necessarium esse, ut nova inde supplementa laborantibus mittat, re autem ipsa, quod consiliorum fere auctor reginæ fuisset, male sibi ab Hungaris metuens, fugam meditabatur. Confirmatis in sententia præsidiariis intempesta nocte cum paucis ex urbe evadit, & superato Arabone Posonium versus accelerat, cum obsidentes id quod erat, suspicati, aliquot equitum cohortes in fugientem immittunt, mandantque, ut Hungari, viarum gnari, prævolarent, exitus intercluduri, Poloni sequerentur, ac in latera divergerent, ne qua elabendi modus, locusque esset. Senserat Ulricus insidias: itaque suas edicit, ut faciles se capi permittant, dominum in urbe restitisse affirmarent: ipse in silvam, quæ profundissima erat, se se immergens, fugam pertendebat. Sed errore viarum deceptus, cum illuxit, sui indicium manantibus omnia Hungaris dederat: igitur ex fuga retractus, ac Budam ad Wladislaum deductus est. A quo, quamquam liberaliter haberetur, tamen quod eo uti nihil ad faciendum cum regina fœdus cuperet, in honestam custodiam traditus est. Atque hic fere obsidionis fructus fuit, quam paullum post, quod Bohemi urbem summa virtute tuerentur, solvi necesse erat. (49)

Fruge dum Cilejensis evadere nititur,

Captus ad Wisiae Budam adducitur.

Interea coronando rite Wladislao omnia apparantur, & præstituto inaugurationi die Ladislaus Gara, quem ad Poloni partes transisse narravimus, coronam, ac reliqua ornamenta, quibus reges ornare mos est, Albam jubetur deportare. Atque hic primum dolus, quem regina apparasset, cognitus est. Suspicio in Garam conjecta, quasi prudens, volensque ea in re feminæ subservivisset, vixque a vulneribus, & cæde temperatum, nisi Wladislaus datam ab se homini fidem prætexens maleficium avertisset, præfectura tamen cedere jussus, ac custodiæ traditus, triduo post rege vim, & injuriam deprecante, liber dimissus est. Dehinc diu, multumque variantibus sententiis certatum, quem in coronando rege modum, ritumque sequi oporteret. A vetusta enim consuetudine, & quæ ad id tempus religiose servata fuisset, recedere, videbatur piaculo non carere: coronam autem a regina extorquere, arduum omnino, nec pro temporis habitu sperandum erat. Itaque in id conventum, ut corona, quæ divi Stephani, primi Hungariæ regis, caput exornatum, ad insigniendum regem uti fas esset. Quo constituto Wladislaus XVI. calendas Augustas, adhibitis ex ritu ceremoniis, summa omnium consensione coronatus est. Quo loco nihil alienum videbatur ab Annalium ratione facturi, si, quas olim inaugurationis mos Albæ regiæ obtinuerit, & a quo hodiernus, quem Poloni usurpari novimus, nihilo fere differt, in exterorum gratiam referamus. *Sacrificante, qui in Hungaria summus est Pontificum ar-*

Hunc sublata priore corona, Proceres novo inaugurant.

Inaugurationis ritus

 cum-

(49) Callimachus loco laud.
Annal. Reg. Hung. Pars III.

Anno Christi 1440.

consistentibusque omnibus, ad quos regis pertinet nominatio, in templo, quod augustius est in Alba regali, ad altare, sistitur, qui est rex futurus, statimque a Canonicis exuitur: deinde Pontifex precationes solemnes prorat, quibus regno, regique, cujus caput dextera tenet, Deum propitiet, veniamque, & pacem impetret, ut publice, ac privatim, sibi, oppidis, viis, civitatibus, populis, nationibus fauste, ac feliciter vivat, geratque regnum, facultates, fructusque multiplices, fovet, & imperium propaget, auctoritatem denique, & gloriam augeat. Tum manus ejus, dorsumque arcano oleo perungit, & mox vestiri jubet. Ornato deis sacris indutus crucem in primis tradit, per quam significari volunt, jus Apostolicae Legationis, in designandis Episcopis, ab ipso initio regibus Hungariae permissum ab Romano Pontifice. Deinde sceptrum, pomumque aureum, & vexillum, regia insignia exhibet, & unius cujusque inter tradendum sacris verbis interpretationem prosequutus, tandem prolatis in medium regni legibus, insistitque exigit, ut in verba ipsorum juret. Ille ubi, in quae concepit Pontifex, verba juravit, illico coronatus suggestum ad id praeparatum conscendit, & plerosque in equestrem ordinem cooptat, ut intelligatur, regnum ab armis auspicari, nihilque prius, majusve apud reges esse oportere, quam rationem, incrementumque militaris disciplinae, ceteta ornare illam, tueri, & augere imperia. In eodem apparatu postea procedit ad templum, Divis Petro, & Paulo consecratum: ibi in tribunal se recipit, & controversias aliquot audit, & decidit, ut secundum rem militarem, justitiam prae omnibus colendam & sciat, & doceat. Tandem sublatus in equum, postquam civitatem lustraverit, progreditur extra portam ad Divi Martini aedem, turrimque illic altissimam conscendit, & quam maxime potest, protenso extra turrim brachio, ad quatuor mundi partes nudatum ensem porrigit, quasi undiquaque regnum tutaturus, aut certe illius fines, & nomen propagaturus . . . (50)

Posthumi coronatio ab Hungaris edicto irritatur.

Haec fere olim in coronandis Hungariae regibus consuetudo, & ratio quae postquam Wladislaus eadem ab Dionysio Strigoniensi Archi-Episcopo inauguratus fuisset, ex universorum, qui convenerant sententia decretum, ut corona divi Stephani cum sacris exuviis loculo recondita, ad futuros reges initiandos, si sacram recuperari non contingeret, deinceps servaretur. Posthumi coronatio conceptis verbis abrogata, & tabulae eodem die conditae, quibus & facti rationem reddunt, & cavent, ne praeter Wladislaum Hungari regem alium habeant, salutentve. Eae in haec verba sempere sunt. (51)

In quam sententiam vulgatum fit.

„ In nomine sanctae, & individuae Trinitatis, Amen. Nos Praelati, Barones, Milites, Proceres, & Nobiles totius regni Hungariae, cum efficacissima „ facultate communitatem ejusdem repraesentantes, ad perpetuam rei memoriam. „ Multum clare cognitum coram nobis constat obtutibus, praedecessorum nostrorum consummatis hucusque temporibus, rei publicae diligentiam, & ejusdem „ utilitatis operosam advertentiam, hoc in regno felici fuisse actum solertia, & „ ex ejusdem directione tam provida, quam utili non parvum, imo maximum „ in Christiana religione commodum viguisse. Quae etsi plerumque in temporum „ mutabilitate, ut assolet, nunc impugnationibus diversis, nunc vero aliorum aemulorum injectionibus in se immissae adversitatis seminarium pertulerit, & fortunae variae ventilabro utcunque agitata fuerit, aeque tamen successit ea, quae „ semper, animorum identitas, & voluntatum recuperata unanimitas, ut haec ipsa, „ quae visa fuit interdum ad publicam utilitatem conducere, accuratius ordinari, „ & disponi, illa vero, quae communis taciturnitatis, & diffidii materiam inimicitiae agnita fuit, providentiae sarculo exstirpari, & evelli felicius curabantur. „ Quo pacto & nos, qui praesentium temporum diu cursum vitalem deducimus, „ oportune arbitrati sumus, cum pari modo, & per nos mutari operam debere, „ quatenus res hujus regni, & nostra juxta modernorum qualitatem agendorum,

„ &

(50) CALLIMACHUS scriptor prope synchronus loco laudato. At ubi sacrae aedes, quarum hic mentio injicitur, sitae fuerint, quanquam vestigia diligenter scrutatus sim, fere incertum est, adeo vetustas omnia corrupit.

(51) DLUGOSSUS Hist. Pol. Lib. XII.

Annus Christi 1440.

„ & temporum, sicuti provide fit, & salubriter regi, ac in melius, auctore Domino, dirigi propensius cognoscatur.

„ Siquidem mortuo nuper, & de hac vita sublato, quondam Illustrissimo bonæ memoriæ Principe, Domino Alberto Romanorum, & hujus regni Hungariæ immediato, dum generali in civitate Budensi congregatione celebrata, cognoscentes regnum hoc, quod plurimorum æmulorum, & præcipue paganorum impugnatur incursibus, idoneo, & habili Rectore carere non posse, missisque communi voluntate, assensuque Serenissimæ Principis, Dominæ Elisabeth, reginæ Hungariæ, præfati quondam Domini Alberti regis relictæ, prout hoc ex litteris ejus clare constat, quam etiam omnium nostrum, ad serenissimum Principem Dominum Wladislaum, regem excelsum Poloniæ, solennibus Ambassiatoribus, & nunciis nostris, eundem tanquam Regem, Curatorem, & Rectorem hujus regni, communi desiderio electum, ad hunc locum, primum pro honore Dei, & fidei sanctæ Catholicæ augmento, & deinum pro utilitate nostra ad suscipiendam coronam ejusdem regni invitassemus, & diligentius instantes induxissemus, quo tempore intermedio præfata Domina Elisabeth regina ex adverso, æmulorum, & verius externorum hominum, intestini belli viam potius aperire, quam præcludere cupientium freta consilio, & præsumtam intentionem removens, satagensque, & volens hoc regnum, & nos regimini infantuli, dicti quondam Domini Alberti regis, nati posthumi, hoc est, post ejus obitum in lucem editi, parum nostri, & regni ejusdem necessitati succurrere potentis, subjicere, ad impediendamque prætactæ electionis, & coronationis utile opus toto nisu anhelans, sublata clandestine de castro Wissegrad corona illa, qua hactenus reges Hungariæ coronari soliti fuere, pridem ante dictum infantem, vix adhuc trimestrem, præter omnium nostrum voluntatem, ad hoc sponte concurrere debentium, atque contra consuetudinem hue usque in simili retentam, absentibus etiam omnibus apparamentis sacris, nec non gladio, sceptro, pomo, & cruce Legationis sanctissimi Stephani, primi regis nostri, multo amplius in perniciem, quam utilitatem nostram, cum eadem corona sublata coronari, si sic dignum est, fecit, & procuravit; atque ipsam continuo coronam, proh dolor! vice versa recludens ad locum, hactenus nobis incognitum (1), in crudele omnium nostrum derogamen transmisit, seu asportavit.

„ Ob hoc nos nunc altera vice, in multitudine tam copiosa, quantam memoria omnium præcedentium regum coronationis tempore non comprehendit, congregati, matura plurium dierum deliberatione habita, ex quo corona illa supra tacta, prævia ratione, ut opus erat, tam facile ex nunc haberi non potuit, volentes, & consultius cupientes necessitati nostræ, & regni hujus, cujus pro nunc confinia per insultationem inimicorum, paganorum videlicet, & aliorum morsus asperos continuo lacerantur, opportune prævidere, considerantes etiam potissime, quod semper regum coronatio a regnicolarum voluntate dependet, ac efficacia, & virtus coronæ in ipsorum approbatione consistit, videntes nihilominus regnum hoc idoneo regis sublimatione carere non posse, eundem serenissimum Dominum Wladislaum regem pari voto, & communi desiderio, alia corona aurea operis vetusti, Beatissimi Stephani regis, Apostoli, & patroni nostri, in theca capitis Reliquiarum ejusdem, hucusque multa veneratione conservata, insiguimus, disposuimus, & decrevimus debere coronari; quam coronationem die hodierna, invocata suppliciter spiritus sancti gratia, & ejusdem, ut pie credimus, instinctu, cum peractione publica, & manifesta omnium illarum ceremoniarum, quæ ad eandem, & ejus efficaciam, & solennitatem concurrere debuerunt, induto præfato Domino rege nostro illis omnibus paramentis, & indumentis sanctissimi primi regis nostri, atque oblatis eidem, ac manibus suis traditis, gladio, sceptro, pomo, ac cruce Legationis

„ ejus-

(1) Itaque errant, qui vivo adhuc Alberto, coronam ab Elisabetha sublatam scribunt.

Anno Christi 1440.

„ ejusdem sancti regis, nec non omnibus alia necessarie, absque omni defectu, præter solam sublatam coronam prætactam, feliciter consummavimus, & præconceptum auspice Deo conduximus ad effectum decernentes, pronunciantes, & declarantes per hæc scripta, ipsam modernam coronam, & coronationem, omnem illam virtutem, & efficaciam, illudque robur per omnia habere, & habituram, ac si prætacta prior corona capiti dicti Domini nostri regis fuisset imposita, & per eandem loco modernæ, hæc ipsa coronatio fuisset expedita, ita, quod ipsa, priori corona absente, &, si eadem recuperari non poterit, omnis deesset efficacia, ac quodlibet signaculum, mysterium, & robur ejusdem in hanc modernam coronam intelligantur, & harum serie de omnium nostrum, quorum coronæ merita discutere, probareque, & improbare interest, voluntate cognoscantur esse transfusa, dantes nihilominus, & pari voluntate, & decreto tribuentes præfato Domino nostro, nunc coronato regi plenissimam illam facultatem, & potestatis plenitudinem in faciendis gratiis, ac donationibus, & confirmationibus perpetuis, & ad tempus collationibus, & locationibus Bonorum, & officialatuum, atque munimentum officialibus, & Baronibus regni. Item in disponendis Prælaturis, ac beneficiis Ecclesiasticis, tam majoribus, quam minoribus, ac recompensandis meritis fidelium, quibuslibet quoque infidelibus, & delinquentibus, secundum unius cujusque demerita puniendum, nec non in faciendis, emendandis, & exercendis judiciis, exercendumque, agendum, dirigendum, & concludendum in omnibus his, quæ ad reges Hungariæ, suos Prædecessores, & eorum facultatem quomodolibet, consuetudine videlicet, aut (jure) pertinuerunt, ac si idem præfata priori nunc sublata corona fuisset, ut moris existit, coronatus.

„ Proposuimus tamen, istis sic stantibus, eandem priorem coronam cum ipso Domino nostro rege unanimiter toto posse, & omni diligentia, loco cognito conservationis ejusdem, exquirere, atque dante Deo recuperare: adjicientes communi voluntate, quod in casu, quod eadem corona prior hujusmodi diligentia nostra, quod Deus avertat, recuperari non posset, ex tunc a modo in posterum futuris semper temporibus, universorum regum Hungariæ, hinc succedentium coronatio cum prætacta, alia, puta, moderna sancti regis corona, in ea solemnitate, prout solitum est, absque omni immutatione peragatur. Volumus consequenter, & disposuimus, ut hæc ipsa corona moderna inclytum nostrorum regum insigne, sub diligentissima custodia deinceps teneatur, & honorifice relinquatur, reponaturque hæc eadem corona, illa priori absente, &, si eadem recuperari non poterit, sufficiens, & cum apparamentis, & aliis attinentiis, supra tactis per omnia competens, ad omnium futurorum regum coronationem faciendam. Hoc tamen specialiter declarato, quod, si Domino cooperante ipsa prior corona recuperari vice versa poterit, eadem suis, decore, virtuteque, & efficacia minime frustrata habeatur. Quam modo decrevimus, eandem pristino honori restitui, atque in locum priorem reponi. De hac autem moderna corona supra tacta tandem in isto statu disponetur, prout ante dicto Domino nostro regi cum consilio nostro utilius videbitur expedire. Ne autem respectu, & divulgatione prætactæ aliæ coronationis, si sic dicendum est, super per præfatam Dominam reginam, quoad antelatum infantem, nobis ex tunc, ut prædiximus, inutilem factæ, & habitæ alicujus discordiæ hoc in regno materia generetur, eandem pari decreto tanquam quæ præter omnium nostrum voluntatem spontaneam peracta est, irritamus, & cassamus, ac nullius volumus esse, & dici efficaciæ, & virtutis.

„ Postremo, ut hæc omnia præmissa, tanquam utilitati nostræ communi in præsenti necessitatis tempore, per omnia congrua robur obtineant perpetuæ firmitatis, ne unquam aliquorum pravis oneantibus eadem retractari, vel immutari valeant, statuimus, & pari decreto conclusimus, & promulgavimus, præsentiumque serie promulgamus, & decernimus, ut, si temporum processu aliquis, vel aliqui coronæ regni Hungariæ subditus, seu subjecti, sive ex Prælatis, sive ex Baronibus, aut militibus, seu nobilibus sit, vel existat, pri-

„ mum

„ eorum praemissae ex auro multis rationalibus ex causis comprobatae coronae,
„ & coronationi detrahere, aliis dispositionibus, conclusionibus, & ordinationibus supra specificatis, seu cuipiam ex eis verbo sensuso, aut opere, & facto, suggestioneque, & incitamento, seu affectu, sinistre, directe, vel indirecte contraire, vel contradicere, seu irritare, retractari, & in irritum revocari procurare praesumserit, seu attentaverit, tales vel talis mox, postquam de eis, vel aliquo horum contra ipsum, seu ipsos certitudo veritatis constiterit, a omnium honorum, humanitatisque, & dignitatum, ac nobilitatum amissione, ablata omni spe gratiae obtinendae, condemnentur, seu condemnati ipso facto censeantur, quodque ultra haec perpetuae, & indelebilis infidelitatis crimen, laesae Majestatis, reipublicaeque turbatoris poenam, & judicium incurrant, omnesque possessiones, & bona eadem, & ipsorum omnium, eis denegata gratia, ad coronam, & Majestatem regiam devolvantur, & devoluta intelligantur, harum nostrarum, quibus sigilla nostra appensa sunt, testimonio litterarum mediante. Datum in Alba Regali XVII. mensis Julii, hoc est, die Dominico proximo post festum divisionis Apostolorum, anno Domini MCCCCXL.

Anno Christi 1440.

Elisabetha, postquam, quae Albae communi Procerum consensu patrata erant, certa fide comperisset, desertam se paene ab omnibus, prodituramque videns, praeterea aeris penuria vehementer laborare, quo & res suas tueri, & nutantes animos confirmare posset, Legatos ad Fridericum Romanorum regem misit, qui coronam regni in pignoris loco deponerent, si is vicissim, quam regina petebat, auri summam, quoad nomen expungeret, largiretur. Facile assensus Fridericus est: igitur litterae utrinque consignantur, quibus Elisabetha fidem facit, se pro his mille, & quingentis florenis, quos a Friderico accepisset, coronam Hungariae pignori dedisse. Hic vicissim intra biennium eam se summam non repetiturum pollicetur: &, ne qua fraus irreperet, pignoris ornamenta, pretiumque singulatim litteris inseruit. Coronam ex puro auro conflatam quinquaginta tres Saphyros, & tribus pauciores Balasios habere: ad haec uno Smaragdo conspicuam, & trecentos, ac triginta octo majoris moduli unionibus interstinctam appendere marcas octo, ac uncias tres. Litterae utraque ex parte tertio nonas Augusti signatae sunt, ab Elisabetha Posonii, Hamburgi a Friderico. (a) Atque hinc, si ita fas est compellare, ruinationis origo; quae, quam charo Matthiae regi olim steterint, in loco referemus.

Regina coronam Hungariae Friderico Caesari oppignorat.

Paullum enim post, quod accepta auri summa minor esset, quam ut ad hunc finis stipendiorum militi suppeditari posset, aut alendo puero regio sufficeret, rursum quinque florenum millia mutuo accepta, & tabulae ad tollendam, quae tutoris causa exorta erat, dissensionem confectae. Conventus Hamburgi ad

Eamque fortius iterum confirmat.

(a) Habetur utrumque diploma autographum Germanicum in sanctiori Tabulario Augustae Domus. Ex Friderici partem aliquam exhibuerunt Annal. Regum Hung. Parte I. Elisabethae contra eorum causa, qui suae modi rerum amictes sunt, integrum ex Tom. II. Analect. Biblioth. August. Vindobon. Cl. KOLLARII referre placuit. *Wir Elisabeth von Gots gnaden zu Ungern, Dalmacien, Croacien &c. Kunigin, Erblog, und Frawe des Kungreichs zu Behem, Herczogin zu Osterreich, und zu Steyr &c. und Marckgrefin zu Merhern, bekennen, und tun kund für uns, und unser Erben, als der allerdurchleuchtigiste Furst, und Herr, Herr Friderich desselben gnaden Romischer Kunig, allzeit merer des Reichs … unser lieber Vetter, uns zu unser furderung, mit freundschaft zu merchlichen unsern notdurften beraut gelihen hat dritthalb tausent newer Ungrischer gulden, und dafür wir im unser Kuniglicke Kron zu einem furphant versetzt haben, in solicher masse, daz er dasselbe Gelt in dem negst kumenden czweien Jaren, von datum des briefs zu raitten, von uns nicht ervandern sol, also geloben wir mitsambt by unser kuniglichen worten, und trewen in kraft des briefs, wenn der ebenant unser Vetter, oder seine Erben, oder wer uns von ire wegenmit disem brief, und mit dem obgenanten furphant der Kron, nach den obgeschriben czweien Jaren ermant zu losen, daz wir dann solche losung von in tun, und die obgenant summ furderlich bezallen sullen, und wollen an alle verzyhung, und widerred ungeverlich, mit urkund des briefs, versigelt wasserlich, mit unserm anhangunden Insigel, der geben ist zu Pressburgk an Mittichen nagst vor sand Oswalds Tag, nach Cristi gepurdt in dem vierczehenhundertistem, und vierczigsten Jar*

Annus Christi 1440.

X. Calendas Septembres indictus, cui praeter ordinum Austriae Legatos Caspares Schlickius, tum duo Saxoniae Duces nomine ex Misnensium sacerdotum Collegio interfuere, qui arbitri partes haberent. Pacta conventa hujus modi fuisse comperio. Albertus [illegible] Friderico cederet. Elisabetha provinciae ordines ab jam jurandi religione, qua se Alberto prius obstrinxerant, solutos literis significaret: hi contra novum Friderico sacramentum dicant. Fridericus vicissim, re, consilioque reginam juvet, seu ad vim propulsandam, seu ad conciliandam cum Hungaris foederis ejus dos salva, ac integra esset. Ladislao infanti quinque florenum millia Hungaricae moduli configurentur: denique tabulas utriusque nomine confirmandas esse. (3) Fridericus tamen, ut erat pecuniae, quam par fuerit, appetentior, haud satis indemnitati iis tabulis cautum esse arbitrabatur: itaque Elisabetha per literas seorsim eodem die scriptas, de quinque florenum millibus conceptis verbis fidem fecit, expangendique nominis rationes rursus in regni coronam rejecit. (4) Verum cum haec quoque alendis Bohemorum copiis, quas in Scepusiensi, & Cassoviensi agro sub signis habuerat, haud satis essent, novem iterum aureorum nummum millia, nono calendas Decembres ab Friderico petiit, accepitque: (5) his quarto nonas Decembris duo ejusdem aeris millia adjecta legas (6) quorum causa, quod quid oppidorum, & arcium dotis nomine in Austria possederat, Romanorum regi, confectis propterea literis Elisabetha inscripsit. Haec eam ob rem memorari a me hic oportuit, ut rationes contracti nominis, ubi ad redemtam a Friderico Imperatore regni nostri coronam ventum fuerit, in promtu habeamus.

1441. Dimissio ... ab Ulrico Calejensi

Haec inter Wladislaus firmatis utcumque domi rebus Ulricum Cilejae Comitem in principio sequentis anni acceptis XXIV. obsidibus, liberum dimisit, ea tamen conditione prius obstrictum, ut nihil inimicum in Hungariam se moliturum reginae causa promitteret, tum ubi mandata a rege acciperet, Budam se rediturum interposita fide polliceretur. (7) Sed is, cum primum libertatem nactus est, omnium, quae se facturum receperat, immemor, collatis cum regina consiliis, hujus partes defendendas accepit. Quare ipsa hieme magnos delectus fieri imperat, & quae trahendo bello necessaria videbantur, diligenter apparari. Cujus conatus dum Elisabetha pro eo, ac vellet, adjuvare aeris penuria prohiberetur, Augustinum de Szalánk, fidum sibi prae ceteris Hungarum ad Fridericum mittit, qui, si octo aureorum nummum millia in belli usus ab rege obtineret, Soproniam urbem pro pignore inscribendi potestatem habeat. Erat urbs Friderico sui peropportuna, quod Neapoli Austriorum fere sedem fixisset: itaque haud gravate assensus est; confectae in eum finem tabulae & V. Calendas Martias signatae (8) quibus ea in primis adjecta conditio, ut si regina, aut Ladislaus hujusque haeredes acceptam auri summam reddere velint, Friderico & qui huic successuri essent, per literas admonitis, integrum sit, trium mensium spatio ab acceptis literis pignus retinere.

Regina accepto ... Soproniam ... Friderico transscribit.

Hunyades Gisram profligat

Videbantur hoc belli nervo res Elisabethae utcunque ex sententia casurae. Nam ex Croatia quoque nuntii afferebantur, Ladislai de Gara studio Dalmatas, ac Croatas Posthumi partibus accessisse, & Giskram acceptis ex Bohemia suppetiis ad Cassoviam magnos ad bellum apparatus facere. Non latebant haec Wladislaum; itaque in omnem partem cura distractus Giskrae Nicolaum Perenyium, Croatis Joannem Hunyadem, Ulrico Calejensium Comiti Banfium de Lindva opponit: ipse Budae substitit, unde consilio & subsidiis, si forte laborarent, subpraesto esset. Ita bellum domesticum veris initio undique recruduit. Hunniades primo quovis tempore in Ladislaum proficisci, ac conciliandis prius animis, quam arma expediret, operam dare jussus, Battam oppidum, ubi Croatas cum La-

dis-

(3) Ex Scrinio Tabul. Augustae Domus, Tom. II. Analect. Bibl. Vindobon. Ad. Kollarii pag. 845

(4) Ibid. pag. 850.

(5) Ibid. pag. 851.

(6) Ibid. pag. 864.

(7) Chron. Ciliejanum apud Hahnium collect. Veter. monument. Tom. II.

(8) Ibidem pag. 870.

dulao castra metari acceperat, magnis itineribus tenuit, castraque castris opposuit. Hic, ut imperatum erat, Garam data per nuntios fide, ut secum pariter conveniret, invitat, addit conditiones se afferre, quæ & cum ipsius decore, & patriæ commodo non inutiliter conjungi possint. Sed illo colloquium abnuente, magisque gladio, quam lingua decernere cupido res utrinque ad vim spectabat. Itaque eductis copiis & in aciem dispositis acerrime concurritur. Gara certamen aliquamdiu fortiter extrahit, & vincendi studio, tum vindictæ cupiditate ob triduanum carcerem, in quem ex Joannis consilio compactus est, vehementer flagrans, qua maxime prælium callebat, ordines instaurat, pugnamque ancipitem reddit, quoad lassitudine confectus miles pedem, tantisper referret non tam fugæ causa, quam ut instauratis viribus novo impetu in hostem ferretur. Senserat id Hunnadis, & tempore usus subsidiarias cohortes, quæ nondum prælii aleam subierant, ipse in fessos ducit. Qua re cognita Croatæ ex bello fugam fecere. Temperatum a cædibus est, ne victoria civili sanguine fœdaretur. Gara quamquam redintegrare pugnam sæpe conatus est, ubi frustra conatus suos esse intellexit, fuga Strigonium ad Elisabetham evasit (9).

Anno Christi 1441

Non eadem fortuna Bansius in Ulricum Ciliæ Comitem usus, qui defixus ad Sabariam castris bellum magis traxit, quam duxit. Id ubi Vitoveczius Ciliejanorum Dux cognovit, ut erat consilio non minus, quam manu promtus, ipse cunctantem, & negligentius, quam par erat, in hostes intentum aggredi constituit. Acie in ordines disposita locum pugnæ eligit, qui sabulo impervius latera tuta redderet, & insidiis quoque pateret. Ita comparato milite pugnæ copiam offert: nostri, qui & numero superiores essent, & frustra alias hostem ad prælium elicere tentarint, temere magis, quam ritu militari ex castris effusi impetum in Ciliejanos faciunt: hi, ut erat mandatum, fortiter dimicantes pedetentim cedunt, quoad insidiarum locum attigissent: ubi ex composito instaurata pugna oborta, ut qui in insidiis latebant, Hungarorum cornua circumvecti a tergo aggressionem molirentur. Deprehensi in medio nostri undique premuntur, nec, quod laxatis ordinibus pugnarent, propulsando hosti pares, in fugam aguntur. Vitoveczius nullo dato respirio fugientibus insistens eodem impetu in castra irrumpit, illisque potitus ingentia spolia, ac magnam captivorum copiam, inter quos Bansius quoque, Ciliejam adducit. (10)

Bansius contra a Ciliejanis capitur

Wladislaus, ubi de strage suorum comperit, non tam acceptæ cladis jactura, quam dedecore angebatur, veritus, ne, si tam parum prospere intra se darent, Hungari sensim pœnitentia ducti ad Posthumum deficerent. Quare instauratis copiis, conflatoque ex Bohemicis auxiliaris exercitu ipse in Ciliejanos movet, certus animi, non prius a bello se destiturum, quam acceptam super ignominiam abstersisset. Castris ad Sabariam Oppidum locatis consilia de belli rationibus inire placuit, quæ dum longius extrahuntur, Vitoveczius majoribus quam ante instructus copiis, castra opponens, communiensque, pœnam initiis reddidit. A neutro universo exercitu in aream descensum, velitationibus duntaxat alterna fere fortuna utrinque dimicatum. Quæ res in causa fuit, cur pacem præ bello utrique mallent: Wladislaum enim tot hostibus circumventum frustra illic adhærere tædebat, & Ciliejani ob amplissimos fundos, quos in Dalmatia, ac Sclavonia possidebant, iram regis veriti, pacis mentionem injici non illibenter ferebant, ut se ex bello, quod nullo pæne fructu gerebatur, honeste expedirent. Itaque missis ultro citroque nuntiis in eas conditiones fœdus coaluit: Wladislaus obliterata injuriarum memoria Ciliejanos in gratiam reciperet, haberetque eo loco, quo Hungariæ Proceres apud reges haberi mos esset, idque jure jurando religione interposi-

Inde pax inter Wladislaum, & Ciliejenses sancitur

(9) CALLIMACHUS de rebus Wladisl. Lib. II.

(10) Chron. CILIEJENSE apud HANTHIUM loco cit.

Anno Christi 1441. Pacta, & conditiones.

posita pollicetur ne gravetur Ciliejani contra nihil regine, aut Posthumi causa vivo Wladislao moliantur, & quam regno deberent fidem, deinceps intemeratam servent. Tabulae in haec verba confectae sunt. (12)

Nos Wladislaus Dei gratia Hungariae, Poloniae, Dalmatiae, Croatiae rex, Lithuaniaeque Princeps supremus, ac haeres Russiae, ad futuram rei memoriam. Volubiles rerum effectus diversa plerumque pereuntium causarum calle gradientes, non semper eo diriguntur more, quo humanitus praeordinantur ordine, sed praeconceptorum eventuum causas ulteriore fine alterante doctrix ratio, quae saepius juxta qualitatem occurrentium mutatis occasionibus urgentibus, & arbitrati propositi effectus evacuat, sitque in procuranda pace sedulior, quietem eligens commutui praeferre labori. Licet itaque diebus his retroflexis, quibus nos pro adeptione totalis ejusdem regni Hungariae dominii, ad quod legitime electi, vocati, & consequenter coronati sumus, obstacula emergentia eliminando laboravimus, inter alios coronae hujus regni nostri subditos, Illustres Principes Fridericus, & Ulricus Ciliae, Ortenburgae, & Tagorae Comites, partem Dominae Elisabeth reginae, statum pacificum ejusdem regni turbantis, vovendo contraria voluntate nobis obstiterint, propter quod nos adversum praetactos Fridericum, & Ulricum Comites, eisque adhaerentes gravem animum ferentes, eos nostro favore frustrari intendebamus, tamen, quia ex nunc ductis inter nos, & praelibatos Fridericum, & Ulricum Comites certis tractatibus, sopitis pro bono pacis hactenus emersis differentiis & amplexa uni concordia, dictum incommodum vitare volentes, pleno eosdem Fridericum, & Ulricum comites favore prosequi utilius arbitrati sumus, quam discordiarum incommoda cum jactura regni fovere. Idcirco, ut & ipse Fridericus & Ulricus comites de nobis, & favore nostro regio certiores effecti, majorem ad observandam fidelitatem habeant occasionem, die hodierna hic in Sabaria oppido Episcopatus Jauriensis, matura deliberatione & determinato consilio, sincero corde, & puro affectu, in praesentia honorabilis Domini Martini de Thyffer, & egregii Joannis Meisenreuter de Pakenstein, Cancellarii, ex parte antefatorum Friderici, & Ulrici Comitum Ciliae, vigore mandati eorundem ad audiendum, & recipiendum a nobis infra scriptum juramentum missorum, tactis corporaliter vivificae crucis ligno, ac sacris sanctorum reliquiis in forma subsequenti juravimus, & in haec verba.

Ego Wladislaus Rex praefatus juro vobis honorabili Domino Martino, & egregie Joannes Cancellarie, hominibus dictorum Friderici, & Ulrici Comitum hoc juramentum mei ex parte recipientibus, quod ab hac die in posterum temporibus affuturis, praefatis Friderico, & Ulrico Comitibus ac eorum posteris, tanquam, & ut veris, atque legitimis membris coronae regni Hungariae, mihique fidelibus, & fidelitate subjectis, ipsisque adhaerentibus, consimiliter meis fidelibus, regali benignitate favorabilis semper ero, & gratiosus, omnem animi mei motum, seu indignationis rancorem, quos contra ipsos Comites aut eorum alterum, vel ad eos pertinentes, undecunque, & quandocunque praeconcepissem, simpliciter deponens, atque mitigans. Item, quod eosdem Fridericum & Ulricum Comites velut praemissi membra regni mei contra omnes & singulos ipsorum adversarios, & aemulos, ac inimicos, praesentes videlicet, & futuros, cujuscunque status, praeeminentiae, & conditionis sint, sive etiam tales amici, vel consanguinei mei existant, mea potentia mediante semper juvabo, tuebor, & defendam, nec favores meos ab iis, Friderico scilicet, & Ulrico Comitibus, seu eorum altero, in quocunque eventu, verbo & opere abstraham, non procurabo consilium, nec assentiam eidem, ubicunque contra ipsos, Fridericum, & Ulricum Comites, ac eorum alterum in detrimentum, seu periculum status, & personarum ipsarum tractabitur, & agetur, sed omnium ad eos, ac eorum alterum, eisque adhaerentium regali benignitate mea, & gratiam, favoremque regium eis, & eorum alteri impendam, omniaque in aliis inscriptionibus inter me, &

(12) Ex Archiv. Aulico Graecensi fundo 39. Fasc. 6. Num. 5.

Anno Christi 1442.

„ & ipsos Comites contenta, & conclusa implebo, & servabo sine fraude & dolo.
„ Ita me Deus adjuvet, Beatissima ejus Genitrix MARIA, signumque vivificum
„ sanctæ crucis, & omnes Sancti, & sancta Dei evangelia. In quorum omnium
„ robor, & testimonium præsentes concessimus litteras nostras pendentis Sigilli no-
„ stri munimine roboratas. Datum in descensu nostro campestri exercituali prope
„ oppidum Sabariæ feria quarta proxima post festum Paschæ Domini anno ejusdem
„ MCCCCXLI. „

„ Et nos Simon de Rozgon Episcopus Agriensis, regiæ Majestatis supre-
„ mus Cancellarius, Joannes Varadiensis, Petrus Csanadiensis Episcopi, Nicolaus
„ de Wylak Wayvoda partium Transilvanicarum, Banus Machoviensis, & Co-
„ mes Themesiensis, Marko de Palocz regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, & totius Scla-
„ voniæ Banus, Emericus de Marczali Comes Siculorum, & de Wereucze,
„ Simon Zudar, de Olnod Pincernarum, alter Simon de Palocz Agasonum re-
„ galium Magistri, Michael Orszag Thesaurarius regiæ Majestatis, consiliarii præ-
„ fati Domini regis promittimus ipso Domino nostro regi, & pro eodem harum
„ serie in verbo veritatis, sub fide, & honore, quod præfatus Dominus noster Rex
„ omnia præscripta per eum, & promissa, & assumta observabit, & explebit, &
„ nos toto posse, & omni consilio, inducemus eundem ad omnia illa observanda,
„ & explenda, nec unquam dabimus eidem consilium, ex quo posset horum
„ præmissorum conductorum contrarium quoquo modo generari, harum testimonio
„ litterarum mediante, quibus juxta regale Sigillum, & nostra ex utraque parte
„ Sigilla sunt appensa. Datum ut supra. „

Profligatis ab Hunniade Turcis,

Ex quo facile refelluntur, qui Ulricum Cilejensem non nisi defuncta Elisabetha, ex Budensi custodia emissum scripsere. Ceterum cur Wladislaus, copiis egregie instructus, nulla re tentata pacem cum Cilejensibus inierit, illud in causa fuisse ferunt, quod Joannes Hunniades, in cujus virtute militari, ac peritia spes omnes reponebat, adversum Turcos in Transilvania militem movisset. De quo haud multo post, quam foedera fuissent confecta, lætissimus nuntius advolarat, barbaros conserto ad villam S. Emerici fortiter prælio, ex provincia, Hunniadis virtute, ejectos esse; cæsa XV millia, ceteros captos & fugatos, castra cum impedimentis ac bellicis machinis, tum incredibilem spoliorum vim in nostrorum manus venisse. (12). Quare mire lætus Wladislaus profectionem Cassoviam indixit. Pacata enim reliquis provinciis hæc una fere supererat, quæ obedientiam detrectaret. Bohemi, qui Posthumi nomine illic rerum potiebantur, summos lacessendo metum per omnes vulgabant, ut adeo, cum Perennius, quem rex illis opposuerat, terrendo, aut profligando hosti impar esset, ipse Wladislaus hanc belli partem sibi sumendam existimaret. Giskra, qui Hungarorum consilia jam multo ante animo præceperat, non modo urbem diligenter ad defensionem comparavit, sed accitis ex Bohemia auxiliaris bellum inferre, non propulsare meditabatur. Facto obsidioni initio summa vi utrinque Cassovia oppugnabatur, & defendebatur, cumque obsessi in principio crebras eruptiones fecissent, feroque regis inferiores ex arena excederent, placuit urbem lenta obsidione ad faciendam deditionem cogere; præsertim, quod major esset intus hominum numerus, quam pro annonæ copia, spesque haud inanis affulserat, obsessos, quos fœdis carnibus ingluviem satiare constabat, sponte deditionem facturos: sed auxiliarii, qui ex Bohemia Kesmarkium jam advenerant, rationes has penitus turbavere: profligato enim Perennio recta in regios movebant, veterani omnes, & bello Hussitico exerciti. Itaque soluta metu obsidio est, fugaque nostrorum reditus fugæ, quam receptui similior. Hinc iræ in Montanas urbes, quæ pecuniam Posthumi nomine signarant, & in agrum Poso-

Rex frustra Cassoviam obsidet

Y y

(12) BARTOSIUS in Chron. Tom. I. Monum. Cl. GELASII DOBNER e Cler. Reg. Pr. Schol. ad hunc annum ita scribit: *circa festum Paschæ Turcorum magna multitudo venerunt, potenter in Hungariam ad confinium. festum castrorum ... & Hungari congregati in eos irruerunt, & eorum circa XV millia interfecerunt, & alii fugerunt. Sic Domino Meinhardo de illis periculis scribebatur pro certo.*

Anno Christi 1441

nensem conversæ. Andreas Trenchinensis Tirnaviam occupare jussus, ut commisso adversus eum loco, Posoniensium procursionibus modum poneret. Tenebat urbem reginæ nomine Ladislaus Farkassius, arcem contra Stephanus Rozgonius pro Wladislao: hinc mutuæ in dies velitationes, quæ fere a civibus secunda fortuna fiebant, quod occupata per regios Tirnavia metu obsidionis, fervatis futuro tempori viribus, a dimicatione sibi temperarent. (13).

Regina Posonii retinens suspectus a Viennensibus accipit.

Id ubi Regina certis indiciis comperit, Ladislaum Farkassium, & Paulum Maltzhoferum Posonio Viennam legat, qui suo nomine consulem urbis, civesque orarent, ne se, & urbem discrimini proximam destituere velint, sed milite, machinis, commeatu, ac reliquo belli apparatu pro vetere in se studio, ac fide adjutam irent. Re in consilium adducta mira voluntatum conspiratione decretum est: mille pedites Reginæ mitti oportere, cui urbs stipendium pro more suppeditaret: tum erecto vexillo cuivis liberum, integrumque fore, ut nomen profiteatur: commeatum parabili pretio cuivis Posonium secundo Danubio deferre fas fit: machinarum, ac pulveris pyrii tantum propediem affuturum, quantum tolerandæ obsidioni satis esset (14). Tam liberalis Viennensium in reginam voluntas munifice cives ad vim arcendam, si quæ ingrueret, confirmavit. Fuerint autem illius aliquando usus, an contra, quod obsessum Posonium nuspiam legerim, non habeo, quod in utramvis partem definite pronunciem.

Hæc in ter Bohemiregnum Bavariæ Duci offerunt

Dum hæc vario non minus animorum æstu, quam eventu rerum in Hungaria geruntur, nihilo res pacatiores in Bohemia fuere. Ab Alberti excessu frustra habita de constituenda republica comitia, placuit universos regni ordines Pragam concire, ubi de eligendo rege sententiæ rogarentur. Miserat illuc Legatos quoque Elisabetha, inter quos Procopius Rabensteinius, equestris dignitatis vir, multaque literarum cognitione, ac humanitate præstans, facile princeps erat. Is quanquam multos ex Proceribus Ladislao æquiores fecisset, tamen quod plerique sententiis inter se magnopere differrent, nihil quod ad summam rei faceret, promovit. Trahebat enim Hungarorum exemplum, qui spreto puero, virum legissent, & sustinendæ dignitati parem, & ad tuendam rem publicam impigrum promtumque. Itaque post longam disceptationem visum est, legationem ad Albertum Bavariæ Principem mittere, eique regnum certis quibusdam conditionibus committere. Sed ea spe Bohemi præter omnium exspectationem exciderę. Albertus quippe, quanquam humanissimas Legatis gratias ageret, quod se in tanto Principum numero dignum nobilissimo regno judicassent, non commissurum tamen, ut Alberti Cæsaris sobolem, ac legitimum regni hæredem, jure suo per summum nefas despoliet, qui & necessario sanguinis vinculo secum colligatus, & injuriam si adolesceret, ulturus esset. Digna Principe vox, &, si verum fateri licet, vel hoc solo nomine regno digna, quod oblatum sponte recusavit. Sunt qui a Friderico prius admonitum scribant, ne Bohemis morem eatenus gereret, alii conditiones, quæ afferebantur displicuisse ferunt (15). Utcunque id sit, Fridericus, quod Elisabethæ alias promiserat, Posthumi partes tuendas fortiter suscepit, scriptisque ad Papam literis, graviter eum cohortatus est, ut pro sua in Christianos auctoritate pupilli causam tueretur (16).

Ea de causa Fridericus Cæsar Posthumi partes apud Papam tuetur

„ Fridericus Dei gratia Romanorum rex semper Augustus Sanctissimo Pa„ tri Domino Eugenio Papæ IV. salutem plurimam dicit. Etsi non dubitemus
„ Apostolicam sedem, tanquam veritatis doctricem, justamque vitæ Magistram,
„ quorumlibet juribus favorabilem esse, nullaque prorsus injuriam facere, quia quid
„ quid ab ejus solio manat, justitiæ lancibus libratur, & æquitate: non tamen abs re
„ fore putamus, aliqua per nos scribi beatitudini tuæ, quibus jura serenissimi Prin„ cipis Ladislai Hungariæ regis, patruelis nostri charissimi, pueri, pupilli, & Or-

pha

(13) CALLIMACHUS loc. cit. Et Publ. Act. Comment. Civitatis Vindobon. Tom. II. Ambros. Biblioth. Aug. pag. 1026.

(14) Ibid. pag. ead. & 1030.

(15) BARTHOLDUS in Chron. Bohem. Balb. Epit. Rer. Boh. Lib. V. Cap. III. GERARDUS de ROO Hist. Austr. Lib. V.

(16) Apud GOLDASTUM in append. document. pag. 151

„ phani commendatum efficiamus, & eorum, qui ficta pro veris referunt, impiis re-
„ sistamus conatibus. Sat enim beatitudo tua, patruelem nostrum præfatum, qui post
„ obitum divæ memoriæ patris, & antecessoris nostri Alberti, Romanorum, & Hun-
„ gariæ, Bohemiæque regis, in utero materno posthumus remanserat, ut primum na-
„ tus fuit, & sacri fontis unda renatus, adhibitis ex more solemnitatibus, veram
„ Hungariæ, Bohemiæque ferventius est suscepisse coronam. Nunc autem, sicut ac-
„ cepimus magnopere quidam instant, ut sua sanctitas titulum regni hujus, in alium
„ transferat, multa illinc emolumenta, tum sanctitati tuæ, tum regno præfato pro-
„ venientia dicentes, quæ licet nullatenus Apostolicum movere credamus, quia
„ nullum commodum est tam ingens, pro quo bene vendi justitia possit, miran-
„ dus est tamen eorum conatus, qui ex alieno incommodo suum quærentes commo-
„ dum, altissimi sanguinis puerum, & paterno, & avito regno cupiunt spoliare. In-
„ quum profecto & abominabile facinus. Fecerit enim alius quivis magnalia, sit po-
„ tens, sit aptus regimini, sit per aliquos accessus, ut lumus ista discutere, nec cum
„ injuria volumus loqui cujusquam, nulla tamen ratio suadet, huic puero suum ad-
„ imi regnum, qui si propter se non esset magni putandus, ei tamen propter
„ facta paterna, universa Christianitas favorabilis est. Quis enim nostri temporis
„ homo est, qui patris hujus gloriosis conflictus, tum contra Turcos, tam contra
„ Hussitas, non audiverit. Debent præterea & huic puero favorem præbere avi
„ sui clarissima gesta, & illa Ecclesiæ unio Constantiæ reparata, tum vero & Ca-
„ roli IV. & Henrici VII. quorum ultimus hic sanguis est memoria Cæsarum.
„ Taceamus inclytæ Domus nostræ Australis opera, tam pro Imperio, quam pro
„ Ecclesia in favorem fidei per nostros, & hujus pueri progenitores edita. Quæ
„ tamen non compati deberet innocenti puero, parentibus orbato, vero Hunga-
„ riæ Regi, ac hæredi. Insanæ profecto mentis, & animi trucis sunt, ac totius
„ hostes justitiæ, qui tam generosum puerum regno privare, & jus tam clarum
„ conculcare nituntur. Sciunt tamen & illi ipsi, qui talia petunt, inhumanum esse,
„ quod optant atque ideo exstinctum puerum, & nusquam inveniri confingunt, ut
„ vel hoc colore regni titulus in alium derivetur. Sed aliud reperitur, vivit enim
„ Rex Ladislaus, ac fausta, & felici fruitur sospitate, festus puer, atque formo-
„ sus. Is est in nova civitate vicinus Hungariæ, adireque ab hominibus potest,
„ qui ejus visendi sunt cupidi. Spes & nostra, & omnium est, antecessorum suo-
„ rum virtutes in hoc puero revicturas. Quæ omnia tuæ Beatitudini recensemus,
„ ne per sinistras suggestiones aliquid ex curia tua valeat extorqueri, quod huic
„ patrueli nostro posset esse nocivum, atque puerum illum omnibus imperii Prin-
„ cipibus sanguine junctum, Apostolicæ sedis favore tua sanctitas prosequatur. Sit
„ igitur hic Rex pupillus in tuo conspectu recommendatus, sit ante oculos tuæ
„ mentis sua generositas, sua ætas, sua puritas, suorum memoria prædecessorum,
„ & hujus justitiam, ex qua non inania & ficta, sed vera, & ampla utilitas Apo-
„ stolicæ sedis redundare potest, amplecti atque tueri velis. Datum Viennæ anno
„ MCCCCXLI. „

Non obscure patet Wladislaum his literis præcipue peti, de quo dubium ea ætate obortum comperio, verene, ac legitime an contra regio titulo gauderet, quod nec solita regni corona insignitus fuisset, nec satis momenti viderentur, Sacramentum, quo Proceres Ladislao Posthumo se prius obstrinxerant, solvi tam temere oportuisse: qui contra Wladislao favebant, & procerum decreta, & regnum consensu, & præsentissimo, quod a Turcis instabat, periculo se tuerentur. Quæ ne quis de nihilo aba me prolata putet, juvat Æneam Sylvium, Friderico Cæsari jam tum familiarem, quive cum Sbigneo Cardinale, & Cracoviensi Episcopo crebris literis id argumentum tractabat, in medium adducere. *Sed audis* (Ita Sbigneum, qui Wladislaum tuebatur, Æneas refellit) *pauca, quæ me obsistere tuis dictis impellunt: dicis prioribus meis epistolis, nobilissimum adolescentem Wladislaum Poloniæ Regem, fuisse consilio vestrum regnum Hungariæ occupasse hoc durum, & a vero remotum tua dignatio esse contendit, affertque rationes, quæ justum illum Hungariæ Regem possint ostendere, quarum maxima illa est, quia defuncto Alberto, regna,* &

Wladislaus ob acceptam dignitatem, invidiam sibi apud finitimos conflat

Y y 2

Anno Christi 1441

& universi regni aulæ Wladislaum Regem asseruerint, cujus ope, & auspicio Catholica fides, & regni populus ab infestationes Turcorum defendi possit, qui tunc Hungariæ vicini illudes quam plurimas inferebant. Addis, & Oratoribus, qui ob eam causam missi fuerant, apertum dictum aperis exstitisse; quod regina prægnanti ex Alberto remansisset, non licere Regem in externum regnum transire, illosque confirmasse, quod quod petitionibus rerum objiceretur vitiis. Insuper & decreti captum, quo regni Prælati, & Proceres, quæcunque adversus coronationem Wladislai dici possent, irrita esse definiunt. Fateor omnia ista ita gesta esse, ut scribis, neque de tuis dictis ademo quidquam. Sed audi, quid me moveat. Dico Albertum Hungariæ Regem fuisse mortemque, relicta uxore, obiisse, natumque Ladislaum ejus filium. Addo ego, & coronatum regem prius, quam Wladislaus, ejus Hungariam ingrederetur. Quid hic dicemus? num quod regem suo filium paternum teneri debeat? quis exclusio regis filio, regnum possidens non dicitur occupator? aut successioni locus est apud Hungaros, aut electioni, cum regi vero filius in promtu est. Si patri succedit filius, non video, quid juris in Wladislaum popularis electio transfuderit: si regium electio facit altrobus tua parte victoriam. Mihi tamen, qui reges si mori affirmant succedere patribus, apud Hungaros in regno filius injussu populi decuit, idemque Romanorum Pontificem dispensasse Apostolicas demonstratur opinionis. Neque menti meæ satisfacit, quod de Turcis in medium proponis tanquam necesse fuerit pro regni salute, pro Christi nomine tuendo regem habere, qui regeret. Namque si hoc permittimus, rarus patri succedet in dominatu filius. Poterat Wladislaus, si zelo fidei succensus erat, si vicinorum salutem consulere volebat, & pupillo infanti regnum conservari, ac veluti tutor vicem regis regnum administrare (17). Hæc Æneas: quæ propterea, ne posterorum memoriam fugerent, inserere Annalibus placuit.

Friderico Cæsare oblatam dignitatem renuente,

Bohemi spe sua, præter quam existimabant, dejecti iterum convenientes Legatos ad Cæsarem mittunt, *precantes tutorio nomine sui regnum accipiat. Is in Regnum si iturum dixit, coronæ suscipiendæ gratia, cum redierit, de ea ipsa transacturum. Reversum potentissimi ex Bohemia Proceres adeunt. Inter quos Ptasco cum esset Alberti filio infensus, seorsum Fridericum alloquitur, regem ut se ipsum faciat hortatur, facili id futurum, si tutelam pupilli rejiciat. Nam cum cæteri desint, Bohemis suapte ingenio regnum sibi oblaturos, cui ex fœdere tanquam seniori Austriæ Principi debeatur. Negavit Fridericus Orphanum, cujus tutelam gereret, hæreditatem se quoquo pacto invasurum: nec tamen Bohemiam tutorio nomine administrare voluit, quam sine profusione magna pecuniarum retinere non poterat. Nam Bohemi, nisi ex regibus quotidiana munera accipiant, ab officio recedunt, neque est regnum cujus fiscus abundat. Regiæ possessiones in privatas manus pervenere, argenti fodinæ, unde ipsi reges in immensum crevere, majori ex parte periere: distracti census, vectigalia prorsus exstincta, nisi populares in festivitas regios peculium conferant, quam vocant Bernam, aut rapere unde vivat, regem oportet, aut precario regentem incedere. Suasit igitur Fridericus, ipsi ut per se provinciam regerent, donec pupillus adolesceret, donatosque oratores ab se dimisit.*

Bohemi Gubernatores legunt.

Domum reversis Gubernatores eligere placuit, inter quos Ptasco, & Meynhardus priores habiti (18). Quibus ob dignitatis æmulationem haud diu convenerat, quoad Ptasconis mors brevi interveniens exortas turbas sopivisset. Huic Georgius Podiebradius, jam tum rei militaris peritus, rebusque fortiter gestis clarus, in Magistratu subrogatus est, indeque via complanata ad Bohemiam sive obtinendam, seu invadendam. Hæc tametsi alia alius temporibus evenere, cogenda tamen in unum erant, ut res Hungaricæ, ex Bohemicarum contentione magis illustrarentur.

Elisabetha filium cum corona repetit.

Sub hæc Elisabetha quorundam Procerum accessione res suas utcunque stabilivit. Nicolaus Zedar magnæ in regno auctoritatis, deserto, incertum quam ob causam, Wladislao regiæ partibus, cum bona Nobilium parte accessit, auctorque fuit, ut filium cum corona a Friderico repeteret. Id enim in causa fuisse hactenus contendit, quo minus Optimates ad fidem rediissent, quod & regem apud exteram gentem commorari, & sacerrimum regni pignus in alienis manibus esse

(17) Epistola 40?

(18) Idem Hist. Boh. Cap. LVIII.

esse impatienter ferrent, redituros continuo ad obsequium, si utrumque regno restitutum conspicarentur. Persuasa his regina nuncios in Austriam mittit, qui litteras propterea ad Fridericum deferrent, darentque sedulo operam, ut regem in omnem partem versarent, quoad rebus iis, quarum causa isthuc irent, potirentur. Litteræ in hanc sententiam scriptæ erant. Se, postquam comperisset, Fridericum peregre ex Austria abiturum, etiam, atque etiam orare velle, ut filium, & quam anno abhinc in pignoris loco dedisset, coronam fidei suæ crederet. Vereri se magnopere, ne quid per ejus absentiam, aut malo dolo, aut forte fortuna fieret, ex cujus jactura infanti spes omnis ad recuperandum regnum adimatur. Scire eum qua religione Hungari ad diadema prosequerentur, magnam ad filii sui partes accessionem futuram, si & in sua manu esse, & in Hungaria morari nossent. Ad hæc prolis educationem ad neminem magis attinere, quam matrem, teneri se incredibili cupiditate visendi pueri, quem abhinc, quam in lucem editus esset, nec contueri satis, nec fovere potuerit. Daret igitur id sibi pro vetere in defunctum conjugem amicitia, & filium cum corona in Hungariam remitteret, mansuram facti gloriam apud posteros, & filium ubi adoleverit, beneficii magnitudinem, si non pensaturum, illius certe memoriam ex animo nunquam positurum esse. Datæ Posonii feria VI. post Divi Francisci, anno MCCCCXLI. (19) Fridericus tamen nec pupillum, nec coronam sine reddita auri summa, quam mutuam reginæ dederat, restituit. Quorum prius domesticum, aliud externum illi postea bellum conflavit, ut, ubi nos res admonuerit, referre non omittemus.

Anno Christi 1441

1442. Bohemi expilata Agria cladem accipiunt

Regina postquam hac spe dejecta fuisset, res suas tanto curabat diligentius, quanto minus a Friderico præsidii affuturum viderat. Et dabant se anni sequentis initia utcunque feliciter. Giskra in hostem conatus acerrime intentus, postquam intellexisset, Polonos cum Hungaris, qui soluta Cassoviensi obsidione, ad Agriam consederant, licentius, quam aut temporis ratio, aut finitimi hostis vigilantia patiebatur, hilariter agere, occasionem rei gerendæ neququam ratus intermittendam, Telesio in mandatis dat, ut contractis copiis, quam posset, maxime occultis itineribus isthuc proficisceretur, urbeque direpta, pro temporis, & locorum ratione bellum circumferret. Ita futurum ut hostis metu correptus sua potius tueri, quam aliena invadere malit. Se in Scepusiensem agrum, expeditionem moliri, ut Oppida, quæ obsequium detrectabant, penitus in potestatem redigeret. Illuc, si parum prospera fortuna uteretur, totum receptum fore, sive ad instaurandas vires, seu ad rem communiter agendam. Telesius cum expedita manu urbe egressus, ut hostem magis falleret, obliquis itineribus, & nocte, contentissimo gradu profectus, citius ad Agriam adfuit, quam hostem sentire possent, citraque moram ante diluculum muros nullo aspiam obsistente transcendit: tum injecto de industria in domos igne, & signis canentibus inermes, sopitosque aggreditur. Direptio potius, quam cædes fuit, dum enim cives semisomnes vix arma expedirent, Telesius direptis Polonorum curribus plerisque, cum ingenti rerum, hominum, & jumentorum præda retro abiit. Ubi somnus cum trepidatione discussus est, Hungari juxta, ac Poloni pudore suffusi, conscensis celeriter equis hostem insequuntur. Senserat id Telesius, cumque ob currus præda graves & fatigatum nocturno itinere militem de fuga desperaret, paucis suos cohortatus, obviam Polonis quadrato agmine venit, priorque pugnam auspicatus non modo assilientium vim fortiter repulit, sed facta in oppositos impressione ordines nostrorum quoque perrupit, fuitque spes victoriæ haud dubia, nisi numero equitum, non tam victus, quam lassatus fuisset. Inde fugam hostis respicere, in qua multi trucidati, Telesius cum præcipuis Bohemorum, & Austriorum captus, prædaque omnis recuperata. (20)

(19) Ex fasciculo Tabular. Augustæ Domus Tom. II. Analect. Biblioth. Vindobon. Cl. KOLLARII pag. 988

(20) CALLIMACHUS de rebus Wladislai Lib. II

Annus Christi 1442.

Giskram contra Agriensis Episcopus collecta ... nequicquam

Giskra meliori fortuna usus, postquam Polonos, qui Eperiessum urbem ex insidiis intercipere volebant, profligasset, Brosovicium obsedit; capta haud multo post per deditionem urbe, Podolinum, & Lublovia in potestatem venere. Hinc vis Richnovæ admota, aceroque ex vicinis oppidis, quæ Posthumo, & reginæ parebant, subsidiario milite, arcem acriter impetebat. Extracta ad aliquot menses oppugnatio est, quod cum auxilio affuturus Agriensis Episcopus sperabatur: sed cessante illo diutius, quum fames, ceterarumque rerum penuria pateretur, corporum salutem, libertatemque pacti vacuam arcem Bohemis tradidere. Facta deditione Agriensis supervenit, & castra haud procul a Giskra metatus prælio se comparabat. Dimicatum aliquot diebus est tumultuariis velitationibus, ut alter alterius consilia, viresque exploraret, neutri tamen e re visum totis viribus in certamen descendere, quod Agriensis militi, quem majori ex parte rudem disciplinæ habuerat, haud satis fidere videbatur, & Giskra multorum annorum felicitatem, fortunæ unius diei nollet committere. Itaque coeptum utrinque est de pace agi, quæ scriptis, mutatisque, ut res ferebant, conditionibus paullum post coaluit, nuptiisque, nam Agriensis, quo facilius hostem ab se amoliretur, neptem suam Giskræ locavit, data fide confirmata est. (21)

Hunniades memorabili victoria adversum Turcas potitur

Hæc inter Joannes Hunniades secundo iterum eventu cum Turcis conflixit. Amurathes, qui cladem superioris anni concoquere nequibat, Sehabeum Abedinum cum octoginta Turcorum millibus in Transilvaniam jussit irrumpere, ut ignominiæ dedecus, quo gentem suam ab exteris notare ægre ferebat, conferto prælio detergeret. Abedinus parum gloriæ studio, quod sibi res cum Hunniade, præstantissimo id temporis Duce, futura esset, parum vindictæ mensus, cum ingenti barbarorum colluvie portam ferream, (est is angustus inter & faucibus montium interceptus ad eam provinciam aditus,) occupare constituit, unde latissime per regionem divagari posset, eaque expilata tutum receptum haberet. Verum Hunniades, Abedini consilia multo ante in numerato habens, cum quindecim millibus fauces insederat, &, qua parte magis coeunt, locatis opportune ad latera insidiis, hostem præstolatur. Barbari visa nostrorum paucitate, quamquam locorum difficultas nonnihil terrebat, incredibili tamen furore in Hungaros insiliunt, locoque, sive id ita ab Duce prius mandatum est, seu casus fuit, aliquantum movent, eodemque impetu ad victoriam grassari contendunt. At ubi furor hic potius, quam virtus deservit, & Hungari ex insidiis coorti fuissent, commutata ex improviso prælii facies est: barbari in loca aspera adacti, circumventique ad unum omnes trucidantur, pauci, qui per avia rupium ægre eluctati sunt, fuga trans Danubium evasere. Abedinus cum præcipuis cæsorum numerum auxit. Fuit tanta Hunniadis in ea pugna virtus, & fortitudo, ut illum Græci scriptores Achillis, Hectorisque cognomento passim exornent, Turcici autem annales præcipuum militiæ robur cum Abedino cæcidisse aperte confiteantur. (22)

Julianus Cardinalis Wladislaum cum Elisabetha conciliare studet

Commodum de relata ex Turcis victoria nuntius ad Wladislaum allatus est, ex quo Julianus Cæsarinus Cardinalis ab Eugenio summo Pontifice missus, facilem utrinque aditum nacturus videbatur, ut infestina partium studia, quæ in Elisabetham, ac regem indies augebantur, sua auctoritate, & prudentia componeret. Et cum Wladislao quidem facile illi convenerat, quod barbari, quamquam sæpius victi essent, ex jactura tamen vires sumere viderentur, modo reginam ad æquas pacis conditiones inducere posset, dataque potestas, ut quantum in ea re valeret, experiretur. Itaque accepta prius fide ad reginam Jaurinum profectus, diu, multumque egit, ut fœminæ animum ad meliora flecteret, consiliumque ex re & tempore capiens, *non esse ejus* (inquiebat), *quæ paullo ante expertus foret, quod punctum transdar posse, contra pene universorum consensum in eo bello perseverare, in quo viribus multo, & facultatibus esset inferior. Stare ex parte altera omnem vim Polonorum, & cum illis majorem partem ex Hungaris, quorum opes & auctoritas in regno eminerent, hominum, & armorum, jumentorumque satis esse*

(21) *Idem ibid.*

(22) Ducas & Laonicus in Annal. pag. 107

esse repetendo ex casu, si quid adversi contigisset: partibus autem ejus adesse paucos, præter militem conductitium, cujus fides non ex omni studio, sed ex pretio penderet. Præterquam quod tuta affinitas inter Gistram, & Agriensem merito et suspecta esse posset, ea quoque, quæ satis et firma, & apparata viderentur, in unius prælii fortuna pendere, neque sperare posse, reparatorem se rursus ad pugnam vires, si semel acie vinceretur. Ut speraret vulturum posthumum diutissime, considerare oportere, quam innumerabilibus casibus humana vita subjaceret, & quo minus roboris in ea ætate esset, adversus malam valetudinem, & malum tum, eo facilius exstingui solere, magisque timendum, quam subinde filii, quam adultis jam duabus filiabus sibi fortunam sponderet, cum etiam, quos sperat, & gratificatio posthumi tunc in fide teneret, nobilius regem esset in contrarium eversura. Satius multo præcavere, ne, si præmatura fata filium regno subduxissent, filiæ quoque excluderentur: cum danda opera esset, ut saltem altera, matris veluti loco regnaret. Inter marem, & feminam quoad parentes, nihil interesse pestis sexum. In Wladislao esse illa omnia, per quæ, quorum filiæ utique aliquando conjungendæ, merito ab ea gener esset expetendus: temporis vero, & rerum conditionem utrosque ad affinitatem non solum invitare, verum etiam quadam veluti necessitate movere. Ad extremum meminisse debere viri, patrisque sui, quibus præter divinos honores, cetera omnia cum summa fide tribuisset ea gens, quæ percitatura erat, nisi ad patem abitum adjecisset. Indigentem fortasse aliquando viris, ut pro tuenda, aut augenda dignitate velus, populorum multorum salutem in discrimen ne adduceret, muliebris certe verecundiæ non esse, opportunitati, ac saluti tot de se bene meritorum civitatum, & populorum præferre incertas spes unius infantuli. Feminam homini extinguendam, sed & Dei immortalis ultionem, si per eam staret, quo minus e nefario bello, & Christianus rebus maxime periculoso absisteretur. Ad ea regina, satis se suas, hostisque facultates nosse, inquit, & quantum vel vires, vel fortuna posset in bello, non ignorare. Ceterum minus flagitiosum, dolendumque esse, resistendo exturbari, quam per ignaviam, & turpem metum regno excedere. Justam esse causam suam, neque abfuturum vindicem justitiæ Deum: filium vero incolumem esse, ac, Deo propitio, fore. Quod si majoris fatum certo spem quidquam afferret, novam rem novo consilio prævisuram. Hungarorum quidem merita in se, ac suos ingentia esse, sed quo majora essent, eo magis sibi attendum, ne cogeretur in detrimentum, ipsis sextum, degenerare. Si tamen sine cæde, & sanguine id fieri posset, nihil esse, quod mallet. (23)

Hinc spes injecta Cardinali, facile fœdus conciliari posse, si ejus modi conditiones in medium proponerentur, quæ & muliebri cupiditati satis facerent, & Wladislao nihil derogarent. Itaque collaudato reginæ animo, de pacificationis forma cœpit cum ipsa diligenter agere. Multa, ut fit, in utramque partem jactata, negataque, quoad temperato utrinque studio has conditiones Elisabetha ad Wladislaum perferri passa fuisset. *Ante omnia uis alteram filiam ipse, alteram Casimirus, qui tum Lithuaniæ præerat, uxorem duceret. Et Casimiro quidem despondere se dotis nomine centum, & viginti millia aureorum. Wladislao vero ducenta millia in terra Silesiæ, assignareque jam tum illi possessionem, reservato sibi redimendi jure, quandocumque commodum fuisset. Quod autem ad Hungariam attineret, Wladislaus se se hoc regio titulo abdicaret, procurationem, & tutelam, usque ad integram posthumi ætatem retineret: ubi ille adolevisset, procurationem dimitteret. Quod si intra pubertatem, aut quandocumque postea sine liberis posthumum decedere contingeret, tum regio titulo jus quoque, & arbitrium regni ad Wladislaum reverteretur. Ceterum compensandis impendiis, ea in expeditione factis, terra Scepusiensis perpetuo jure adderetur Poloniæ regno, Hungari vero sua sponte ac bona fide antiquarent quamcumque actionem, & jus, quod aut in Podolia, aut Valachia habere se crederent.* Placuere conditiones Wladislao, tum quod æquitate niterentur, tum quod regno suo percommodæ essent, neque dubium erat, amplexurum quoque fuisse, nisi Proceres, cum quibus eas communicare placuit, ad regni ordines de re referri opor-

Anno Christi 1441

Et conditiones utrique postpositæ scribit

(23) CALLIMACHUS loco cit.

Annus Christi 1442

oportere contendissent. Id cum anni tempus non admitteret, visum est, optimatum, qui præsentes non erant, voluntates exquiri. A quibus dum literæ afferrentur, non solum sententiæ variæ, sed etiam pro cujusvis ingenio diversæ, decretum est, quid Hunniades de re statueret, explorare. Ille cognita causa in hanc sententiam rescripsit: *Videri sibi propter immanem a Turcis periculum neque repudiandam pacem temere, neque tamen amplexandam cupide, etsi natura sua pax semper bello sit anteferenda, neque unquam aliam ob causam gerantur bella, quam ut pace frui liceat. Conditiones tantummodo recte animadvertendas, &, si iniquæ offerrentur, commodiores exigendas. Quæ si impetrarentur, nihil satius, quam hostem domi in gratiam redire, & depositis intestinis armis, pugnare fortiter. Si vero regina perseveraret ad suum fœdus, in quo sibi, sororumque habita ratione, membra regni non solum ad tempus possidenda exteris traderet, verum etiam e corpore suo perpetuo abscinderet, omni ope resistendum censere. Non enim eum, nisi vires defuturas ad extorquendam æquam pacem, timori etiam sinistra, quam forte impendendam pro concordia, quæ tunc offerebatur* (24). Hæc Hunniades satis aperte declarans, non placere sibi, si Scepusium ab regno averruncetur, aut jus in Valachiam, & Podoliam nulla de causa Polonis transcriberetur. Quæ sententia, quoniam nihil in utramvis partem vehemens & affectatum continebat, omnium consensione accepta, & confirmata est.

Ab Hunniade pactio probatur

Itaque Cardinalis opera rex Elisabethan Jaurinum misit.

Julianus Cardinalis, ubi operam suam frustra locatam hactenus sensit, nihilo remissior in conciliandæ pacis studio, ultro utroque commeavit, impetravitque, ut Wladislaus se Jaurinum ad reginam iturum polliceretur. Quo cum venisset, multisque diebus clam egisset cum Elisabetha, splendidissimis muneribus ornatus discessit. Apparebat conciliatam fuisse amicitiam, sed in quas conditiones non est proditum. Confirmabat plerosque in ea opinione, quod regina paucis post diebus Wladislaum Budam consequuta, rursum de ineundo fœdere diligenter egerit, ad Polonorum partes, quod alia via restituendæ quietis non appareret, fere jam traducta. Ex quo rumor in vulgus manavit, Wladislaum bona reginæ venia in Hungaria regnaturum, si modo aut precibus, aut armis infantem cum corona ex Friderici Cæsaris manibus extorqueret. Hæc quidem omnium ore circum ferebantur, quid autem re ipsa confectum utrinque fuerit, nusquam in lucem vulgatum est. Nisi forte id credamus, quod Æneas Sylvius, aulicorum id temporis sagacissimus scrutator, memoriæ prodidit; Wladislaum, quod reges magis regno quam sibi uxores ducere soleant, nuptias cum Elisabetha, quamquam annosior jam esset, pepigisse (25). Sed hæc pactio, si quæ tamen erat, brevi soluta est, quod regina triduo post, quam Buda Jaurinum rediisset, IX. Calendas Januarias ex torminibus obierit (26), non sine veneni suspicione ob mortis celeritatem. Laudatissima mulier, & in utraque fortuna magno semper, virilique animo versata, quam nec secundæ res intolerabilem, nec adversæ despicabilem fecere, & quæ, si aut fortunam magis habuisset faventem, aut in principio plus suorum, quam exterorum fidei, ac consiliis tribuisset, cum laude, & magna ad posteros gloria regnatura erat.

Hæc regem Budæ convenit.

Fœdere ducto sine veneni suspicione Jaurini moritur.

O. A. M. D. G.

(24) Idem ibid.

(25) In rebus Friderici III. Imp. integre editis a Cl. Kollario Biblioth. August. Vindobon. Custode primario, Tomo II. Analect. pag. 116 *Julianus Cardinalis sancti Angeli jam factus Sedis legatus in regnum Hungariæ jussu venerat, ut regnum pacaret. Ibi matrimonium inter Wladislaum, & reginam practicabat, quamvis longe annosior regina, quam rex esset, sed habent suam quoque miseriam reges, ut uxores non sibi, sed regno ducere cogantur. Sed ante mortem regina prius, quam matrimonium concludi posset.*

(26) Bartossius in Chron. Tom. I. Monum. Hist. Boh. Cl. Gelasii Dobner a Cr. Reg. Piar. Schol. Ex quo liquet, male a plerisque emortualem reginæ annum prorogari ad an. Christi 1443.

INDEX
RERUM MEMORABILIUM.

A.

B.

C.

G.

H.

I.

opem

P

nem

T

Tur-

ASSERTIONES
EX
PHYSICA
DE LEGE VIRIUM IN NATURA EXISTENTIUM, ET DE PRÆCIPUIS CORPORUM PROPRIETATIBUS.

I. Vires corporum nascuntur e diversis virium elementarium conjugationibus. Dantur autem in binis quibusvis corporum elementis vires mutuæ ad accessum vel recessum pendentes a distantiis, quæ quidem in minimis distantiis repellentes sunt, paresque extinguendæ cuivis velocitati.

II. Auctis vero intervallis jam evanescunt, jam in attrahentes, rursusque in repellentes abeunt alterna hac vicissitudine in distantiis perquam exiguis sæpius recurrente; at in distantiis majoribus constanter attrahentes sunt, aguntque in ratione reciproca duplicata distantiarum.

III. Lex hæc virium elementarium simplicissima, & explicandis corporum phænomenis aptissima repræsentari potest unica regulari curva utrinque circa asymptotos excurrente, cujus abscissæ designent intervalla binorum elementorum, ordinatæ vires ad unam axis partem repellentes, ad alteram attrahentes puncta, in quibus curva axi occurrit, exhibeant loca, seu limites, in quibus vires penitus evanescant: crus denique postremum accedens ad hyperbolam tertii gradus referat gravitatem universalem.

IV. Ex hac lege virium elementarium sponte consequitur corporum soliditas, seu impenetrabilitas: extensio item physice continua, & innumerabilitate pororum interrupta.

V. Dividi corpora possunt in partes non plures, quam sit numerus elementorum massas ipsas constituentium, qui quidem omnem humanæ mentis aciem longissime superat.

VI. Cohærentia, qua corporum elementa inter se devincta sunt, nascitur e collocatione eorundem in iis virium limitibus, citra quos vires repellentes sunt, ultra vero attrahentes, quos idcirco *cohæsionis limites* adpellamus.

VII. Nequit adeo repeti cohærentia a vi attrahente diminutis intervallis continenter crescente.

VIII. Elasticitas exsilit e situ elementorum in ejusmodi virium limitibus, circa quos ordinatæ curvæ utrinque admodum excurrant.

IX. Hinc elasticitatem auget vel minuit, quidquid materiæ puncta ad hosce limites cogit, vel indidem depellit. Itaque non potest ha-

beri elasticitas ope solius attractionis in qua demum cunque ratione reciproca distantiarum agentis.

X Motus omnes intestini corporum universe adsignandi sunt varietati particularum, quas ob dissimillimas elementorum conjugationes viribus compositis plurimum discrepantibus gaudere necesse est, ita ut aliæ comparate ad alias inertes sint, aliæ vero etiam in iisdem distantiis vires exserant admodum diversas

XI Unde facile intelligi possunt corporum fermentationes, solutiones, præcipitationes &c

DE MECHANICA SOLIDORUM.

I. Si mobile quoddam urgeatur duabus viribus, quarum directiones sint latera cujusdam parallelogrammi, percurret composito motu diagonalem, in qua constanter inhærebit.

II. Erit autem hæc diagonalis linea recta, si vires impellentes ejusdem naturæ fuerint, curva autem erit, si vires diversæ speciei fuerint.

III Si recta ad aliam quampiam horizontalem inclinata sumatur pro radio, sinus anguli inclinationis exprimet id, quod radius habet e situ perpendiculari, sinus vero complementi designabit id, quod habet e situ parallelo.

IV Quare si globus non elasticus incurrat in planum immobile non elasticum directione perpendiculari, perdet in conflictu totam suam velocitatem: sin autem oblique incidat, excurret juxta plani directionem, eritque is excursus ad rectam, per quam advenit, ut cosinus anguli inclinationis ad radium

V. Si globus perfecte elasticus fuerit, in primo casu recuperabit pristinam velocitatem cum contraria directione, in secundo sic resiliet, ut angulus reflexionis semper æquetur angulo incidentiæ

VI Hinc pendet efficacitas speculorum parabolicorum, & ellipticorum

VII Si potentia sit in vecte quovis ad pondus movendum in ratione reciproca distantiarum ab hypomochlio, perfecta habebitur æquilibritas.

VIII In trochlea fixa, quæ & ipsa revocatur ad vectem, potentia ponderi sustentando æqualis requiritur at in mobili trochlea dimidia potentia sufficit.

IX. In axe cum peritrochio potentia perpendiculariter adplicata se habet ad pondus ut radius cylindri ad radium rotæ, id quod etiam in dentatis rotis obtinet.

X. Si per rectam exprimentem tempus ducatur recta exhibens vim accelerantem, area genita designabit velocitatem interea genitam. sin autem per eandem ducatur recta exhibens velocitatem, area genita repræsentabit spatium percursum

XI. Qua-

XI. Quare ſpatia a gravibus noſtris decurſa ſunt ut quadrata temporum, vel celeritatum, ſeu $s = t^2 = c^2$. ſpatia vero ſingulis ſeorſim temporibus emenſa ſunt ut numeri impares 1, 3, 5, 7, &c.

XII. Spatium finito quodam tempore a corpore gravi lapſu libero decurſum eſt dimidium ejus, quod idem interea motu aequabili cum ultima velocitate conficeret, ſeu $s = \frac{ct}{2}$. Quod ſi vis ipſa gravitatis mutabilis, uti certe in majoribus a terra diſtantiis, erit $s = vt^2 = vc^2$.

XIII. Si per rectam referentem ſpatium ducatur recta repræſentans vires, area genita exprimet quadratum velocitatis. & ſiquidem vires ſint ut ſpatia percurrenda, utcunque inæqualia ſpatia eodem tempore percurrentur.

XIV. Hinc tempus, quo hujusmodi viribus mobile delabitur eſt ad tempus, quo idem ſpatium motu æquabili cum poſtrema velocitate emetiretur, ut quadrans peripheriæ circuli ad radium, vel ut ſemiperipheria ad diametrum.

XV. Si potentia ope plani inclinati directione plano parallela ſuſtentet pondus, erit illa ad hoc ut altitudo plani ad ejusdem longitudinem, ſive ut ſinus inclinationis ad radium.

XVI. Si vero directio potentiæ fuerit baſi parallela, erit potentia ad pondus, ut altitudo plani ad baſim, ſeu ut ſinus inclinationis ad ſinum complementi ejusdem.

XVII. Cochlea, & cuneus ad planum inclinatum pertinent. in illa potentia eſt ad pondus, ut diſtantia binarum proximarum helicum ad unius helicis peripheriam, in hoc ut latitudo baſeos ad cunei altitudinem.

XVIII. In plano quovis inclinato vis abſoluta eſt ad comparativam, ut longitudo plani ad ejusdem altitudinem, ſeu ut radius ad ſinum inclinationis.

XIX. Vis porro comparativa in quovis ejusdem plani puncto eadem eſt: quare motus in deſcenſu per id genus planum uniformiter acceleratur.

XX. Vires comparativæ in diverſis planis inclinatis ſunt in ratione compoſita ex directa altitudinum, & reciproca longitudinum, ſeu $v = \frac{a}{l}$.

XXI. Si grave deſcendat per plana ſeſe continenter excipientia, ſive per curvam continuam, in quovis plani puncto eam habet velocitatem, quam acquireret libere labendo per æqualem altitudinem.

XXII. Tempora deſcenſus per figurarum ſimilium, & ad horizontem ſimiliter inclinatarum perimetros ſunt in ratione ſubduplicata quorumvis laterum homologorum.

XXIII. Atque adeo tempora, quibus ſimiles circulorum arcus decurruntur, ſunt in ratione ſubduplicata horum arcuum, vel radiorum.

XXIV. Si baſi cycloidis ducatur parallela ſecans peripheriam circuli genitoris circa axem tanquam diametrum deſcripti, pars parallelæ

X 2 inter

inter peripherias cycloidis & circuli intercepta æquatur arcui circuli genitoris superiori a parallela resecto.

XXV Tangens cycloidis est parallela chordæ respondenti in circulo genitore & quivis cycloidis arcus est duplus chordæ respondentis in circulo genitore

XXVI Tempus descensus per arcum cycloidis e quavis demum altitudine usque ad punctum infimum est ad tempus lapsus liberi per diametrum circuli genitoris, ut semiperipheria circuli ad radium. Unde omnes oscillationes isochronæ sunt in cycloide.

XXVII. Cum ergo oscillatio in exiguo arcu circuli cycloidem in puncto infimo osculantis eodem tempore peragatur, quo oscillatio in quovis cycloidis arcu, etiam oscillationes in exiguis circulorum arcubus isochronæ sunt

XXVIII. Si ergo diversa pendula viribus quibusvis oscillantia conferantur, erunt quadrata temporum unius oscillationis in ratione composita ex directa longitudinum pendulorum, & reciproca virium, seu $t^2 = \frac{l}{v}$ quadrata vero numerorum oscillationum intra idem tempus in ratione composita ex directa virium, & reciproca longitudinum, seu $n^2 = \frac{v}{l}$. Ex his autem omnis pendulorum theoria sponte sequitur

XXIX. Gravia terrestria ad horizontem oblique projecta describunt curvam proxime parabolicam: estque linea directionis media proportionalis inter mensuram projectionis, & lineam lapsus.

XXX Explorari adeo potest mensura projectionis, si tormentum data fartura oneratum semel explodatur, hac porro, & tormenti directione data determinatur scopus feriendus, vel eo dato tormenti directio

XXXI. Si corpus projectum simul urgeatur singulis temporisculis versus aliquod punctum extra projectionis directionem positum, describet motu composito latera polygoni cujusdam, eruntque areæ, quas verrit radius vector, proportionales temporibus, quibus verruntur; celeritates autem in ratione composita ex directa arearum, & reciproca perpendiculorum e puncto illo in polygoni latera demissorum.

XXXII Quod si vis versus punctum illud immobile urgens continua fuerit, latera polygoni in curvam continuam abibunt.

XXXIII. Si vis projectionis cum centripeta sic combinetur, ut mobile incedat in circulo, feretur motu constanter æquabili.

XXXIV Vis autem centripeta erit in ratione composita ex directa quadrati velocitatis, & reciproca simplici radii, seu $v = \frac{c^2}{r}$. In diversis circulis eodem tempore decursis erit $c = r = v$. Si tempora diversa fuerint, erit $v = \frac{r}{t^2}$.

XXXV Si quadrata temporum periodicorum fuerint ut cubi distantiarum, seu si $t^2 = r^3$, erit $v = \frac{1}{r^2}$, & contra.

DE

DE UNIVERSALI MATERIAE GRAVITATE.

I. Punctum materiæ positum extra superficiem sphæricam homogeneam si tendat in singula ejus superficiei puncta viribus in ratione reciproca duplicata distantiarum agentibus, erit ejus gravitas in totam illam superficiem in ratione reciproca duplicata distantiarum a centro sphæræ.

II. Et si idem punctum extra sphæram paribus a centro intervallis homogeneam positum memoratis viribus tendat in singula sphæræ puncta, erit ejus gravitas in totam sphæram in ratione reciproca duplicata distantiarum a centro sphæræ.

III. Si punctum materiæ situm sit intra crustam sphæricam vel ellipticam, sive intra orbem cavum sphæricum vel ellipticum, id punctum ibi nullam vim sentiet, si paribus a centro distantiis eadem sit crustæ densitas.

IV. At si duo puncta in duarum sphærarum paribus a centro intervallis homogenearum superficiebus collocentur, punctorum gravitas in easdem sphæras erit in ratione directa radiorum.

V. Ex his concluditur sphæras homogeneas gravitare in se invicem in ratione reciproca duplicata distantiarum, quæ inter centra intercedunt.

VI. Gravitas terrestrium corporum rite revocatur ad legem universalem attractionis in ratione reciproca duplicata distantiarum agentis.

VII. Gravitas ejusdem massæ terrestris non modo in diversis a centro terræ distantiis, sed etiam sub diversis latitudinibus diversa est, crescitque continenter versus polos.

VIII. Luna in terram, planetæ secundarii in suos primarios, & hi in solem tendunt ea plane vi, qua urgentur corpora terrestria versus telluris centrum: ut adeo vires illæ mutuæ, quibus totum systema planetarium regitur, ac velut animatur, ad gravitatem universalem pertineant.

DE ASTRONOMIA PHYSICA.

I. Planetæ primarii omnes moventur in orbibus proxime ellipticis, quorum focum unum sol occupat.

II. Hinc motus eorundem æquabilis non est, sed celerrimus in perihelius, tardissimus in aphelius.

III. Tellurem motu diurno circa axem converti, annuo circa solem ad sensum quiescentem moveri gravissima probant argumenta.

IV. Quare systema planetarum Copernici reapse obtinere arbitramur.

V. E diurno telluris motu oritur dierum, ac noctium vicissitudo; motus item adparens diurnus omnium siderum versus occidentem.

VI. E motu annuo, axisque terrestris parallelismo exsistit motus adparens solis in ecliptica, varia ejusdem ab æquatore declinatio; diversæ tempestates anni, dierum, ac noctium inæqualitas, motus planetarum retrogradi &c

VII. Periodicus planetarum, atque cometarum motus provenit a vi gravitatis agentis quam proxime in ratione reciproca duplicata distantiarum ac velocitate primæ projectionis.

VIII. Eclipsis lunæ fit, cum tellus inter solem, & lunam interposita radios solares in lunam cadentes intercipit. Eclipsis autem telluris fit, cum luna inter solem, ac terram interposita radios solares in terram cadentes intercipit.

IX. Phases lunæ pendent a varia ejusdem positione respectu solis, ac terræ

X. Orbitæ planetarum mutuis eorundem actionibus perturbantur

XI. Vis perturbatrix lunam a tellure distrahens est proxime æqualis triplæ differentiæ distantiarum lunæ, ac telluris a sole.

XII. Vis eadem nulla est in quadraturis, maxima in syzygiis: hinc gravitas lunæ in terram maxima est in quadraturis, minima in syzygiis.

XIII. Æstus maris phænomena regularia seu diurna, seu menstrua, seu denique annua e lunæ theoria ultro consequuntur

XIV. Irregularia pro adjunctorum varietate varias habent caussas, quæ actionem solis, ac lunæ ceteroquin regularem aliter atque aliter determinant.

XV. Systema vorticum merito antiquatum est. imprimis enim vortices ejusmodi haberi omnino nequeunt, deinde nec, si haberentur, diu perstare possent, denique eorundem ope neque gravitas universalis, neque astrorum motus rite explicarentur

XVI. Sol est vastus quidam globus maxima ex parte inflammatus, ac ignes undequaque evomens.

XVII. Maculæ solares e fumo & fuligne in altem sublatis oriundæ a disco solis nonnihil absunt, uti nubes nostræ, quæ vero de materia exusta enascuntur, in disco ipso versantur

XVIII. Stellæ fixæ sunt totidem soles, earum scintillatio his a caussis oritur a lucis copia, a motu aeris inæquabili, adeoque jugi refractionum varietate, a vaporibus in atmosphæra innatantibus.

XIX. Figura telluris ad polos compressa est, ad æquatorem exstat Maculæ in lunæ disco habentur aliæ constantes, aliæ mutabiles.

XX. De his difficultas omnis sublata erit, si statuamus cum Boscovichio lunam montibus, vallibusque refertam circumfundi fluido quopiam homogeneo, pellucido, ac ultra cacumina altissimorum montium pertinente. Non habet luna atmosphæram nostræ similem.

XXI.

XXI. Cometæ sunt e planetarum genere, feruntur que in orbibus ellipticis, quorum focum nobis viciniorem sol occupat, ita oblongis, ut arcus eorum perihelio proximi haberi queant pro parabolicis.

XXII. Caudæ cometarum sunt vapores e nucleo ipso versus aversam a sole partem jugiter assurgentes.

DE LUCE, COLORE, ET IGNE.

I. Lucem cum Newtono censemus reponendam esse in tenuissimis corporum lucentium particulis quaquaversus jugiter profluentibus, ac per lineas proxime rectas, nisi quantum refractione detorquentur, ad oculum delatis.

II. Ejusdem emissio habetur a validissima repulsione, quæ oritur e compositione virium, quibus particulæ luminis præditæ sunt.

III. Reflexio luminis non fit in ipsa corporum reflectentium superficie.

IV. Si summa virium, quibus cetera corpora in lumen agunt, antequam radii ad eadem deveniant, extinguat omnem velocitatem perpendiculorum eorundem, radii reflectentur, si minuat duntaxat, refrangentur a perpendiculo, si augeat, refringentur ad perpendiculum.

V. Dissimilitudo Staminum, quibus radii luminis constant, seu diversa refrangibilitas pendet tum e diversa particularum velocitate, tum e vario earundem textu diversam virium summam inducente.

VI. Diffractio luminis est quædam velut inchoata refractio, & reflexio.

VII. Si corporum textura, quantum attinet ad vires in lumen agentes, sit homogenea, nec partes majoribus intervallis dissocientur, ea erunt hoc ipso pellucida.

VIII. Sin autem textura fuerit heterogenea, ac majoribus intervallis intercepta, corpora hujusmodi opaca erunt. Quare pelluciditas non pendet a sola pororum in lineas rectas dispositione.

IX. Colores nativi corporum oriuntur a tenuibus, ac pellucentibus laminis, quæ pro varia crassitudine certi coloris radios copiosissime reflectant, reliquos maxima ex parte transmittant.

X. Unde albedo est permixtio omnis generis radiorum.

XI. Iridis colores nascuntur reflexione, & refractione radiorum solarium facta in guttulis pluviæ, qui ad oculum inter eas guttas, & solem constitutum deferuntur.

XII. Ignis est ipsa lucis materia cum oleo corporum ardentium fermentans.

XIII. Calor in corporibus non aliud est, quam celerrimus, atque perturbatus partium minimarum ab igne fermentante exagitatarum motus.

XIV. Quæ vero frigus calori contrarium est, ejus natura in caloris defectu, seu fermentantis ignis absentia reponenda est.

DE MECHANICA FLUIDORUM.

I. Fluida premunt suo pondere partes subjectas, idque in omnes partes æquabiliter.

II. Pressio hæc in vasis quibusvis etiam inæquales bases habentibus semper est in ratione composita basis inferioris, & altitudinis fluidi.

III. Hinc exigua fluidi quantitas ex ingenti altitudine delapsa maximos effectus potest edere, sicuti videmus in machinis hydraulicis.

IV. Quando in tubis communicantibus fluidum conquiescit, seu momenta ubique æqualia obtinet, ad eandem assurgit altitudinem.

V. Unde adparet modus aquam ope tuborum connexorum deducendi e loco sublimi in humiliorem etiam per collium, valliumque interjectarum tortuosos anfractus.

VI. Quum diversæ gravitatis specificæ fluida in tubis communicantibus conquiescunt, altitudines eorum sunt in ratione reciproca gravitatum specificarum.

VII. Et hinc eruitur methodus investigandi rationem, quam habent diversorum fluidorum gravitates specificæ, vel densitates.

VIII. Solidum specifice gravius fluido leviori impositum descendit, ac de suo pondere tantum deperdit, quantum est fluidi pondus sub eodem volumine.

IX. Unde iterum eruitur modus gravitates specificas fluidorum, aut solidorum indagandi.

X. Solidum specifice levius in fluido graviore tamdiu mergitur, dum fluidi pondus sub demersæ partis volumine exæquet solidi totius pondus.

XI. Leges hæ solidorum in fluidis mersorum etiam institutis experimentis confirmari possunt.

DE IIS, QUÆ AD AQUAM, AEREM, ET TERRAM PERTINENT

I. Aqua notabili aliqua compressione nequit cogi in angustius spatium: unde colligimus particulas ejus hærere in confiniis arcus validissime repellentis, & axi pæne ad perpendiculum occurrentis.

II. Inest præterea in particulis aqueis vis quædam e simplicibus elementorum viribus composita, qua sese ad certum situm disponant, certosque ad juncturam angulos veluti affectent, unde pendent stupendæ prorsus humorum vires.

III.

III. Ignis cum attenuatis aquæ particulis cohærens effluit in aerem frigidiorem, atque ita vapores generat.

IV. Hi prope telluris superficiem congesti nebulam efficiunt. Nubes est nebula altius intra atmosphæram elata.

V. Cum vapores nubium sensim concrescunt, inque notabiles guttas abeunt, ac ad tellurem recidunt, pluvia generatur.

VI. Ros est vapor quidam tenuis aere tranquillo, ac noctis paululum refrigerato, in plantis aliisque corporibus liberæ atmosphæræ expositis collectus: alius de tellure in aerem effluit, alius de atmosphæra relabitur; alius denique guttularum forma e plantis exsudat.

VII. Dum aqua frigidiore atmosphæra cingitur, ignis inter ejusdem particulas fluens, ac mutuam illarum cohærentiam impediens copiose effluit in aerem, ac partes aquæ mutuis viribus relictæ validius sese attrahunt, & in glaciem concrescunt.

VIII. Nullis ergo opus est particulis adventitiis ad glaciei conformationem.

IX. Si vapores aquosi intra delabendum in fila glacialia vertantur, quæ variæ sibi consociata floccos quosdam candidos efficiant, existit nix.

X. Grando nascitur e vaporibus, qui primum in nives abeunt, deinde inter labendum aliis nondum induratis accrescentibus augentur, & non nihil funduntur, tum vero in glaciem abeunt.

XI. Pruina est ros frigore in glaciem, aut nivem versus.

XII. Atmosphæra, itemque aer etiam purus gaudet gravitate ac elasticitate.

XIII. Unde nascitur suspensio mercurii in barometro, & ascensus aquarum in tubis embolo instructis.

XIV. Ventus est flumen quoddam aeris e sublata atmosphæræ æquilibritate enascens.

XV. Sonus ut in sonante corpore residet, situs est in tremore minimarum partium elasticarum. Ut autem est in suo vehiculo, consistit in pulsibus, sive alternis vibrationibus aeris potissimum motibus sonantium corporum simillimis.

XVI. Demum ut est in auditus organo, repetendus est a vibrationibus nervi acustici per auris partes explicati.

XVII. Terræ motus existunt ab aere, & vaporibus antris subterraneis inclusis, ac subita quadam exhalatione, aut etiam flamma enascente dilatatis.

XVIII. Interdum tamen oriri potest etiam a prolapsionibus subterraneorum fornicum.

XIX. Sapor, quatenus in ipsis corporibus est, consistit in particulis tenuissimis, præcipue salinis, tam fixis, quam volatilibus, qui salivæ humore solutæ delicatissimas organi fibras varie afficiunt.

XX. Sunt autem primaria gustus organa papillæ quædam, seu nervulorum apices per totam linguam sparsi, perque varios ramos, ac per ipsum noni paris nervum ad cerebrum usque pertinentes.

XXI. Odor in olente corpore situs est potissimum in particulis salium volatilium, quæ cum sulphureis consociatæ, & a corporibus effusæ ad sensum afficiendum respiratione deferuntur.

XXII. Organum odorationis præcipuum est membrana, ut vocant, pituataria, quæ osseas narium laminas vestit, constatque potissimum fibris nervi olfactorii, seu primi paris, prominentibus instar papillarum cavarum subtili quodam fluido refertarum.

XXIII. Lapides intra tellurem generantur e succo quodam minutissimas arenæ particulas vehente.

XXIV. Turcois oritur ex ossibus animantium succo lapideo imbutis, ac ope ignis colorem cæruleum acquirentibus.

XXV. Bezoardus est lapis in quibusdam animalibus genitus, constans crustis plurimis, ac laminis concrescentibus.

XXVI. Margaritarum eadem fere origo est, calculi item, qui in vesica enascitur.

XXVII. Origo metallorum origini lapidum perquam similis est.

XXVIII. Existat nimirum intra terræ viscera succus quidam genitor metallorum particulis refertus, qui dum per lapidum venas, & anfractus commeat, earum particularum accumulatione metalla perfecta, atque imperfecta generat.

XXIX. Plantarum præcipuæ partes sunt radix, caudex, gemmæ, flos, ac semen.

XXX. Fæcundatur autem semen ab antherarum polline in stigma delabente, indeque in seminis capsam sese insinuante.

XXXI. Plantas omnes de semine nasci dubitari non potest, postquam incredibilis botanicorum diligentia etiam in fungis, musco, aliisque, in quibus res erat non parum ambigua, semina deprehendit.

XXXII. Succum intra plantas in sublime elatum iterum refluere, atque adeo circulare admodum probabile est.

XXXIII. Morbi plantarum oriuntur e defectu exspirationis; ex inæquabili humorum distributione, vel malignitate; e parcitate, aut exuberantia succi, e morsu denique animalium, aut vulnere quovis extrinsecus oblato.

THE-

THESES MATHEMATICÆ.

EX GEOGRAPHIA.

Figura telluris propemodum ſphærica eſt. Hinc horologia ſub diverſis meridianis ſita eodem tempore communi diverſas horas indicant, & navigantibus vertices montium, turres, ſcopuli, mali navium prius videntur, quam objecta, quæ terræ propiora ſunt.

Invenire quantitatem ſemidiametri telluris, & inde tam ſuperficiem, quam ſoliditatem telluris inveſtigare.

Data diſtantia alicujus circuli paralleli ab æquatore, invenire quantitatem unius gradus ejuſdem circuli paralleli, eandemque gradus quantitatem determinare tam Trigonometrice, quam Geometrice.

Gradus paralleli dati convertere in milliaria, & viciſſim milliaria in gradus paralleli.

Invenire diſtantiam, ad quam ex data altitudine pertingat viſus, & data diſtantia, ad quam viſus pertingit, invenire altitudinem objecti primum viſi.

Latitudo loci æquatur elevationi poli.

Invenire latitudinem alicujus loci.

Præciſis aliis circumſtantiis phyſicis calor maximus in Zona torrida, minimus in Zonis frigidis, medius in temperatis eſſe debet.

Sole in æquatore verſante ubique terrarum æquinoctium eſt, exceptis polis.

Sub æquatore toto anno æquinoctium eſt.

Sub polis præciſa refractione, dies & nox ſemeſtres ſunt.

In plano horizontali dato lineam meridianam, cæteraſque mundi plagas determinare.

Delineare ſegmenta, quibus decenter compoſitis, globus terreſtris conſtruatur. Ope globi terreſtris reſolvere ſequentia problemata:

1. Data altitudine ſolis meridiana, invenire locum ſolis in ecliptica pro die & loco dato.

2. Dato loco ſolis invenire tempus ortus, & occaſus, item longitudinem diei ac noctis pro loco dato.

3. Dato loco ſolis invenire initium, finem & durationem crepuſculorum pro loco dato.

Data longitudine & latitudine quorundam locorum, & diſtantia cæterorum a duobus jam deſignatis mappam geographicam particularem conſtruere.

Mappam polarem, item æquatoriam delineare.

EX CHRONOLOGIA.

Horas Astronomicas convertere in Europæas, & vicissim.

Annum solarem civilem cum anno solari astronomico conciliare per unum sæculum.

Annum lunarem civilem cum anno solari astronomico conciliare per unum sæculum.

Pro anno Christi invenire literam dominicalem, sive cum, sive sine tabulis.

Pro dato anno Christi invenire numerum aureum

Epactæ annuæ sunt ferme 11. dierum

Hinc laterculum epactarum sive Julianarum sive Gregorianarum construere.

Dato numero aureo, vel dato anno Christi invenire epactam sive Julianam sive Gregorianam.

Dato anno Christi invenire Cyclum indictionis.

Datæ Epochæ annos reducere ad annos alterius epochæ pariter datæ

Quod Decretum Concilii Nicæni de celebrando Paschate?

Pro dato anno Christi supputare Pascha tam Julianum, quam Gregorianum.

EX PERSPECTIVA.

Altitudo puncti perspectivi est ad altitudinem oculi, ut distantia objecti a tabula ad summam distantiarum oculi & objecti a tabula.

Quare si rectæ objectivæ in plano geometrico sitæ sint plano perspectivo parallelæ, earundem perspectivæ sunt parallelæ inter se.

Dato situ oculi invenire apparentiam perspectivam puncti objectivi dati.

Datum triangulum, aut quodvis planum horizontale ichnographice delineare.

Quadratum cui aliud inscriptum est, vel quod in quadratula subdivisum, aut circulum projicere.

Altitudo perspectiva est ad altitudinem objectivam, ut distantia oculi a tabula, ad summam distantiarum oculi & objecti a tabula.

Data altitudine objectiva invenire altitudinem perspectivam in dato tabulæ puncto erigendam.

Scenographiam solidi cujuscunque dati exhibere.

Pyramidem truncatam projicere.

Super pavimento perspectivo erigere parietes, pilas aut columnas, januas seu oblique seu directe visas, januam item apertam

Data

Data apparentia corporis opaci & luminosi per radios divergentes radiantis invenire apparentiam umbræ.

Determinare umbram in oppositum v. g. parietem incidentem.

Sole in tabula existente, adeoque ejus radiis pavimento perspectivo parallelis, umbram solidi determinare.

Objectum quodvis mechanice ope craticulæ projicere.

EX ARCHITECTURA CIVILI.

DE FIRMITATE ÆDIFICII.

Quid Architecturæ civilis nomine veniat?

Quæ præcipua ejus axiomata?

Quid potissimum in ædificando curandum?

Unde pendet structurarum perennitas?

De diversa indole partium ædificii construendi.

Quæ firmitatis leges generales in suscitandis ædificiis potissimum observandæ?

Quid commodi, & utilitatis accedit ex cæmentis? Quod aptissimum ea cædendi tempus? quis ea optimus explorandi modus?

Quid sperandum commodi ex lateribus? & unde eorum bonitas cognosci potest?

Quæ sunt probæ, & bene excoctæ calcis indicia? an etiam limus structuris aptus?

Quod ferri, plumbi, cupri, aut vitrorum genus cæteris præferendum?

Quod lignum in & pro ædificiis præstat aliis? Quæ ejus secundum Architectonicæ leges optima applicatio? Quis cædendorum lignorum modus? Quod tempus eligendum? Quæ ratio examinandi lignorum indolem, atque ætatem?

Quid nomine fundamenti veniat? Quæ ejus est divisio?

Quid fundatio? substructio? quæ cura potissimum in substructionibus adhibenda?

Quomodo soli, in quo moles erigere volumus, natura & indoles item loci necessaria soliditas investiganda?

Quæ altitudo fundationis? Quæ regulæ in substructionibus observandæ? Quid de ejus latitudine superiori juxta ac inferiori?

Quam Belidorus, Pentherus determinant methodum in basibus substructionum observandam? Quis expeditissimus substructionem contrahendi, arctandique modus?

Cum in solo saxoso construendum est ædificium, ad quæ præprimis animus advertendus? qua ratione, ut de stabilitate molis hoc loci erigendæ securi esse possimus, isthoc solum nobis periclitandum?

Quid agendum in ſolo paluſtri, aquoſo, limoſo, ſabuloſo?

Quæ hodie murorum genera? quæ eorum diviſio? Quæ denſitas? contractio?

Quid intelligitur nomine diverſarum Camerarum? quæ earundem partes? quæ diviſiones? quæ denique arcus compreſſi deſcriptio?

Quid ſint Cameræ Gallicæ

Unde Camerarum repetenda firmitas? quid in ſoliditatibus fulcrorum ante omnia curandum?

Quæ Methodus fulcrorum ſoliditatem determinandi? quæ regula hic præhabenda?

Quid obſervandum in denſitate Cameræ?

An eadem ſemper eſſe debent pilarum denſitas?

Quomodo muri ſuper Cameram exſtruendi?

DE UTILITATE AEDIFICII.

Unde æſtimatur utilitas ædificii?

Quis potiſſimum ædificii ſitus vitandus? quis præ cæteris eligendus?

Quæ ædificii proportio? quæ portarum diviſio? dimenſio? ſitus? figura?

Quæ diviſio feneſtrarum, dimenſio? muri feneſtralis inclinatio? lorica? figura?

Quæ ſcalarum dotes, diviſio, directio, interruptio, graduum latitudo, altitudo, materia?

Qua ratione innoteſcit, an in dato loco ſcala rectilinea continua, interrupta, an cochlidia facienda?

Caminorum diviſio, altitudo, latitudo, figura, ſitus fornacis.

Quid in diſtributione totius ædificii Architectus curare debet? quotuplex diſtributio? & quid ad eam pertinet?

Quæ ædificii figura præhabenda? Quis ſitus partium primariarum? quæ arearum conditiones?

Quid contignatio? quæ ejus diviſio? quæ amplitudo conclavium? quis numerus feneſtrarum? Quæ partes contignationis?

Quæ tecti amplitudo, diviſio, quod tectum aliis antehabendum? quæ commoda, & incommoda tecti manſardici?

DE VENUSTATE AEDIFICII.

Quæ leges venuſtatis ædificii ab Architecto obſervandæ?

Unde Architectonica proportio deſumenda, & quæ proportionum regula & claſſes?

Quæ columnarum origo? Quæ claſſes?

Unde initia Græci, Dorici, Jonici, Corinthii, Tuſcani, Romani ordinum?

Quæ

Quæ columnarum proprietates? quæ forma cæteris præhabenda, quæ constructio?

Quæ partes ordinis Architectonici primariæ, quæ secundariæ?

Quæ membra essentialia, quæ accessoria? Quæ membrorum dispositio, quæ altitudo?

Quæ in praxi commodior methodus, ut aptam inter se membra hæc proportionem habeant?

Quid præcipue in divisione moduli curandum?

Cui membrorum ornatus potissimum conformandus?

In quo fulcrorum sita est proportio? Quæ eorum differentiæ?

Data altitudine ordinis completi vel incompleti, invenire modulum ordinis in systemate Vignolæ.

Quis peculiaris cujusvis ordinis ornatus?

Præcipuas fulcrorum symbolicorum species prodere.

Columnas columnis superimponere.

Tectum imperiale, & fastigia turrium arcuata ac rotunda describere.

Quæ regula pro frontispiciis describendis.

Scapum columnæ contrahere, sive ordinaria methodo, sive per entasim.

Quæ Volutæ Palladianæ descriptio

EX HISTORIA.

Romani quantumvis crebra, feliciaque bella gesserint, justo tamen titulo pugnarunt nunquam.

Injustum proinde existimamus fuisse bellum a Romanis susceptum contra Porsenam, Brennum, Gallos, Capitolium ipsum obsidentes.

Neque his minus injustum Tarentinum, omnia tria bella punica, Illyricum, Macedonicum, Numantinum, Jugurthinum, sociale, omnium fere, quæ Roma gessit gravissimum, Mitridaticum, Helveticum, Alexandrinum.

Quid sentiendum de bello Pharnacis, nec non bellis Servilibus, & Gladiatorio?

Quid de bello Sertorii? de conjuratione Catilinaria?

Item Cantabrico, & Germanico sub Augusto?

Unde factum, quod etsi Romani injustissima bella gesserint, tantum tamen quod eis bellicæ gloriæ accesserit?

Quare, si territorium Romæ adjacens, a Numitore concessum excipiamus, reliqua omnia, quæ vastissimæ eorum reipublicæ accesserunt, usurpationibus, & violentiis fuere comparata.

Intestinas, quibus Roma semper exagitata fuit turbas arbitramur cum celeberrimo Montesquieu, Romæ fuisse necessarias, motusque hos Civiles eam tamdiu conservasse, donec imperii magnitudo domesticis turbis bella substituisset.

Cum

Cum respublica mutata est, mutari inevitabiliter debuit propterea, quod leges, & instituta, quibus hactenus steterat, reipublicæ non incongrua tantum, sed & noxia facta fuissent.

Atque adeo conatus eorum, qui antiquam libertatem vel conservare vel restituere admitebantur, quantumvis bono fierent intuitu, erant pro iis temporum circumstantiis prudentiæ legibus minus conformes.

Quid de turbis Marii & Syllæ, Cæsaris item & Pompeji sentiendum?

Quid de motibus Rulli & Clodii, nec non exortis post mortem Dictatoris turbis dicendum?

Imperium Romanum semper dein ab Augusto hæreditarium fuit, vel certe ad regnantis Principis libitum usque ad exstinctionem illius tam in occidente, quam in oriente.